This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 2044 009 642 232

Digitized by Google

C 9712.4

Harvard College Library

FROM THE BEQUEST OF

JOHN HARVEY TREAT

OF LAWRENCE, MASS.

(Class of 1862)

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

? Origin of Sequences. The Notkerian & Metrical proses from the Alleluia sung between Epistle & gospel was prolonged during the ascent of the subdeacon from stall to the Roodloft where the gospel was read.
Notker, monk of S. Gall, wrote In ? middle of life &c.
(?) watching Samphire gatherers
till up this prolonged Alleluia he wrote the lines
? w Laudes Deo concinat orbis universus.
Coluber Adae deceptor
Consequently.
Laudes Deo concinat orbis ubique totus
Coluber Adae male suasor
were at first called proses i.e. rather rythmical than metrical.
? afterwards then became metrical & w rhymes ? introduced by Adam S Victor, whence called Victorine.
? & ? the earlier species were the favorite of ? ?
Dies Irae & Stabat Mater & Lauda Sion Salvatorem Stabat
? (Bernard)
? Mundus exultavit, Splendor Patris & figura, Zyma vetus
? ? , Lux jucunda, lux insignis, Laudes crucis attollamus, Superna matris gaudia by Adam
? ad Virginem, Abelard.
? Mundi, Deo natum Henricus Pistor
? Nipal, ? English Composer are . 1$\overline{4}$4 ?
Nato canunt omnia X mas
Resonet sacrata Whitsunday
? Hodierna X mas
There are about 1000 known sequences of which about 60 are peculiar to Sarum.
? of the Notkerian sequences are
? = an indefinite no. of prose stanzas or troparia. These troparia occur usually in couplets, or triplets & answer each other, a ? no. of syllables, ? degree in accent & very frequently in ?
Each troparion is divided into a certain ...

Digitized by Google

Prophetas tu inspirasti, 2 ut praeconia Christi
3 praecinuissent inclyta.
Apostolos confortasti 2 uti trophaeum Christi
per totum mundum veherent.
are responsive Troparia. 1 2 3 are [illegible]
in order Commatisms 1 to 1, 2 to 2 &c.
Troparion cannot end in the middle of a word)

[illegible] Jesu Christi – a multum dilecte virgo,
amore | carnalem in nave | parentem liquisti.
conjugis | respuisti pectus | Messiam secutus;
pectoris | sacra mereuisses | fluenta potare.
a ternary system of Troparia,
Troparion has 3 Commatisms
Commatism has 6 syllables
[illegible] always rhymes w the 1st

terra positus } | gloriam conspexisti | Filii dei.
[illegible] in vitâ } | gloriam conspexisti | Filii dei.
in sanctis in vitâ | creditur contuenda | esse perennis.

in cruce triumphans | matri suae | dedit custodem.
Virginem servares | atque curam | suppeditares.

[illegible] flagrisque factus testimonio | pro Christi e[illegible]
[illegible] suscitas, in que Iesu nomine | venenum
forte vinci
division of Commatisms is doubtful. If you read
you would naturally end at [illegible] if the [illegible]
[illegible], but then you come at in que at the the 2d
[illegible] at the 1st – ;

[illegible] | taciturn prae ceteris | Verbum summi Patris
[illegible] | sedulis precibus | apud Deum semper
revelat:
usual reading but it is bad in the [illegible]
[illegible] in for seven syl. c in f 2. [illegible]

Digitized by Google

Catholic Ch. Eng.

ECCLESIÆ ANGLICANÆ OFFICIA ANTIQUA.

Salisbury-Cath.

PORTIFORII SEU BREVIARII Sarisburiensis,

ANNOTATIONE PERPETUA ILLUSTRATI,

ET CUM BREVIARIIS

Eboracensi, Herefordensi, et Romano

COMPARATI,

FASCICULUS PRIMUS:

IN QUO CONTINENTUR,

1. PSALTERIUM CUM ORDINARIO OFFICII TOTIUS HEBDOMADÆ ET PROPRIO COMPLETORII, ET LITANIA. ACCEDUNT VIGILIÆ MORTUORUM, ET FORMULÆ QUÆDAM COMMUNES.
2. PROPRIUM DE TEMPORE ADVENTUS USQUE AD VIGILIAM NATIVITATIS DOMINI CUM PLURIMIS RUBRICIS GENERALIBUS

EX ANTIQUIS EDITIONIBUS,—VOCABULORUM ABBREVIATURIS (PRÆTER PAUCAS QUASDAM EASDEMQUE FACILLIMAS) REJECTIS, FORMULISQUE QUÆ DECURTATÆ ERANT, QUARUM SCILICET OLIM PRIMA TANTUM VERBA APPAREBANT, AUT LOCORUM ALIORUM INDICIO EXPLICATIS, AUT INTER UNCINOS REIPSA COMPLETIS,—ACCURATE DESCRIPTA.

E. Sharpe

OMNIA ANNOTATIONE ILLUSTRATA,

PLERAQUE ETIAM

CUM BREVIARIIS PRÆDICTIS COMPARATA.

RELIQUORUM PRÆTER IPSIUS BREVIARII TEXTUM EDITIO ALTERA, AMPLIOR ET EMENDATIOR.

LONDINI:

APUD J. LESLIE, 52. GREAT QUEEN-STREET, LINCOLN'S-INN-FIELDS.

MDCCCXLIII.

Digitized by Google

C 9712.4

1924/10

HARVARD COLLEGE
MAR 28 1912
LIBRARY

Treat fund

BOUND MAY 22 1913 (Bond)

MAY 22 1913

EXCUDEBANT BRUXELLIS C. J. DE MAT ET SOC.

Digitized by Google

MONITUM GENERALE[a].

Uberiùs posthac, favente Deo, tam de hujus editionis ratione, quàm de ipsius Breviarii Sarisburiensis nodis, quæ opus fuerint exposituri, nunc quidem ea tantùm quæ præcipuè necessaria videntur, breviter pro tempore lectorem admonemus.

Itaque, ut de subsidiis quibus in textu concinnando usi simus loquamur primùm, amicorum, ac præsertim unius qui (ne ulteriùs singularem ejus modestiam offendamus) nequaquam in hoc solum opere promovendo pium erga Ecclesiam animum ostendit,—amicorum inquam benignitati debemus, quòd nobis vel in terrâ peregrinâ rarissimum hunc librum recudi curantibus, *Proprii de Tempore Adventûs* quattuor, *Psalterii* et *Vigiliarum Mortuorum* non minus sex editiones antiquæ, præsto essent. Quas omnes,—et præter has, variantes quasdam, easque minime inutiles, in initio *Proprii de Tempore Adventûs* a nobismetipsis e libris Bodleianis jam ante descriptas lectiones,—ubicunque vel minima de verâ lectione suspicio orta sit, semper contulimus[b]; eâ scilicet servatâ lege, non in unius cujusvis vitia jurare, sed contra ex editionibus omnibus

[a] De hac alterâ Prolegomenorum editione Monitum alterum post ipsa Prolegomena vide. Confer etiam notam proximè sequentem.

[b] (*Ed.* 2.) Post Prolegomenorum editionem priorem divulgatam, plures tam Breviarii Sarisburiensis quàm aliorum librorum Liturgicorum editiones antiquas, partim amicis eorum usum benignè præbentibus, præcipuè verò in Bibl. Bodleianâ, in locis notabilioribus inspeximus, atque inde non pauca ad hoc opus ampliandum et emendandum lucrati sumus. Agendæ sunt autem gratiæ maximæ tam omnibus qui nos quocunque modo adjuverunt, quàm præsertim amico in rebus Liturgicis si quis alius doctissimo et peritissimo, cui non modò rarissimorum quorundam librorum usum, verùm etiam emendationes et additamenta quædam libenter accepta referimus. Confer p. iv.

Digitized by Google

textum verum, quantum fieri posset, investigatione laboriosâ erutum, ob lectoris oculos ponere.

De iis autem quæ, de Scripturâ Sacrâ sumpta, in Sarisb. aliter, aliter in Breviario Romano legantur, hoc statim in universum monendus est lector, varietatem illam inde tantùm magnâ ex parte ortam videri, quòd quum Sarisburiense aliaque vetera Breviaria sæpe lectiones antiquiores, licet minùs ad literam archetypo Hebraico vel Græco respondentes, exprimat, Rom. hodiernum contra, Concilii Tridentini et summorum Pontificum curâ, plurimis in locis ad accuratiorem cum archetypis istis consensum revocatum sit. Similiter et in Hymnis, quæ in Sarisb. &c. more mediævo, secundùm accentum (ne hunc quidem semper Latinum) potiùs quàm syllabarum quantitatem dimensa reperiantur, ea sæpe apud Romanum ad accuratiores metrorum leges exacta sunt: e. g. pro lectione Sarisb.—*rel oát in omni Gloria mundo* (metr. Sapph.: P. 1 b.[c]) apud Rom. hodiernum correcto metro legitur—*reboat per omnem Gloria mundum*. — Ipsarum autem lectionum variantium Catalogus, tam eorum quæ, saltem ex Scripturâ Sacrâ, in Romano aliter, aliter in Breviario Sarisburiensi legantur, quàm eorum quæ in ipsis libris Sarisburiensibus aliis aliter legi notaverimus, absoluto demum textu, ad calcem totius operis adjiciendus erit.

De textu autem ipso hoc imprimis lectorem admonitum volumus, consuetos fuisse editores antiquos[d], non, ut hodie, omnia, quantumvis cognita, semel saltem, et hoc apto loco, pleno vocabulorum numero describere, alibi autem paginarum numeris plenè descripta indicare,—sed quædam ne semel quidem in toto

[c] I. e. Psalterii &c. p. 1. col. 2.

[d] Ab isto quidem edendi more recedit Breviarii Sarisburiensis editio una: v. p. vi, vii: verùm hanc editionem ob caussas ibidem memoratas a Breviario Sarisburiensi *Communi*, quod editionis nostræ meritò textus est, omnino distinguendum apparet. Plura vide l. c.

Digitized by Google

Breviario, multa inepto tantùm et ignoto loco describere; Rubricas denique et alia omnia, aut tam breviter explicare, aut tam perturbato ordine per totum opus dispersa relinquere, ut pleraque solis *συνετοῖς φωνᾶντα, ἀμυήτοις* autem adeo essent obscura, ut si non adesset interpres, vix unus et alter, post diutinum tandem et improbum laborem, intellectum eorum consecuturus esset. Nos verò, nostri potiùs (uti par est) temporis ratione habitâ,—præsertim quum tam ista nimis parca brevitas, quàm perturbatus iste et intellectu difficilis ordo, quantum molestiæ tædiique legentibus afferat, ipsi satis superque experti simus,—primùm, loca manca et defecta ita complere statuimus, ut quæcunque vel ex aliis ipsius Brev. Sarisb. locis vel aliunde, ac præsertim e cognato Brev. Romano, certò vel probabiliter supplenda sive subintelligenda esse viderentur, ea omnia aut ibidem inter uncinos plenè describeremus, aut per alia saltem loca, ubi vel a nobis vel a veteribus plenè jam descripta essent, indicatis paginarum numeris, lectori in potestatem traderemus. Deinde ut ordini quoque perturbato utcunque saltem subveniremus, quum neque Romanam neque vel suam methodum a Brev. Sarisb. non modo lectori indicatam, sed ne servatam quidem satis accuratè vidissemus, huic etiam non parvo lectoris incommodo ratione simili consultum voluimus, e locis scil. parallelis lucem aut ipsi afferentes, aut saltem lectori indicantes.

Quum verò nequaquam omnia (vel inter uncinos) in ipso textu satis commodè explicari potuissent, *Formulas* quasdam *Communes* loco commodiore ad finem Psalterii, post *Vigilias Mortuorum*, seorsim collocavimus: explicationes autem et reliqua quæ opus fuerint in *Annotatione Brevi* ordine prosequemur. Cujus quidem Annotationis,—reliqua in posterum reservaturi,—Prolusionem quandam[e] post hoc Monitum adjiciemus.

[e] Cujus tamen videndum est conclusionem: item notam *b* (p. i), et Monitum alterum, scil. ad finem Prolegomenorum.

Digitized by Google

Restat ut eorum primùm quæ sive typothetarum sive nostrâ culpâ minùs rectè legantur (quorum quæ operæ pretium fuerint unà cum supplementis et emendationibus quibusdam, minùs quidem necessariis, nequaquam tamen inutilibus, in sequente Annotationis Prolusione ordine suo notabimus), lectorem veniam poscamus. Deinde ut amplissimis ac summè reverendis viris a quibus tam pecuniæ suppeditatione quàm aliis modis benignissimè in hoc opere prosequendo adjuti sumus, præcipuè autem Deo gratias maximas agamus, quòd antiqua pietatis documenta, internecioni primùm a sæculo barbaro et sibi complacente destinata, deinde trium sæculorum oblivione situque obruta, redeunte tandem aliquando paullatim Catholicæ antiquitatis amore, nostris potissimùm diebus Ecclesiæ suæ reddita, in lucem iterum, iterum lucem datura, proferri cœperint. Denique ut iis quoque omnibus qui operis hujus adjuvandi opportunitate tantùm adhuc caruerint, eos, per bibliopolam nostrum, vel pecunias (modo et legibus ab eodem indicandis) conferendo, vel libros commodando, vel denique lectiones variantes et cætera quæ opus fuerint nobiscum communicando, magnum sanè et præclarum propositum, omnium scil. Ecclesiæ Anglicanæ librorum Liturgicorum restitutionem, cui ex animo bene precantur, factis etiam promovere, et ad exitum felicem, juvante Deo, perducere posse annuntiemus.

Digitized by Google

ANNOTATIONIS PROLUSIO.

DE PSALTERIO.

§ 1. *De Matutinis et Laudibus Dominicalibus*[a]: *item de Orationibus ante et post Horas ex consilio dicendis.*

PSALTERII Sarisburiensis[b] initium inspicienti, mirum videri potest, neque de Psalmo *Venite*, neque de reliquis omnibus quæ in Psalterio Romano Hymnum Nocturnum præcedant, vel verbum dici. Hoc autem in universum monendus est lector, multa quæ apud Breviarium Romanum in Psalterio, apud nostrum in Proprio de Tempore, ac præsertim in Proprio de Tempore hebdomadæ primæ Adventûs, pleniùs exposita inveniri. Adeat igitur istius Proprii p. 4 a. et seqq.

[a] Notet lector quid intersit inter *Dominicus* et *Dominicalis*: *Dominicus* est qui ad Dominum, *Dominicalis* qui ad Dominicam (*scil.* diem) pertinet: e. g. *Oratio Dominica* est *Pater noster*, Anglicè, *the Lord's Prayer*; *Oratio Dominicalis* autem, *Oratio Dominicæ cuidam propria*, Angl. *the Sunday Collect.*

[b] *Sarisburg-um*,—unde, mutato (ut aliàs) *burg* in *bury*, *Sarisburi-a* et inde natum *Salisbury** derivata sunt,—secundùm ipsum quidem Brev. Sarisb. per aphæresin pro *Cæsarisburgum* dictum est: confer mediævum *Saragosta*, unde hodiernum *Saragossa*, ipsum ab antiquo *Cæsaraugusta* per eandem aphæresin dictum. Plura vide ad finem Prolegomenorum.—Ecclesiæ autem Sarisburiensis usum sequebatur, non ista tantum Diœcesis, sed tota fere Provincia Cantuariensis. Excipiendæ sunt tamen Diœcesis Lincolniensis quæ (ut Provincia Eboracensis) suum, et Wallicæ Diœceses, quarum (ut videtur) Bangorensem Septentrionales, Meridionales Herefordensem usum sequebantur. *Ordinale* autem Sarisb. (v. ad Proprii de Tempore p. 1), non Angliam et Walliam tantùm, sed et totam ferè Hiberniam usurpasse in Polychronico (lib. 7, c. 3) dicitur. Quod si verum est, fortasse et alia e celeberrimo usu isto in usus fraternos derivata sunt.

* Confer *Helfordensis* pro *Herfordensis*, i.e. *Herefordensis*.

Digitized by Google

cum supplementis et annotatione nostrâ: quibus collatis Officium integrum inveniet.

Quum verò in Brev. Romano vel ante Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam (quæ tam apud Sarisb. quàm apud Brev. Romanum Officio præponi jubentur), non ex præscripto quidem, sed tamen ex consilio recitanda proponatur orationis forma sequens,

" ORATIO *dicenda ante Divinum Officium.*

" Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen sanctum " tuum: munda quoque cor meum ab omnibus vanis, perversis, et " alienis cogitationibus: intellectum illumina, affectum inflamma; " ut dignè, attentè, ac devotè hoc Officium recitare valeam, et " exaudiri merear[c] ante conspectum divinæ Majestatis tuæ. Per " Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

" Domine, in unione illius divinæ intentionis[d] quâ ipse in terris " laudes Deo persolvisti, has tibi Horas persolvo.",

quæri potest an et ante Officium Sarisburiense, ex consilio saltem, oratio aliqua dicenda fuerit. Et in unâ certè, eâque omnium quas nobis videre contigit maximâ et splendidissimâ Breviarii Sarisburiensis editione, cujus editionis duas diversorum annorum (1516[e] et 1531[f]) impressiones vidimus, harum orationum prior, breviore illa quidem formâ, sed cum conclusione pleniore, Psalterio his verbis præposita videtur:

" *Brevis oratio et peculiaris ante Horas.*

" Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen tuum: munda " quoque cor meum ab omnibus vanis cogitationibus; ut exaudiri " merear ante conspectum divinæ Majestatis tuæ. Per Dominum

[c] Hujus verbi in scriptis Ecclesiasticis significatio est, *ea faciendo quæ Deus jubet*, PER EJUSDEM GRATIAM CONSEQUI. Quam significationem qui ignoraverunt, nodum in scirpo quærentes, multis modis nugati sunt.

[d] I. e. adjungendo me ad illam divinam intentionem.

[e] In Bibl. Bodleianâ Douce folio B. subt. 7: nobis "*Douce Ref.*": unde, non ex impressione alterâ, lectiones variantes a nobis memorandas descripsimus.

[f] In Bibl. Coll. Exon. Ox. D. 5. 12.

Digitized by Google

" nostrum Jesùm Christum Filium tuum, &c. [*nempe*, Qui tecum " vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula " sæculorum. Amen.]"

Quum verò et multis aliis modis, et præsertim eo quòd duplo longiores sunt Nocturnorum lectiones, ab reliquis omnibus, tam ab antiquioribus quam ab recentioribus, editio ista discedat,—quantumvis magni sint momenti quæ in eâ, sive ad explicationem pleniorem (ut numeri ad folia remittentes, et insertiones longiores plurimæ), sive ad antiquiorum restitutionem (ut fortasse lectionum additamenta) illata inveniuntur,—etiamsi quantùm ad res ipsas nihil aliud mutatum fuisset, quod non omnino verum esse videtur, a reliquis tamen, i. e. a Breviario Sarisb. *Communi* (quod meritò, ut jam supra diximus, editionis nostræ textus est) distinguendam, et nomine suo, Breviarium Sarisb. *Reformatum* appellandam fuisse manifestum est. Et quum Breviarium Sarisb. Commune, sub titulo "*De Horis Canonicis attende diligenter.*" ad devotissimam Horarum recitationem hortans, de Crucis tantùm signo Orationi Dominicæ et Salutationi Angelicæ præponendo his verbis mentionem faciat,

" Initiando denique muniat se signo sanctæ Crucis, præmittens " Orationem Dominicam cum Salutatione Angelicâ, ut divina " assistat gratia, quâ mens in laudem Dei devotiùs elevetur, ac " obsequium illud Creatori acceptabilius reddatur." ,

etiamsi apud Anglos quoque, præsertim recentiores, talem quandam orationis formam in usu fuisse nequaquam improbabile est, devotioni tamen Clericorum potiùs quam Ecclesiæ consilio ejusmodi quævis oratio tribuenda videtur.

Illud autem, cum signo Crucis verba quoque eadem quæ hodie ("In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen.") dicenda fuisse, etiamsi id non disertè præcipitur, dubitari tamen non oportet. Quum verò non modò reformata illa Breviarii Sarisburiensis editio, de Oratione Dominicâ Horis præponendâ ante Psalterium loquens, ex Hieronymo citet " In principio cujuslibet operis præmitte Orationem Dominicam et signum Crucis *in fronte :*" verùm etiam in initio Missæ eadem hæc verba, quæ in Missali Romano signando se signo

Digitized by Google

Crucis "a fronte ad pectus" (i. e. tangendo frontem dum nominetur *Pater*, pectus dum nominetur *Filius*, humerum sinistrum dum dicatur *Spiritus*, dextrum verò dum dicatur *Sanctus*), in Missali Sarisburiensi contra signando se "*in facie*" proferri præcipiantur, non omnino improbabile videri potest ante Horas etiam Sarisburienses, non hodierno more a fronte ad pectus sed, in fronte solà sanctum illud signum signandum fuisse.

At Psalterio Romano præponitur etiam orationis forma sequens post Officium completum, ex consilio, ad sequentem Leonis X. (qui ab A.D. 1513 ad annum 1522 Ecclesiæ præfuit) indulgentiam consequendam devotè recitanda:

" *Orationem sequentem devotè post Officium recitantibus Leo Papa* " *X. defectus et culpas in eo persolvendo ex humanâ fragilitate con-* " *tractas indulsit.*

" Sacrosanctæ et individuæ Trinitati, crucifixi Domini nostri Jesu " Christi humanitati, beatissimæ et gloriosissimæ semperque virginis " Mariæ fecundæ integritati, et omnium Sanctorum universitati, sit " sempiterna laus, honor, virtus, et gloria, ab omni creaturâ, nobisque " remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum. " ℟. Amen.

" ℣. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Pa- "tris Filium. ℟. Et beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum.

" Pater noster. Ave Maria."

Quæ quum indulgentia ad nostra etiam Officia pertinuerit, dubitari non debet orationes quoque (etiamsi memoriæ et hæ potiùs quam libris imprimebantur) ab Anglicano (exceptis tantùm Henrici VIII. et Edvardi VI. fautoribus) non minùs quàm a Clero Romano libenter dictas fuisse.

Ut verò ad singulas ipsius Officii partes redeamus,—quæ statim in Rubricâ primâ non admodum facilis occurrit locutio "*à* Domine ne in ira", ea consuetus est modus indicandi Dominicam primam post Octavas Epiphaniæ, in cujus Dominicæ Officio Nocturno inchoantur Epistolæ Paulinæ, et primæ lectionis Responsorii initium est "Domine, ne in ira tua arguas me," &c.—Similiter autem "*à* Deus

Digitized by Google

omnium" (p. 1 b. *i.e.* p. 1. col. 2) significat 'a Dom. primâ post Festum Sacrosanctæ Trinitatis', cujus itidem post primam lectionem (quod initium est 'Libri Regum[g]') Responsorii verba prima sunt, "Deus omnium exauditor est," &c.

P. 1 b.[h] lin. 2, pro *Per* scribe *In*: et lin. 5, post "Creator" adde, (p. 99 a.)

In *Paraclitus*, e Græco Παράκλητος derivato, primùm per *iotacismum* ē in ī (cf. ad p. 16 a. et 111 a), deinde ne retento accentu Græco accentuationis Latinæ lex violaretur, ubicunque metrum admitteret, ī in ĭ[i], aliàs autem accentûs sedes mutata est. Utriusque verò mutationis exemplum in uno eodemque Hymno *Veni Creator* obvium est; siquidem legitur, in secundo quidem tetrasticho *Qui Paraclī'tus diceris*, in ultimo autem *Sancto simul Paráclĭto*. De *iotacismo* autem plura vide ad p. 111 a.

De Psalmis verò notandum est, quum in Breviario Romano *Gloria Patri* post singulos quosque Psalmos, "*nisi aliter notetur*", dicendum sit,—in Sarisburiensi contra, non alibi dicendum esse quàm ubi aut reipsa insertum sit, aut aliorum locorum comparatione inserendum esse ostendatur. Itaque, id quod in Rubricis Proprii de Tempore Dom. 1 Adventûs et Dom. 1 post Octavas Epiphaniæ disertè jubetur, Psalmi duodecim qui in Officio Ordinario[k] Nocturni

[g] I. e. *Quattuor Librorum Regum*, sive (sec. Hebræos), *Samuelis et Regum.*

[h] I.e. Psalterii &c. p. 1. col. 2.

[i] Eadem accentûs Græci retinendi cura penultimam aliàs *produxit*, ut in *Marĭ'a** (Gr. Μαρῐ́α ex indeclinabili Μαριάμ, Heb. sec. pronuntiationem antiquiorem versionis LXX. *Marjâm*†, sec. recentiorem punctuationem Masoreticam *Mirjâm*†).—Nequaquam autem hæc ideo fiunt quòd aut accentus in antepenultimâ penultimam brevem, aut in penultimâ ipsâ eandem longam necessariè, sive *per se*, poscat, sed quia pronuntiationis *Latinæ* talis est lex.

[k] Duobus Dominicis proximè præcedentibus festum Paschæ, scil. Dominicâ in Passione Domini et Dom. in Ramis Palmarum, etiamsi ultimo tantùm Triduo omittitur *Gloria Patri* (v. ad p. 117 tit.), una tantùm Antiphona in unoquoque Nocturno dicitur. Confer quæ de commemorationibus ad p. 30 b. dicentur.

* Ut hodie quidem plerumque effertur.
† More antiquo, ut Angl. *y* cons., efferendum est *j*.

Digitized by Google

primi diebus Dominicis psalmodiam constituunt, ii omnes " sub" tribus *Gloria Patri* et tribus Antiphonis, quaterni scil. sub singulis *Gloria Patri* et singulis Antiphonis, dicendi sunt. In secundo autem et tertio Nocturno tres Psalmi sub totidem *Gloria Patri* et totidem Antiphonis dicuntur. De feriali[1] verò et festorum Officio v. ad p. 30 b.

Antiphonæ autem (Anglicè, *the anthems*), etiamsi non in Sarisburiensi, quemadmodum in Breviario Romano, earum initia reipsa ante Psalmos suos imprimuntur, similiter tamen, in Officio quidem Dominicali et feriali et in festis simplicibus, semper,—in festis autem duplicibus, quotiescunque non tam ante quàm post eos integræ percantandæ sunt,—ante eos nihilo minùs quoad unum, duo, vel tria verba incipiendæ.

Duplex autem Antiphonæ percantatio (vel recitatio), apud Brev. Romanum, in festorum duplicium Vesperis utrisque, Matutinis, et Laudibus semper locum habet; apud Eboracense verò, tantùm ad Antiphonam super *Magnificat* et *Benedictus* pertinebat,—quæ in ejus Provinciæ Officio sine (*p*)*neumate* (i. e. sine organorum cantu sequente) ante, cum *neumate* autem post Canticum percantanda erat;—in Sarisb. vel minùs latè patebat, siquidem in eo ne A'na super *Magn.* quidem (si modò in Rubricâ de hac A'nâ, quæ in Officio Vig. Nativ. D'ni legitur, verba " *tantùm super Psalmum* Magnificat" parenthetica esse rectè judicamus) in Vesperis primis, præterquam in duplicium majorum sequentium, scil. festorum Nativ. D'ni, Epiphaniæ, Purif. B. V. M., Asc. D'ni, Pentecostes, Sacrosanctæ Trinitatis, Corporis Christi, Reliquiarum, Visitationis, Assumptionis, et Nativi-

[1] Operæ pretium est notare in scriptis Liturgicis *feria* et *ferialis* sensu ejus fere contrario dici quo apud scriptores ethnicos gaudent; siquidem apud ethnicos *feria* et *ferialis* idem fere cum *festo* sonant, in scriptis autem Liturgicis *festo* contraria sunt. Est autem *feria Ecclesiastica*, 1. quivis hebdomadæ dies, unde etiamsi aliàs neque Dominicæ neque festa *feriæ* vocantur, tamen quæ vulgo est *Dies Lunæ*, in linguâ Liturgicâ est *feria secunda*, et sic deinceps reliquæ usque ad *Sabbatum*, quod eo, non *feriæ septimæ*, nomine vocatur. Ita verò Dominicis et festis *feria* opponi videtur, ut adjectivum *ordinaria* subintelligatur. Cf. Anglicum *week-day*.

Digitized by Google

tatis B. V. M., Dedicationis Ecclesiæ, Omnium Sanctorum, et festi loci Vesperis primis duplicanda erant. Additæ sunt quidem in Rubricâ istâ primæ Vesp. Paschæ; hoc autem Rubricæ quæ in ipsius Paschæ Vigiliâ legitur, planè contrarium est: cui posteriori Rubricæ eo magis credendum videtur, quod vel in Brev. Eboracensi, in quo nullæ aliæ Vesperæ primæ excipiuntur, excipitur hæc Vigilia, et in eâ A'na ante quidem incipi tantùm, post Canticum verò tota sine neumate percantari jubetur.

Antiphonarum autem genera distingui possunt tria, 1. Quæ ex ipsis Psalmis suis sine applicatione speciali sumpta sunt. 2. Quæ ex ipsis Psalmis suis sumpta, levi quâdam (si opus fuerit) verborum mutatione eorundem ad Officium quod agitur sensum applicant. 3. Quæ aliunde sumpta sunt.—Primi autem generis sunt quæ in Officio Ordinario, scil. in Psalterio, inveniuntur. Secundi quæ in Officio non Ordinario Psalmis non Ordinariis (aliquando etiam Ordinariis) inserviunt. Tertii quæ aliàs in Officio non Ordinario cum Psalmis Ordinariis dicuntur.

Psalmi autem Ordinarii, scil. qui in Psalterio unicuique Horæ assignati sunt, extra Vesperas et Officium Nocturnum semper dicuntur: in Officio autem Nocturno,—(1) extra tempus Paschale, in omnibus festis et commemorationibus (v. ad Pr. 1), exceptis festis iii. lectionum sine *Te Deum* (v. p. xii), et in Octavâ S. Andreæ etiamsi in Adventu non dicitur *Te Deum*, pro 18 Dominicalibus vel 12 ferialibus (v. ad p. 30 b) unicuique diei in Psalterio assignatis, aut tres trium aut unus novem,—(2) in tempore autem Paschali, scil. a Dominicâ Resurrectionis inclusivè ad Festum S.S. Trinitatis exclusivè, de quocunque fiat Officium, unus tantùm trium Psalmorum Nocturnus dicitur:—in Vesperis rariùs mutantur Psalmi.

P. 2 a. Pro *D'nus* scribe *Dns.*

P. 2 b. &c. *Non dicitur ad Nocturnos &c.*] In hôc monito, ubicunque occurrat, scribe *ad Nocturnum.* De sensu autem vide ad Pr. 14. a.

P. 3 a, Ps. 6, pro " D'ne quoniam" scr. " D'ne, quoniam".

P. 3 b. Deleantur "[et exultate ei cum tremore]." et præcedens comma in punctum mutetur.

Digitized by Google

P. 7 a. Pro *Per Octavas* scribe *Post Octavas*, etiamsi in omnibus libris nostris scriptum est *Per*.

P. 7 a, 10 a, et 11 b. De reliquâ (post Versum) cujusque Nocturni parte v. Pr. 5 a—8 b[m], cum annotatione nostrâ.

De "appropinquavit" p. 10 b, "lux vera est fulgens in cœlis." p. 11 a, et "*Non dicatur ulterius.*" p. 11 b, v. ad Pr. 7 a.

In Cantico Ambrosii et Augustini,—quod (quando dicendum est) Nocturnos claudit,—p. 11 b. Brev. Sarisb. Aramaico (i. e. Syriaco sive Chaldaico) plurali *Cherubin et Seraphin*, Rom. Hebraico *Cherubim et Seraphim* utitur: p. 12 a. Sar. *famulis tuis*, Rom. *tuis famulis* legit. In eodem Cantico, p. 11 b. lin. penult. pro *Filus* corrige *Filius*.

Non dicitur autem *Te Deum*, de quocunque fiat Officium, per totum Adventum, neque a Dominicâ in Septuagesimâ inclusivè usque ad diem Paschæ exclusivè. Reliquo verò anni tempore dicitur in omnibus Dominicis et festis ix lectionum (v. ad Pr. 1): in festis autem iii lectionum dicitur præterquam in vigiliis, in Quattuor Temporibus extra hebdomadam Pentecostes, et in quattuor hîc sequentibus iii lectionum festis, scil. 1. S. Petronillæ Virginis (Prid. Cal. Jun.) quando post Octavas Corporis Christi (i. e. post feriam quintam secundæ post festum S.S. Trinitatis hebdomadæ) contigerit, 2. S. Bertini Abbatis (Non. Sept.), 3. S. Teclæ Virginis non Martyris (ix Cal. Oct.), 4. S. Romani Archiepiscopi et Confessoris (x Cal. Nov.). In Dominicis verò et ix lectionum festis, quotiescunque non dicitur *Te Deum*, repetitur Responsorium nonum.—Hæc autem e Rubricis Dom. 1 Adv. (Pr. 8 a b. ubi vide annotationem nostram) et festi Nativ. D'ni exposita sunt.

P. 12 a. Secundùm usum Romanum, post Horas reliquas, si non immediatè subsequatur Hora proxima vel Missa, *Pater Noster*,—post Completorium verò, sive subsequatur sive non, tam *Pater noster* quàm *Ave Maria* et *Credo* semper adduntur. In initio autem, —solis Laudibus, et ne his quidem nisi immediatè Nocturnos subsequantur, exceptis,—ante reliquas quidem Horas *Pater noster* et

[m] I. e. Proprii de Tempore Adventûs p. 5 a — 8 b.

Digitized by Google

Ave Maria, ante Nocturnos et Primam tam *Pater noster* et *Ave Maria* quàm Symbolum Apostolicum semper dicenda sunt. De usu Sarisb. plura vide ad Pr. 4 a.

Versiculus ante Laudes, Sacerdotalis ideo vocatus, quòd ab ipso Sacerdote Officii executore dicebatur,—qui in Brev. Romano nullus est,—ejusdem omnino generis esse videtur, cujus sunt Versiculi *Domine labia mea* qui in Matutinis et *Converte nos* qui in Completorio Versiculo *Deus in adjutorium* &c. præponuntur, nisi quod ille variatur, hi invariabiles sunt. Cf. autem notam ad annot. ad p. 117 tit.

Deus in adjutorium &c.] Hic Versiculus (hodie saltem) signando se signo Crucis a fronte ad pectus dicitur. Vide supra p. vii, viii.

pro temporis diversitate.] Quia a Vesperis primis Dominicæ in Septuagesimâ (i. e. a Vesperis præcedentibus) usque ad Missam in Vigiliâ Paschæ (quæ post Nonam demum locum habet) non dicitur *Alleluja.*

P. 12 b, Ps. 99, pro *in generationem et generationem*, quæ Romana est lectio, sec. Brev. Sarisb. legendum *in generatione et generationem*, quod idem significat ac si dicatur *in generatione et in generationem.* Similiter et in Ps. 30. p. 100 b, pro lectione Romanâ *laqueo hôc*, sec. Brev. Sarisb. legendum (ut p. 32. rectè legitur) *laqueo.*—De hujusmodi autem erratis hoc in universum notandum est,—quum in Psalmis et cæteris quibusdam imprimendis typographus Breviarii Romani foliis correctis uteretur, pericula verò typographica cum Brev. Sarisb. conferrentur, varietatem unam et alteram correctorum oculos effugisse: quas cum reliquis omnibus mendis ut calamo corrigat et nobis ignoscat a lectore benevolo petimus.

P. 13 a. et 14 a et b. Meminerit lector quæ de *Gloria Patri* jam supra (p. ix) diximus.

P. 14 b, Ps. 149, pro *filie*, et p. 54 b, Ps. 64, pro *vespere*, vitia quæ ex antiquo scribendi modo nata videntur, corr. *filiæ* (pro quo tamen Brev. Rom. cum textu Biblico *filii*) et *vesperæ*;—et loco priore pro *rege suo* scribe etiam *Rege suo.*

P. 15 b. De Antiphona ad *Benedictus*, et Oratione propriâ post eandem (interposito tantùm "*Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus.*") dicendâ, v. quæ inter Formulas Communes (p. 122) anno-

Digitized by Google

tavimus. Cf. etiam p. ix—xi: et ad finem Cantici, pro *patri* scr. *Patri.*—Post Orationem autem cum integrâ conclusione (*Qui* &c. v. p. 23 a) completam, iterum dicitur *D'ns vob. Et cum.* Deinde, *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.*

Postea verò si festi alicujus 'Memoria' facienda sit, dicitur primùm ejus festi Antiphona ad *Benedictus*, deinde Versiculus, et postremò (præposito tantùm *Oremus.*) Oratio propria. De modo autem concludendi Orationem, vel (si plures fuerint Memoriæ) Orationes, v. Rubricam in Proprio de Tempore Adventûs, p. 3 a. Post ultimam verò Memoriam repetitur *D'ns vob. Et cum.* post quod sequitur, quod in Romano quidem Officio hîc solùm dicitur, *Bened. D'no. Deo gr.*

Post Memorias autem (si faciendæ essent Memoriæ) addebatur Officio Sarisburiensi (non autem ubique, neque enim, id quod ex *Defensorio Directorii*[n] discimus, in Ecclesia Wellensi[n]) qui statim sequitur *Ps. cxxij* (sic enim corrigendus est numerus), cum *Gloria Patri* et cæteris quæ sequuntur "*pro pace Ecclesiæ*" dicendus: v. Completorium, p. 108. (De "*Pater noster. Et ne* &c." vide infra.) Orationis autem conclusio, *Per* [*Christum*] *Dominum* [*nostrum. Amen*]. legenda esse videtur. Cf. Compl. l. c.

Post hanc autem conclusionem breviorem,—sive interposito sive non interposito *Bened. D'no. Deo gr.* vel solo vel cum præcedente *D'ns vob. Et cum*,—ultimo loco ante Orationem Dominicam (quando Oratio Dominica dicenda esset: v. ad p. 12 a), tam post hanc quàm post reliquas omnes Horas (nam de Completorio, quæ sola Hora in Brev. Rom. excepta est, e Proprii de Tempore Adventûs p. 4. testimonio constat) formulam *Fidelium animæ* dicendam fuisse non improbabile videtur. Quæ tamen formula in Brev. Sarisb. non Romano (*per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.*), sed suo pergit ordine, *per Dei misericordiam in pace requiescant. Amen.*

P. 16 a. Kyrie eleison &c.] Notandum est, 1. in *eleison* (pro *eleēson*, i.e. *ἐλέησον*), primùm per *iotacismum*[o] *ē* in *ī* mutatum, deinde *ī* correptum[p] et in diphthongum cum *ĕ* præcedente contractum esse;—2. in *Kyrie* et *Christe*, vocalem ultimam plerumque aut elisam aut

[n n] V. ad p. 24 b. [o] Cf. ad p. 1 b (p. ix) et 111 b.
[p] Cf. iterum ad p. 1 b (p. ix).

Digitized by Google

per crasin cum *ĕ* sequente conjunctam esse;—ut totum ***Kyrie eleison*** non per septem, sed aliquando quidem per sex syllabas *Ky-ri-ĕ ĕ-lei-son* vel *Ky-ri-ē-lĕ-ī-son*, sæpius autem per quinque *Ky-ri' ĕ-lei-son* vel *Ky-ri-ē-lei-son*,—totum verò *Christe eleison* non per sex, sed aliquando quidem per quinque syllabas *Chris-tĕ ĕ-lei-son* vel *Chis-tē-lĕ-ī-son*, sæpius autem per quattuor *Chris-t' ĕ-lei-son* vel *Chris-tē-lei-son* prolatum sit. Hæc autem vera esse, non modo crebrò in libris antiquis recurrens scriptura *Kyrieleyson*, (vel *Kyri el.*), *Christeleyson*, verùm etiam notatio musica in libris notas habentibus, et præsertim ipsæ syllabarum divisiones in Graduali Sarisb. repertæ, certò demonstrant.

Pater noster. Et ne nos. Sed libera.] Secundùm usum quidem hodiernum hæc verba significant Orationem Dominicam secretò dicendam esse usque ad illa verba *Et ne nos* [*inducas in tentationem.*], quæ a Sacerdote clarâ voce proferenda sunt, quemadmodum et quæ sequuntur *Sed libera* [*nos a malo.*[q]] a Choro respondenda sunt. Secundùm usum autem Sarisburiensem, aliquando saltem ante pronuntiationem conclusionis *Et ne* &c. Orationem totam cum ipsis illis verbis et *Amen* secretò dicendam fuisse non modò ipsarum Rubricarum,—tam quæ in Completorii Precibus, saltem apud Psalterium[r], Salutationem Angelicam, et ante Nocturni primi lectiones in plerisque quidem libris Symbolum Apostolicum, in quibusdam verò hîc etiam *Ave Maria* (v. Pr. 5 a. cum annot. nostrâ), inter *Pater noster* et *Et ne* interponit,[s] quàm quæ (per exceptionem non minùs probans regulam) in Vesperis Mortuorum, saltem apud Breviarium[t] (p. 117 a),

[q] Non additur *Amen.* post *Et ne nos* &c. clarâ voce prolata.

[r] P. 107 a. In Proprio de Tempore (p. 4 a) omissum est *Ave Maria.*

[s] Sic et Brev. Heref. in Commendatione Animarum: "Pater noster. Ave Maria. Et ne—."

[t] In Manuali quidem omissum est *Ave Maria.* Operæ pretium est autem notare quàm parum de hujusmodi interpositionibus libri inter se concordent,* quod quidem e diverso diversorum locorum consuetudine fortasse explicandum est. Morem autem ipsum interponendi sive Salutationem sive Symbolum non admodum antiquum fuisse suspicamur.

* Ne in ipsius quidem B.V.M. 'Horis &c.' (v. p. xvi) ante lectiones *Ave Maria* semper insertum est.

Digitized by Google

post "Pater noster *et* Ave Maria" subjungit statim "*sine pronunciatione* Et ne nos.",—verba satis ostendunt, verùm etiam testimonium disertum,—tam quarundam '*Horarum &c.*'[u] editionum, in quibus (ut e.g. in Gough 105[x], A.D. 1557, p. 39) ante lectionem primam in B.V.M. Matutinis *Pater noster*, *Ave Maria*, *Et ne &c.* omnia pleno vocabulorum numero descripta sunt, quàm libri Anglici cui titulus *Speculum Dominæ Nostræ*[y], in quo non res tantùm præcepta, sed et ratio reddita est,—omnino certum facit.

Quando autem neque *Ave Maria* neque *Credo* interponitur, tunc etiam, antequam inciperetur *Et ne*, Orationem totam secretò dicendam fuisse, etiamsi de hôc testimonium disertum non vidimus, tamen et per se minimè improbabile, et Rubricarum quarundam verbis[z]

[u] Anglicè *The Primer*.

[x] In Bibl. Bodleianâ.

[y] Anglicè *The Mirrour of Our Lady*: expositio nimirum spiritualis et pulcherrima Officiorum B. V. M., A.D. 1530. Londini edita.

[z] E. g. in Commendatione Animarum apud Manuale Sarisb. "*Deinde dicatur* Pater noster. *et, sine pronunciatione* Et ne nos inducas, *sequatur sine notâ* (v. ad p. 24 b) *iste Psalmus:* Domine probasti me *&c.*";—in Vigiliis Mortuorum ibidem, "Pater noster. Deinde, *sine pronunciatione* Et ne nos, *dicatur iste Psalmus sine notâ:* Lauda anima mea &c." (v. ad p. 117 a);—in Officio Feriæ Sextæ in die Parasceues apud Breviarium ipsum, "Pater noster. *Non dicitur* Et ne nos.";—in Off. Fer. 4 Cinerum ap. Manuale et Processionale, "—Pater noster. *Et hæc dicantur omnia sine notâ* (in Pr. *o. s. n. d.*)—. *Deinde erigat se Sacerdos—et dicat* (in Pr. *et—dicat*)—Et ne—.";—in Precibus ad Missam in Missali, "—Pater noster. *Et hæc omnia dicuntur sine notâ—. Deinde dicat Sacerdos cum notâ*, Et ne—.";—in Precibus Dominicalibus in initio Processionalis, "*sequatur*—Pater noster. *Deinde dicat Sacerdos in audientiâ, sed sine notâ*, Et ne nos. Sed libera.";—et huic omnino similem locum in Psalterio nostro, p. 108 b, ut in annotatione quidem (q. v.) correctus est. Sic et Brev. Ebor. in Pr. de T. Adv.: "Pater noster *&c. Dictâ autem Oratione Dominicali a singulis secretè, Sacerdos dicat* Et ne—." Confer etiam testimonium vel magis disertum libri tertii qui ab Henrico VIII. sub nomine *The Primer* promulgatus est, A. D. 1545, apud quem in Litaniâ idiomate Anglico scriptum legitur: "Pater noster, qui es in cœlis. cum residuo τοῦ Pater-Noster (*with the residue of the Pater-Noster*). Et ne nos inducas in tentationem. *Sed libera nos a*

Digitized by Google

nobis quidem magis consentaneum videtur. Adde etiam quòd ratio in *Speculo* supra memorato reddita, (quæ tamen ad lectiones præcipuè spectat,) non minùs de *Pater noster* solo quàm de *Pater noster* cum *Ave Maria* vel *Credo* sequente valet.—Meminerit autem lector, quæ de "*Pater noster. Et ne* &c." diximus, ea, mutatis mutandis, de "*Credo in Deum. Carnis resurrectionem. Et vitam æternam, Amen.*" (p. 22 b. &c.) similiter intelligenda esse.—Plura de modo dicendi *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Credo* vide in Proprio de Tempore p. 5 a. cum annotatione nostrâ.

De Primâ.

Hymno,—tam in Primâ, quàm in Tertiâ, Sextâ, et Nonâ,—præponenda sunt *Deus in adjutorium* &c.: v. p. 12 a. Harum autem quattuor Horarum, id quod vel ex *titulo* (quem vocant) *currente* videbitur, non Dominicale tantùm, verùm etiam feriale Officium in his paginis reperietur.

P. 16 a — 18 b. Psalmi 21—25, qui in Breviario nostro (quando dicuntur: v. Pr. 10 a) Psalmo *Deus in nomine* (p. 26 b) diebus Dominicis præponuntur, ita in Rom. hodierno distribuuntur ut, in Officio Feriali Ordinario, ferià sextâ (ob Passionem Domini) Ps. 21, fer. 5. Ps. 22, feriis autem 2, 3, et 4, Pss. 23, 24, 25, singuli singulis, post Psalmum istum dicantur; in festis verò et tempore Paschali (v. p. xi) omittantur.

Ps. 17 b. Post Psalmi 24 v. 1. adde punctum.

P. 19 a. Psalmus *Confitemini*, ut in Brev. Romano, solis diebus Dominicis dicitur.

P. 20 b. *quando* DE FERIA *agitur*] Libri *de do.* i. e. *de Dominicâ*, quod si forte retineri potuit, ita saltem intelligendum erit ut idem quod *de feriâ* significet, quando scil. Missa et Oratio Dominicalis dicenda, et lectiones de Scripturâ Dominicali legendæ sunt. Sensu verò tali "*de Dominicâ*" dici, alibi nusquam (saltem in Brev. Sarisb.) legisse recordamur. In Gough 68 (v. notam *i* p. xxiii) verba "*a* D'ne —*agitur*" non leguntur.

malo. Amen." Ubi per incuriam tantùm additum videtur *Amen.* (v. notam *p*); siquidem in ejusdem libri Matutinis (ante primam lectionem) rectè omissum est.

Digitized by Google

Symbolum Athanasii.] Ex Antiphonis "super *Quicunque*" (p. 21, 22) apparet, non (ut apud Brev. Rom.) in Dominicali tantùm Officio, sed *quotidie*[a] dictum fuisse, atque ita quod in Laudibus *Benedictus*, quod in Vesperis et Completorio *Magnificat* et *Nunc dimittis*, idem in Primâ divinum hoc Canticum præstitisse.

P. 21 b. *quandocunque dicitur*] V. Pr. 10 a.

cum regimine chori, et *quando chorus regitur*] Quando rectores habet, quod in solenniori tantùm Officio fit. De his autem rectoribus in Tractatu *Crede Michi*[b] vocato, post *Defensorium Directorii* Ordinali[c] Sarisb. appenso, legimus:

"In festis *principalibus* quattuor erunt rectores chori de superiori gradu[d]: sed in *majoribus duplicibus* duo principales rectores "de superiori gradu, et alii duo de inferioribus."

'*Preces*' ad Primam quidem et Completorium (v. p. 107 a b), extra hebd. Paschæ, et Triduum præcedens, semper, ad reliquas autem Horas (v. p. 39 b.) in feriali tantùm Officio Orationi sive Collectæ præponuntur;—et semper a *Kyrie el.*, *Chr. el.*, *K. el.*, singulis in Off. Sarisb. Ebor. et Heref. ter, in Romano autem semel tantùm repetitis incipiunt, et Versiculo *D'ne exaudi—veniat.* (p. 23 a) finiuntur. De Precibus autem Romanis plura vide ad p. 39 b et 100 a.

Ante *Repleatur &c.* Brev. Eboracense cum Romano inserit: "Et ego ad te D'ne clamavi. Et mane oratio mea præveniet te."

P. 23 a. *Deinde dicitur* &c.] De Off. Ebor. v. ad Compl. p. 106 a.

P. 23 b. In hac horâ &c.] In Breviariis Ebor. et Heref. semper dicitur Oratio "D'ne sancte &c." (p. 24 a.): in Rom. Oratio huic similis.

P. 22 b. Pater noster. Et ne *&c.*] V. ad p. 16 a.

Credo in Deum. Carnis &c.] V. ad p. 16 a.

P. 24 a. peccatum] In Brev. Heref. *mortale peccatum.*

Per.] I. e. "Per Dominum nostrum &c." ut in Oratione præcedente. Sic et p. 24 b.

[a] Confer *The Primer*, in quo (e. g. in Gough 103. p. 17: v. p. xv) 'Symbolum &c. *quotidie* in Ecclesiâ lectum' vocatur.

[b] De hoc scribendi modo v. ad Pr. 3 b.

[c] V. ad Titulum Proprii de Tempore.

[d] V. ad Pr. 3 b.

Digitized by Google

De Officio Capitulari ad Primam adjuncto.

Deinde dicat Sacerdos sic :] I. e. in privatâ recitatione: in Ecclesiis autem Cathedralibus et (si Breviarii Herefordensis distinctioni fidendum est) ubicunque aliàs Martyrologium[e] habebatur, e Martyrologio priùs legendum erat:—ad quam quidem lectionem, etiamsi vel in privatâ recitatione retinendus erat, Versiculus sequens præcipuè respiciebat. Notandum est autem Officii Primæ, propriè sic dictæ, Collectam præcedentem (cum *D'ns vob.* &c.: v. ad p. 15 a) pro termino primitus habitam esse, quæcunque autem sequebantur, appendicis loco, "*post* Primam", et in Ecclesiis quidem Capitularibus *in Capitulo*, sive *Domo Capitulari* (Angl. *the Chapter-House*) dicta fuisse: unde etiam Officium ipsum *Capituli* nomine vocatum est: v. Brev. nostrum in Off. fer 5 in Cœna D'ni. Hinc autem explicandum quod Breviarii Romani lectores hodiernos adeo torquet, "ad absolutionem Capituli" (v. ad p. 24 b); quod nihil aliud significat quam "ad finem ejus Officii quod, quia post Primam in Capitulo, sive Domo Capitulari, antiquitus dicebatur, ipsum inde *Capitulum* vocabatur". Quod quidem Officium hodie ipsius Primæ pars censetur.

Post Versiculum autem *Pretiosa*, quotidie per annum, præterquam Die Parasceues et in Vigiliâ Paschæ, quibus solis diebus non ibatur ad Capitulum,—præcedente quidem benedictione immutabili "Omnipotens D'ns suâ gratiâ nos benedicat",—legenda erat lectio altera, et quidem, extra Octavas Assumptionis Nativitatisque B. V. M., de S. Haymone.—Hæc autem, nullibi in Breviario ipso (quantum notavimus) inventa[f], e Tractatu *Crede Michi* (v. ad p. 21 b) edocti sumus—De lectione secundâ Herefordensi v. infra.

mater D'ni Dei nostri] Brev. Ebor. et Heref. omittunt *Dei*.

atque omnes sancti] In Off. Herefordensi, si lectum fuerit martyrologium, dicendum est *et isti atque omnes sancti :* sin minùs (saltem in libro a nobis inspecto[g]), *atque sancti* tantùm.

[e] Martyrologium est Catalogus, cum quâdam notitiâ, Sanctorum uniuscujusque diei.

[f] Alludit quidem ad hanc alteram lectionem Rubrica de Officio Feriæ Sextæ in Die Parasceues, cujus verba sunt, *post primam lectionem de Martyrologio*, q. d. *post primam lectionem, scil. lectionem de Martyrologio.*

[g] Gough 69 in Bibl. Bodl.: ubi dolendum est Æstivalem tantùm partem (scil. dimidium) reperiri.

Digitized by Google

ut nos mereamur] Brev. Heref. omittit *nos*.

Eodem modo] Contra in Off. Heref. tertiâ vice dicitur "Clementissime Pater Deus in adjutorium &c."

lin. antepenult. *non regitur*] Erratum grave: corr. *regitur*.

P. 24 b. In "[et regnat—Amen.]" omitte uncinos: nam in Gough 68 omnia plenè descripta sunt. V. ad p. 103 b. et 108 a.

Post Orationem verò Capitularem secundam, (quæ in Brev. Ebor. et Heref. semper est *Omnipotens &c.*, in Rom. semper *Dirigere &c.* aliquanto quidem plenior, sed sine *D'ns vob. &c.* et *Bened. &c.* sequentibus,) sequitur in Heref. ut in Brev. Romano lectio cum *Jube &c.* et benedictione: v. Pr. 5 a. Est autem benedictio Herefordensis "Sapientiam suam doceat nos omnipotens et misericors D'ns": Romana verò "Dies et actus nostros in suâ pace disponat D'ns omnipotens." Legitur autem in Off. Rom. in festis quidem Capitulum Nonæ, aliàs verò lectiones quædam æquè breves quæ in Brev. assignantur: in Herefordensi "*lectio de om.* (i. e. *homeliâ*, rectiùs *homiliâ*) *Euangelii Dominicalis*". Post lectionem verò (saltem in Off. Rom.) dicitur "Tu autem &c." (v. ibid.) cum "℟. Deo gratias."—De lectione secundâ Sarisburiensi v. supra.

quandocunque] V. Completorium, p. 108 a b.—De hac autem Rubricâ in *Defensorio Directorii* (v. ad p. 21 b) annotatio sequens legitur:

"Item illa Rubrica quæ scribitur pro Psalmo *Levavi* creditur a "multis non esse generalis, sed cærimonialis [i. e. ad cærimonias "ipsius Eccl. Sarisb. peculiares pertinens]. Nam in Ecclesiâ "Wellensi Ps. *Ad te levavi* [et] Ps. *Levavi* omnino tacentur, nec "dicuntur sicut in usu Sarum."

post tabulam lectam] *Tabulam* non modò benefactorum pro quibus specialiter orandum erat, officiorumque a singulis Clericis puerisque sive per hebdomadam sive per diem præstandorum, verùm etiam (si modò a precibus "post tabulam lectam" recitandis conjicere licet) ægrotorum cæterorumque pro quibus itidem ob necessitatem quandam specialiter orandum erat, saltem appendicis loco, catalogum comprehendisse non improbabile videri potest.—Quæ quidem tabula, etiamsi Die Parasceues et in Vigiliâ Paschæ (v. ad p. 24 a)

Digitized by Google

non legebatur, "quotidie" tamen scribenda erat: v. Off. feriæ 5 in Cœnâ D'ni.

In ipsius autem feriæ 5 in Cœnâ D'ni Officio Capitulari "Letaniâ et tabula" martyrologio præponi videntur, quod tamen, etiamsi Rubricæ verba sunt "*Letania et tabula more solito legantur*", non magis de tabulâ ad dies alios trahi debet, quàm de Litaniâ,—quam e feriæ 2. hebd'æ 1. XL Rubricis constat non ad Primam, verùm post Tertiam (præcedentibus Psalmis Gradualibus) ab istâ feriâ 2 usque ad Cœnam D'ni, quotiescunque de feriâ ageretur, semper dicendam fuisse;—præsertim quum et in Off. Heref. post utramque demum Orationem Capitularem et (quæ in Brev. isto statim sequitur: v. supra) lectionem ex Homiliâ, tabula legenda sit.

In Officio autem Herefordensi, post tabulam lectam obitus, si quis evenerat, pronuntiandus erat: postea verò, sive fuisset obitus sive non, Ps. *De profundis* (p. 91 b) pro defunctis dicendus. Qui quidem Psalmus quum in Off. Sarisb. (v. Pr. 11 a. cum annot. nostrâ) post Nonam demum locum habuerit, dubitari potest an in Off. illo post tabulam lectam (velut ejusdem appendix) an post Horam istam ante Psalmum obitus quoque pronuntiandi fuerint.

sine notâ] I. e. (ut videtur) *sine variatione musicâ.*

Levavi &c.] De uno (ut videtur) hujus Officii scopo v. ad verba "*post tabulam lectam*", p. xx.

P. 25 a. Sancto.] Corr. sancto (*i. e.* loco).

ut redditâ sibi sanitate &c.] V. supra ad p. 24 b. (p. xx.)

Per Christum] *I. e.* Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ante "Benedicite" (post lectionem brevem: v. ad p. 24 b) Brev. Rom. inserit: "℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum et terram."

Benedicite.] Fortasse idem fere quod *benedictionem apprecate:* cui respondet Chorus, *Dominus* (in Brev. Rom. *Deus*), i. e. *D'ns.* (vel *Deus*) *nos benedicat.* Verba autem quæ sequuntur, quibus Sacerdos benedictionem Domini populo dispensat ("In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen[b].") tam Sacerdote quàm

[b] In hujusmodi quibusdam formulis tam ab ipso Sacerdote quàm a Choro addendum videtur *Amen;* quemadmodum et in *Libro Precum Com-*

Digitized by Google

reliquis, unoquoque sibi, sive in fronte sive a fronte ad pectus (v. p. vii, viii), Crucis figuram ducente dicenda fuisse videntur.

In Breviario Rom. hæc benedictio cum sequente *Fidelium animæ* hoc modo conjuncta est: "D'ns nos benedicat, et ab omni malo defendat, et ad vitam perducat æternam: et Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen."

De Horis Brevibus.

Ad Tertiam, Sextam, et *Nonam.*] De his tribus Horis, ac præsertim de earum initio, v. ad p. 16 a. In fine autem, quando de Dominicâ vel de festo vel commemoratione (v. ad Pr. 1) agitur, post Versiculum dicenda est statim Oratio propria cum *D'ns vob.* &c. ut ad Laudes (v. ad p. 15 b.): in feriali verò Officio interponendæ sunt *Preces Feriales* quæ in Laudibus Feriæ Secundæ (p. 39 b) inveniuntur. *Memoriæ* autem ad solas Laudes et Vesperas pertinent: preces "pro pace Ecclesiæ" post Laudes et Completorium, Ps. *Levavi* &c. post Primam tantùm addenda.

P. 25 b. Quæ leguntur *jucunda* &c., si scriptura etiam Sarisburiensis retinenda est, semper *jocunda* &c. scribi debent. Hinc autem Anglicum *jocund*, i. e. *hilaris.*

Pro *justficationibus* corr. *justificationibus.*

P. 29 a. Largire CLARUM vespere] In Brev. Rom. LUMEN, ut *vespere*, quod in Sarisb. accusativo casu dictum notet lector, ablativus fiat. Cf. quæ de emendationibus Romanis supra (p. ii) diximus.

De Matutinis et Laudibus Ferialibus.

P. 30 b et seqq. *Matutinarum et Laudum Ferialium* initium et ordo collato Officio Dominicali et Proprio de Tempore hebdomadæ primæ Adventûs cum annotatione nostrâ facile intelligetur. De Officio autem Ordinario (scil. eo quod in Psalterio invenitur) notabit lector, quemadmodum in Officio Dominicali (v. p. ix, x) in primo

munium, ubicunque, extra Rubricas, eodem charactere cum ipsis formulis quas concludit (scil. Romano) scriptum legitur, ab utroque, ubi verò alio (scil. Italico), a Choro solo dicendum est: etiamsi a Ministris ferè omnibus hodie distinctio ista negligitur.

Digitized by Google

Nocturno duodecim Psalmos sub tribus *Gloria Patri* et tribus Antiphonis, ita in Officio feriali, in quo unus tantùm est Nocturnus, duodecim Psalmos sub sex *Gloria Patri* et sex Antiphonis dici. In festorum autem Officio Non-Paschali, quando non dicitur Nocturnum feriale, (v. Pr. 14 a. cum annotatione nostrâ), sive tres, sive unus tantùm sit Nocturnus, novem Psalmi sub novem *Gloria Patri* et novem Antiphonis dicuntur. Tempore verò Paschali, ut supra (p. xi: q. v.) jam dictum est, tam in Dominicis et feriis quàm in festis et commemorationibus, unus tantùm trium Psalmorum Nocturnus dicitur; et unusquisque Psalmus suum *Gloria Patri*, et præterquam in commemorationibus, suam etiam Antiphonam habet: in commemorationibus verò (v. ad Pr. 1) tempore Paschali faciendis tres Psalmi sub unâ Antiphonâ dicuntur.

P. 33 b. Post Ps. 30, præter unum Gough 68[1], Breviaria Sarisburiensia quæcunque inspeximus addunt *Gloria Patri*, lectione manifestè vitiosâ: v. notam præcedentem. In Psalterio autem sec. usum Sar. et Ebor. notis musicis instructo, in Breviariis Ebor. et Herefordensi, et in Psalterio MSto amici a nobis p. i. in notâ laudati, rectè omissum est.

P. 38 b. *Psalmus Ipsum.*] Hoc dicitur quando Antiphonæ et Psalmi initium est idem: quod quandocunque fuerit, non repetuntur ista vocabula quæ *intonando* (v. ad Pr. 3 b) jam dicta fuerint, sed statim sine *exaltatione* (v. ibid.) Psalmus percantatur a Choro.

P. 39 a. Meminerit lector post omnia Capitula respondendum esse *Deo gratias.*

P. 39 b. Preces Feriales ("Kyrie el.—veniat.") tam in Laudibus et Vesperis, quàm in Tertiâ, Sextâ, et Nonâ, in Officio Feriali Ordinario semper ante Orationem interponendæ, et in prostratione (scil. flexis genibus) dicendæ sunt. V. Pr. 14 b et 15 a.

Per eundem Christum D'nm.] *I. e.*—D'nm [nostrum. Amen].

[1] Gough 67 (in Bibl. Bodleianâ) editionis perantiquæ, de quâ plura vide ad Pr. 9 b, Proprium de Tempore Partis (i. e. Dimidii) Hyemalis, 68 Proprium de Sanctis ejusdem Partis cum Psalterio et (præter Vigilias mortuorum) reliquis utrique Parti communibus continet.

Digitized by Google

Pro ℣. *Fiat misericordia &c.* Brev. Ebor. antiquum Gough 6, A.D. 1493, (Gough 59[k], A.D. 1526, non item,) habet:

"Oculi D'ni super justos. Et aures ejus ad preces eorum.

"Confiteantur tibi omnia opera tua. Et sancti tui benedicant tibi."

P. 40 a. Salvos &c.] V. infra.

D'ne fiat] In Brev. Ebor. Gough 6. et Heref. "Fiat".

Post *Requiem &c.* in Brev. Ebor. et Heref. additur ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* Post hoc autem, in Off. Heref. ad Laudes et Vesperas tantùm, in Ebor. Gough 6 ad reliquas etiam (scil. Breves) Horas, inseruntur Versiculi sequentes:

"Pro fratribus et benefactoribus nostris. Salvos—in te. [qui ℣. "post ℣. *D'ne salvum &c.* in Breviariis his omittitur.]

"Pro afflictis et captivis. Libera Deus Israel ex omnibus tribu- "lationibus suis.

"Pro [Brev. Ebor. "Etiam pro] peccatis et negligentiis nostris. Ne "[Brev. Ebor. "D'ne ne] memineris—nimis. [ut p. 64 b (Ps. 78).]

"Adjuva—noster. Et—tuum. [ut ibid. v. seq.]"

In Brev. Ebor. Gough 59, omissis prioribus, duo tantùm posteriores Versiculi (*Etiam pro* et *Adjuva*) leguntur.

ad Mat. et ad Vesp.] Ad reliquas Horas (v. supra), saltem sec. Brev. Ebor., omnes in prostratione usque ad finem Collectæ manebant.

Exurge] Brev. Ebor. Gough 6 post Tertiam *Surge:* hîc autem et in Pr. de T. Adv. rectè, cum Gough 59 hîc, *Exurge.*

Preces autem Romanæ ad Laudes et Vesperas Herefordensibus similes sunt, nisi quod, 1. Ante ℣. *Fiat pax &c.* inseritur "℣. Memento congregationis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio." 2 Loco "Pro fr. et benef. nostris." dicitur "Pro fr. nostris absentibus." 3 Loco Versiculorum "Pro peccatis—tuum." et Psalmi *Miserere,* "℣. Mitte eis D'ne auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Dne ex.—veniat." et Ps. *De profundis* dicuntur. 4 Post Psalmum Versiculi "Exurge—. Dne Deus—." ordine inverso dicuntur.

Ad Horas autem Breves in Off. Rom. post "Kyrie el. &c. Pater

[k] Pars Hyemalis sine Vigiliis Mortuorum, eadem scilicet, præterquam quòd admodum imperfectum est, cum Gough 67, 68 (v. notam *i*, p. xxiii) complectens.

Digitized by Google

noster. Et ne—a malo.", omissis omnibus reliquis, immediatè sequuntur " Dne Deus—. Exurge—. Dne exaudi—veniat."

P. 40 b. Qui tecum *&c.*] V. p. 23 b.

P. 41 a. Filium tuum.] Adde [Amen.] tantùm. V. Pr. 3 a.

P. 41 b. Adesto nobis] In libris, præter unum Gough 68, omnibus quos inspeximus, vitio absurdo, hæc Oratio immediatè ante Orationem *Famulorum tuorum* ut prima Orationum de S. Mariâ posita est.

Qui vivis et regnas cum Deo.] *I. e.* cum—Deo [Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen].

Per eundem Dominum.] *I. e.* Per eundem [Christum] Dominum [nostrum. Amen]. — Conclusiones quæ sequuntur, *Per Christum. Per Dominum.* et *Per.* omnes unum et idem valent, nempe, *Per Christum Dominum nostrum. Amen.* V. Pr. 3 a.

P. 42 a. libera nos Deus.] Adde, [℣. Omnis terra.]

regem orbis.] Scribe, Regem orbis.

P. 42 b. De modo finiendi Laudes v. ad p. 15 b.

P. 54 b. vespere] V. ad p. 14 a.

P. 57 a. *Preces ut supra.*] I. e. *Preces* [*etc.*] *ut supra* (p. 39 *et seqq.*)

P. 59 a. Ps. 71. Pro *filio Regis* scribe *Filio Regis.*

P. 60 a b. desolatio- nem?] Corr. desolatio- nem!

P. 67 a. Ad finem Laudum adde, [*Preces etc. ut supra* (p. 39 *et seqq.*) *Oratio ut decet.*]

P. 76 b. Pro *Gioria* scribe *Gloria.*

De Vesperis.

P. 86 a. *Ad Vesperas* ante Psalmos dicendum est *Deus in adjutorium* &c. ut ad Laudes (p. 12 a), quibus tam in rerum naturâ quàm in ordine Officii Vesperæ omnino respondent. Preces tamen quæ in Officio Sarisb. "pro pace Ecclesiæ" ad finem Laudum dicuntur, non Vesperis sed Completorio adduntur.

P. 88 b. Post Versum inceptâ Antiphonâ (v. pp. xi. et 122), dicitur Canticum *Magnificat:* q. v. p. 99 b: deinde Ant. ipsa, et cætera omnia ut in fine Laudum, exceptis tantùm precibus "pro pace Ecclesiæ", de quibus v. notam præcedentem.

P. 92 b. et non frustrabitur eam] Pro *eam*, quæ lectio Romana

Digitized by Google

est, sec. Brev. Sarisb. legendum est *eum*. V. ad p. 12 b. cum Add. et Corr. Lectio autem Sarisburiensis in Versionis LXX codice Alexandrino legitur.

P. 93 b. In Ps. 135, Brev. Rom. clausulam recurrentem ("quoniam in æternum misericordia ejus"), quemadmodum in textu Biblico legitur, post quemque versum retinet.

P. 97 a. auribus percipe *etc.*] Adde, (p. 73 b.)

De Completorio[1].

Ordo Completorii seorsim impressus cum versione Anglicâ ad latus appositâ et explicationibus necessariis eâdem linguâ conscriptis mox e prelo (juvante Deo) prodibit.

Cum p. 100 a—101 b cf. Pr. 3 b, 4 a.

P. 100 a. Converte nos *&c.*] Ut ad Matutinas ℣. *Domine labia mea* &c., sic ad Compl. ℣. *Converte nos* &c. Versiculo *Deus in adjutorium* &c., et quemadmodum ille "pollice signando sibi *os* signo Crucis", ita hic super cor eodem signo signando se, hodie saltem dicitur. De 'Versiculo ante Laudes' qui (aliter quàm ante Mat. et Compl.) variabilis est, v. p. xiii.

In Officio autem Romano (in quo per totum annum ferè nihil mutatur) ante *Converte nos* &c. dicitur: 1, *Jube &c.*, benedictio, lectio brevis, *Tu autem* &c. et *Deo gratias:* v. ad Pr. 5 a et b. 2. Pater noster. 3. Versiculus et Confessio cum Absolutionibus suis: v. ad p. 107 b.—Capitulum autem (v. ad p. 101 a), quod in Brev. Sarisb. præcedit, in Rom. sequitur Hymnum, et Responsorium habet. Preces (i. e. "Kyrie el.—ad te veniat.") ut in Primâ, Sarisburiensibus breviores sunt, et in festis duplicibus et infra Octavas in utrâque Horâ omittuntur, quod in Off. Sarisb. extra hebd. Paschæ et Triduum præcedens nunquam fit. De *Gloria Patri* v. ad p. 101 a.

pro temporis diversitate] Vide supra ad p. 12 a.

Cum invocarem *et* p. 101 b. Nunc dimittis] De initio Antiphonæ, —e. g. *Miserere* (v. p. 101 a.) vel *Veni Domine* (v. p. 101 b.),—ante

[1] *Completorium* (Anglicè *Complene, Compline,* vel *Complin*) ita vocatur quia uniuscujusque diei Officium *complet.*

Digitized by Google

Psalmum vel Psalmos suos dicendo, v. supra p. x, xi. Confer etiam Pr. 3 b. cum annotatione nostrâ.

Ps. 4, 4. sanctum] Scr. "Sanctum".

P. 100 b, Ps. 30, pro *de laqueo hôc*, quæ lectio Romana est, sec. Brev. Sarisb. scribendum est (ut p. 32 b. rectè scripsimus) *de laqueo*. V. ad p. 12. b. cum Add. et Corr.

P. 101 a. In Off. Rom. ante tertium quoque Psalmum additum est *Gloria Patri*, quod tamen apud Brev. Sarisb., quum in solo Gough 68 a nobis quidem inventum sit[m], in reliquis idcirco fortasse omissum est, ut tertius et quartus unum tantùm Psalmum efficiant (cf. quod in Laudibus fit), atque ita *numerus impar*, quo (ac præsertim *trino*) *gaudere Deum*, (quantùm de Deo loqui fas est,) non ex ethnicorum tantùm traditione[n], verùm etiam ex Scripturis sacris constat,—ut in Officiis reliquis, ita in Completorio quoque servetur.

Adv. nisi] Scr. *Adv. : nisi.*

In Capitulo verba *sanctum* et *D'ne Deus noster* textui Biblico (Jer. 14, 9) addita: omissum verò in Brev. nostro (in Rom. non item) conjunctio "autem".—In Breviariis autem Ebor. et Heref.[o] legitur, *nomen sanctum tuum et gloriosum.*

Post Capitulum adde, [℟. Deo gratias.]

[m] Omittit etiam Brev. Ebor. Gough 59 : de Gough 6 et Brev. Heref. v. notam *o*, et cf. Pr. 3 b.

[n] Virgil. Bucol. viii, 73—75 :

Terna tibi hæc primùm *triplici* diversa colore
Licia circundo, *terque* hæc altaria circum
Effigiem duco : *numero Deus impare gaudet.*

Cujus verbis utens, Graduale Sarisb. in Off. Dom. 1 Adv., in Rubricâ de Collectis ad Missam dicendis : "*Ita tamen quod septenarium numerum ex-*
"*cedere non debet* [*Sacerdos*] *sec. usum Sarum ; quia Christus cùm docuerit*
"Pater noster *tantùm comprehendit petitiones vii, quæ* [*solæ*] *necessariæ sunt*
"*tam corpori quàm animæ : et etiam de numero Deus impari gaudet, et ideo*
"*impares orationes* [i. e. *impares orationum numeri*] *sunt in Missis dicendæ.*"

[o] In Brev. Heref. et Ebor. Gough 6 (v. p. xxvi) Officium Completorii non in Psalterio, sed in Proprio de Tempore solo docetur. Breviarii autem Herefordensis Æstivalem tantùm Partem nobis quidem adhuc videre contigit : v. p. xix.

Digitized by Google

℟. Ut pupillam oculi,] In Brev. Ebor. et Heref., quemadmodum in Romano, hæc verba Responsorii pars sunt. Cf. ad Pr. 2 b.

P. 101 b.) Nunc dimittis] Vide supra ad p. 100 a.

In "Kyrie el. *etc. Sequantur Preces.*", quod ita in omnibus quos inspeximus libris legitur, quum "Kyrie el. *&c.*" revera ipsarum Precum initium sit (v. ad p. 22 b), ut inverso potiùs ordine dicendum fuerit, "*Sequantur Preces :* Kyrie el. *etc.*" aut inter *Sequantur* et *Preces* subintelligendum *reliquæ*, aut pro annotatione parentheticâ hæc duo verba accipienda sunt. In Proprio de Tempore autem (p. 4 a), in reliquis quidem a nobis inspectis libris meliùs legitur "*Sequuntur* [unus e libris nostris in Psalt. etiam "*Sequuntur*] *Preces.* Kyrie el. *etc.*": in Douce Ref. verò (v. notam *e.* p. vi) magis etiam anomalè scriptum est, "Kyrieley. [v. ad p. 16 a] *iii.* ¶ *Sequuntur preces.* Christeleysō. *iii.*—". Post "*Preces*" autem adde, "[*ut* p. 107 a b]." : ad quem locum cf. annot. nostram.

in Conceptione] Legendum cum Gough 68 (v. notam *i*, p. xxiii) et Douce Ref. *in commemoratione.*

Per sempiterna.] Corr. In sempiterna.

Compl. ij.) Post "*ad Compl.*" "[*unus de superiori gradu*]", et post "*Psalmos*" "[*incipiat*]", e Proprio de Tempore inserantur.

Ante "*Hymnus.*" Gough 68 et Douce Ref. inserunt :

"*Quæritur utrum aliquando dicitur alius cantus in choro Sarum*
"*super hymnum* Salvator *quàm iste cantus subsequens?*

"[Hîc notatio musica antiquitus inserta esse videtur.]

"*Responsum est quod nonnisi in tribus diebus in hebdomadâ Nati-*
"*vitatis, viz. in die S. Stephani, S. Johannis, et sanctorum Innocen-*
"*tium, qui sunt extra regulam. In quibus omnibus cantus quorum-*
"*cunque hymnorum potest variari pro voluntate incipientis, propter*
"*tres solennitates ibi celebratas et ab antiquo permissas, scil. Levi-*
"*tarum, Sacerdotum, et Puerorum.*"

Dicitur etiam] Gough 68. malè omittit *etiam.*

P. 102 a. *Compl. ij.*) quando D'ns] In Proprio de Tempore, quemadmodum in Scripturâ Sacrâ (v. Marc. xiii. 33, 35 ; et cf. v. 37) quando D'ns domûs.

veniet] In Bibl. Vulg. *veniat.* Gr. ἔρχεται.

Digitized by Google

nescitis enim] Gough 68. malè omittit *enim*.

expleantur] In Gough 68. *sunt exequenda*.

Compl. iij.) Post "*Ps.* Cum invocarem." adde [*etc.*], quod ex *Compl. ij.* intelligendum erit.

P. 102 b. *Compl. iiij.*) Post *Verbum caro* adde [*etc.*], quod ex Compl. *iij* intelligendum erit.

Compl. vj.) Pro "vigilantes: — dormientes," scr. "vigilantes,— dormientes;".

Pro "*B. Mariæ et*" scr. "*B. Mariæ, et*".

in Compl. B. Mariæ.] Corr. "*in commemoratione* [quod abstracto, et idcirco plurali, sensu intelligendum est] *B. Mariæ.*" De *commemorationibus* autem v. ad Picam Dom. 1 Adv.

P. 103 b. In "[Salvator: amaræ morti ne tradas nos]." amoveantur uncini, neque enim in exemplaribus omnibus hæc verba desunt. Quotiescunque autem quæ inter uncinos a nobis primò inserta essent, postea vel a nobis vel ab aliis in libro quovis inventa fuerint, hæc eadem correctio facienda erit. Cujusmodi cum aliis quibuscunque vel erratis vel lectionibus variantibus qui nobiscum per bibliopolam nostrum communicaverint, magnam apud nos gratiam inibunt. Confer etiam quæ supra in Monito p. iv. diximus.

In Hymno pro *Procul, procul, vagantum* scribendum cum antiquissimo (v. ad Pr. 12 a) et altero (= Gough 171) e libris nostris *Procul, ô procul, vagantum*, hîc ut alibi admisso in initio versûs pede trisyllabo.

In eodem Hymno, p. 104 a. pro *Meditatur sopore*, quod pessimum ac potiùs nullum dat metrum, scribendum cum iisdem libris *Meditabitur sopore*:—qui tamen in eodem tetrasticho malè legunt *paulum*, e meliore et antiquiore orthographiâ *paullum* fortasse ortum.

P. 104 a, ad finem *Compl. ix*, Gough 68 et Douce Ref. addunt: "*ita quod in sabbato dicuntur versus in superiori gradu, et in Domi-*
"*nicâ in secundâ formâ.* [Cf. ad Pr. 3 b.] *In Dominicâ* [*in*]
"*Ramis Palmarum ad utrumque Compl. in superiori gradu dicun-*
"*tur* [Gough 68 *dicantur*]. *Similiter fiat in duplicibus festis quæ*
"*infra Passionem contingunt, et dicuntur in quartâ feriâ ante Pas-*
"*cha in secundâ formâ.*"

Digitized by Google

P. 104 b. *Compl. x.*) Qui tecum vivit *etc.*] Adde, [*ut infra Compl. xij.*]

Compl. xj.) *et sine* Qui] Douce Ref. om. *et.*

Compl. xij.) *et cætera*] Scribe *etc.*

supradicti] Gough 68 et Douce Ref. *prædicti.*

P. 105 b. *Compl. xiiij.*) *dicatur*] Douce Ref. *dicitur.* (Gough 68. *dr.*)

P. 106 a. *Compl. xv.*) Pro *Commemoratione* scr. *commemoratione*; et v. ad p. 102 b.

Compl. xvij.) Alleluia *iij*] Corr. Alleluia *iiij.*

P. 106 b. Ad finem *Compl. xviij.* addi potest paragraphus talis: "[*Festis autem simplicibus et feriis dicitur Compl. vj.*]"

P. 107 a. Kyrie el. *iij.* Chr. el. *iij.* K. el. *iij.*] Transferantur hæc infra, sec. meliorem Gough 68 lectionem, post "*Sequuntur Preces.*" V. ad p. 101 b.

Kyrie eleison[p] *iij.*] Adde, [*ter.*]

in Comm.] Scribe plenè, *in commemoratione*; et v. ad p. 102 b.

Sequuntur Preces.] Vide supra ad *Kyrie el.* Secundùm lectionem autem vulgatam hoc de Precibus *reliquis* accipiendum, *Kyrie eleison* majore (i.e. "Kyrie eleison *ter.* Christe eleison *ter.* Kyrie eleison *ter.*"),[q] —quod in Ordine Completorii tradendo parùm ordinatè (v. ad p. 101 b) Antiphonæ ad *Nunc dimittis* annexum est,—etiamsi in primo tantùm et ultimo Completorio mentio ejus fit, in omnibus tamen reliquis, præterquam in Compl. *x—xiij*, subintellecto.

Pater noster. Ave Maria. Et ne nos. Sed libera.] Si recte hîc insertum est *Ave Maria* (quod tamen loco parallelo Pr. 4 a, tam in Sarisburiensi quàm in Eboracensi Breviario, omissum est[r]: cf. ad p. 16 a), necesse est ante hanc Salutationem *Pater noster* dicatur *integrum* cum *Amen*, post eam autem (scil. post duo hæc "privatim" integra dicta), "in audientiâ" dicat Sacerdos, *Et ne nos* [*inducas in tentationem*]. ℟. *Sed libera nos* [*a malo*]. Plura vide ad P. 16 a. et confer etiam Pr. 5 a. cum annotatione nostra. For-

[p] In Douce Ref. "Kyri eleyson": in Brev. Heref. Partis Æstivalis (v. notam *g*, p. xix) "Kyri el.": v. ad p. 16 a.

[q] De Officio Romano v. ad p. 22 b.

[r] Sic etiam in Heref. in Pr. de T. Partis Æstivalis: v. notam *g*, p. xix.

Digitized by Google

mulæ autem ipsæ inter *Formulas Communes* a nobis additas (p. 121) invenientur.

Credo in Deum. Carnis *&c.*] Vide p. 121, annot. ad p. 22 b, et notam præcedentem.

Benedicat—D'ns.] In Brev. Heref.:

" Benedicat nos omnipotens Pater, pius et misericors D'ns."

l. 6 a fine) Amen.] In Proprio de Tempore Dom 1. Adv. apud Gough 67 et Douce Ref. " *Chorus respondeat* Amen."

Ante-Confessionem tam ad Primam quàm ad Compl., Brev. Ebor. inserit ℣. "Confitemini D'no, quoniam bonus. Quoniam in sæculum misericordia ejus." Quod idem in Sarisb. quoque Officio in Confessione in initio Missæ fit.

Confessio autem Eboracensis talis est:

"Confiteor Deo, et B. Mariæ, et omnibus Sanctis, et vobis fratres " [*vel* tibi pater], quia ego peccator peccavi nimis corde, ore, opere, " omissione: mea culpa. Ideo precor gloriosam Dei genitricem " Mariam, et omnes Sanctos Dei, et vos [*vel* te] orare pro me."

In quibus verba " et vobis fratres," " et vos" in privatâ Officii recitatione omittenda sunt.

Confessio autem Herefordensis neque in Breviarii Parte Æstivali (v. notam *g*, p xix) neque in Missali descripta est.

P. 107 b. *Sacerdos—altare :*] Gough 67 et Douce Ref. ubi supra " *Excellentior persona, scil. Sacerdos, dicat :*".

et omnes] Delendum *et*, a plerisque libris (quantùm nos quidem vidimus) aut hîc aut in Missâ omissum. Omittit etiam Brev. Herefordense a nobis inspectum (v. notam *g*, p. xix): de Eboracensi vide supra.

ad eum conversus :] Gough 67 et Douce Ref. ibid. " *ad eum :*".

Pro " [tui" scribe " [vestri": sic enim, etiam ad Sacerdotem, in Officio Missæ legitur. In privatâ autem Officii recitatione pro *vestri, vobis, vos, vestrorum,* (in *Misereatur &c.* et *Abs. &c.*) dicenda sunt *nostri, nobis, nos, nostrorum.*

ad altare conversus,] Gough 67 et Douce Ref. ibid. " *—converso.* Confiteor. *ut supra.*"

ad chorum :] Iidem ibid. *ad chorum conversus hoc modo.*

Digitized by Google

confirmet—æternam.] In Brev. Ebor.: confirmet in omni opere bono, et perducat vos (*vel* te) ad vitam æternam.

Abs.—] Gough 67 et Douce Ref. ibid. "*Deinde dicat Sacerdos*, Abs.—" Hæc autem verba (hodie saltem) signando se signo Crucis a fronte ad pectus dicuntur: v. p. vi, vii.

mis. D'ns. Amen.] In Brev. Ebor.: mis. D'ns. *Chorus*. Amen.

Deus] Gough 67 et Douce Ref. ibid.:

"*Deinde dicat Sacerdos executor officii* Deus".

l. ult. Pro *chori. Et in* scribe, *chori, et in.*

P. 108 a. *sic dicens:* Exurge—nos. Et—] Gough 67,8 (v. notam *i*, p. xxiii) et Douce Ref. ibid. "*sic dicendo cum notâ* [v. ad p. 24 b]: ℣. Exurge—nos. *Et chorus respondeat* Et—." Iidem in Psalt. etiam, pro *sic dicens, sic dicendo* habent.

In "[Et cum.]", "[nostrum—regnat]", et "[Spiritûs—Amen.]" dele uncinos: nam in Gough 68 omnia plenè descripta sunt. (V. ad p. 103 b: et cf. ad p. 24 b.) In Douce Ref. etiam, "Et cum."

hujus noctis] Iidem ibid. cum Brev. Ebor. et duobus ad p. 103 b. (et 104 a) memoratis libris nostris om. *hujus*: habent reliqui nostri; quibus accedunt etiam Brev. Heref. (v. infra) et *Liber Precum Communium* qui *of this night* reddit.

Oratio autem Herefordensis talis est:

"Illumina, quæsumus, D'ne Deus, tenebras nostras, et totius "noctis hujus insidias tu a nobis repelle propitius: salva nos, om- "nipotens Deus, et lucem tuam nobis concede perpetuam. Per "D'nm nostrum Jesum Christum Filium tuum. Amen."

Post "Deo gr." Gough 68 et Douce Ref. in Psalterio inserunt:

"*Sub eodem tono dicantur et finiantur Orationes Horarum, viz.* "*ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, et Compl. per totum* "*annum, nisi a Cœnâ D'ni ad Vig. Paschæ, et nisi in Die Ani-* "*marum.*"

Pro quo Gough 67 et Douce Ref. in Pr. de T. Adv.: "*Sub—Ora-* "*tiones ad omnes Horas, scil. ad—et ad Compl.—D'ni usque ad* "*Compl. in Vig.—.*"

Confer autem ad p. 101 b.

Inter *cum.* et *Cap.* dele punctum.

Digitized by Google

Omni die &c.] De Psalmo et Precibus sequentibus plura vide ad p. 15 b.

Post *Mat. de die* Gough 67 et Douce Ref. ibid. inserunt *et Mat. de S. Mariâ.*

l. ult. Pro *cum genuflexione sine notâ iste Ps.* scribe *cum genuflectione, sine notâ, Iste Psalmus* [*cxxij*].

Post *Gloria Patri* e Gough 68 et Douce Ref. in Psalterio inserendum: "*Finito Psalmo sequatur :*".

In Pr. de T. Adv. Gough 67 et Douce Ref. habent, "— *sequitur :*"

P. 108 b. E librorum nostrorum antiquissimo (v. ad Pr. 12 a), quocum consentiunt etiam Gough 68 et Douce Ref. in Psalt., ante "Et ne *&c.*" inserendum,

"*Deinde dicat Sacerdos executor Officii in audientiâ sine notâ :*".

Pro "[Et cum.]" scribe cum Gough 68 "Et cum sp. tuo." Cf. ad p. 108 a.

Pro "*Oratio*" scribe cum Gough 68 "*Oremus.*" In Gough 67 autem et Douce Ref. in Pr. de T. Adv.: "*Deinde dicat Sacerdos executor Officii in audientiâ, sed sine notâ*, Oremus."

In "[D'nm nostrum. Amen.]" dele uncinos cum Gough 68. Cf. ad p. 108 a.

Ecclesiæ &c. V. ad p. 113 b (p. xxxv).

Ad finem verò Completorii e Proprio de Tempore Dom. 1 Adv. (p. 4 a. ubi v. etiam annotationem nostram) addendum:

["*Post Compl. dicitur sola Oratio*, Fidelium animæ per Dei misericordiam in pace requiescant. Amen."]

Quâ tamen annotatione in Douce Ref. ibid. omissâ, in Gough 67 verò per conj. *et* (*Et post*) introductâ, post "*formulas.*" in libris ambobus statim sequitur:

"*Item quotidie per annum post Nonam dicatur Ps.* De profundis "*nisi in prædictis temporibus, cum istâ solâ Oratione, viz.*

"Absolve, quæsumus, Dne, animas omnium fidelium defuncto-"rum," &c. ut Pr. 11 a: q. v. cum annot. nostrâ.

"*Non dicitur*" &c. ut Pr. 4 a: q. v. cum annot. nostrâ.

Digitized by Google

De Psalmis Pœnitentialibus et Litaniâ.

Psalmi Pœnitentiales, (v. Manuale et Processionale) cum Antiphonâ *Ne reminiscaris* et Litaniâ (ut feriâ 2 in Quadragesimâ dicenda erat: v p. 112 a) inter Officia feriæ 2 in Rogationibus dicebantur:—cum eadem Ant. et aliis orationibus post Sermonem qui (si fiebat Sermo) Horam Sextam in feriâ Cinerum (sive *in Capite Jejunii*) sequebatur:—item in Officio feriæ 5 in Cœnâ D'ni. Item, (v. ipsius Breviarii Pr. de T.), per totam Quadragesimam[s] quoties de feriâ agebatur, in singularum Horarum, præterquam Sextæ, Precibus, post Psalmum *Miserere* dicebatur "*unus de septem Psalmis pœnitentialibus suo ordine*";—scil. ad Laudes Ps. 6, ad Primam Ps. 31, ad III Ps. 37, ad IX Ps. 101, ad Vesp. Ps. 129, ad Compl. Ps. 142: ad Sextam autem, ne seipsum immediatè sequeretur Ps. 50, post Psalmum istum dicebatur Ps. 66 (p. 13 a). Præcedentibus autem (v. ibid.) xv Psalmis Gradualibus, Litania post Tertiam in feriis Quadragesimæ[s] "*usque ad 4 fer. ante Pascha*" (i. e. ut videtur, *inclusivè*) dicenda erat: cf. ad p. 24 b (p. xxi). Plura de his Psalmis et Litaniâ vide apud Manuale et Processionale Sarisb.

P. 110 a et 111 a. In Gough 68 et Douce Ref. Psalmi *Miserere* et *De profundis* pleno vocabulorum numero, ut reliqui, descripti sunt.

P. 111 a. *Acedia* (ἀκηδία), al. ex iotacismo *acidia* (cf. p. xi), vel *accidia*, est *socordia*.

P. 111 b. *Letania.*] Iotacismo tribuenda non modò substitutio illa vocalis I pro E ut in notâ præcedente, sed et hæc vocalis E pro I; in illâ scil. mutato sono mutatâ literâ recte expresso, in hac ob frequentem in pronunciatione solâ mutationem, novâ et alienâ potestate literæ E concessâ. Hinc autem apparet iotacismum hunc, qui hodie in E longâ vel syllabam claudente apud Anglos quidem legis instar obtinuit, et in peregrinorum etiam ore aliquando notanda est, aliquot saltem sæculis abhinc originem traxisse. De caussâ verò, quæ in lege latè in his rebus dominante posita est, alius erit loci disserere.

Kyrie eleison. Christe eleison.] Sic (sine altero *Kyrie eleison*)

[s] Scil. post Dom. 1 in Quadragesimâ; neque enim a Capite Jejunii, verùm a Dominicâ primâ in Jejunio incipit tempus *Quadragesima* vocatum, et in Breviariis quadripartitis (ut sunt hodierna) *Pars Vernalis*.

Digitized by Google

Brev'ia Sarisb'ia a nobis inspecta: quorum testimonium non modò Manuale et Processionale Sarisb., verùm etiam Brev. Ebor. et Heref. et duo sæculi xi MSta,—scil. 1. Psalterium Saxonicum, quod per amici a nobis p. iii in notâ laudati benignitatem videre contigit, et 2. Fragmentum Libri Pontificalis, cum Fragmento Breviarii in Bibl. Bodleianâ conjunctum,—omnino confirmant. Item alius '*Horarum &c.*' (v. ad p. 16 a) antiquus codex MStus, benignè nobis ab uno ex amicis nostris commodatus,—quem quidem pessimè mutilatum esse magnopere dolendum est, præsertim quum reliquiæ pulchræ pulcherrima fuisse quæ vi barbarâ excisa sunt, fidem vix dubiam faciant. In *Horis* tamen *sec. usum Sarum* a nobis inspectis, additum est, ut in Brev. Romano, *Kyrie eleison* alterum: cf. autem ad p. 117 tit. In Psalterio sec. usum Sarum et Eboraci anni 1508 (Gough 104) insertum, anni autem 1522 (Gough 126) omissum est.

P. 113 a. domnum Apostolicum] I. e. Pontificem summum. *Domnus* autem per syncopen pro *dominus* de hominibus tantùm, neque verò de iis semper, dicitur. Cf. ad Pr. 5 a.

P. 113 b. Deus, — ut quos delictorum catena] In Brev. Ebor. et Heref. "Deus, — et [Ebor. Gough 59 (v. p. xxiv) "ut] quos delictorum cathena".

Post hanc autem Orationem in Brev. Heref. insertum legitur:

" *Deinde sequentes Orationes sub* Oremus *et sub uno* Per eundem " *secundùm usum Herford.* [v. notulam ad calcem p. v] *Ecclesiæ.*"

Deinde verò, Orationum reliquorum loco, "Oremus.

" Omnipotens — famulos, et super — infunde.

" Prætende Domine famulis et famulabus tuis dexteram cœlestis " auxilii: ut te toto corde perquirant: et quæ dignè postulant " assequantur.

" Deus a quo — transquilla (*sic*). [V. p. 114 b.]

" Hostium nostrorum quæsumus Domine elide superbiam, et " dexteræ tuæ virtute prosterne.

" Ecclesiæ — libertate. [V. p. 16 a. vel 108 b.]

" Adesto — auxilio. [V. p. 25 a.]

" Omnipotens — famulis et famulabus tuis, pro — actionem. " [V. ibid.]

Digitized by Google

" Animabus, quæsumus, Domine, famulorum famularumque
" tuarum oratio proficiat supplicantium; ut eas et a peccatis omni-
" bus exuas, et tuæ redemptionis facias esse participes. [Cf. p. 121 b.]

" Deus, qui es sanctorum tuorum splendor mirabilis, atque lapso-
" rum sublevator inenarrabilis, fac nos famulos tuos sanctæ Dei
" genitricis semperque virginis Mariæ et omnium sanctorum tuorum
" ubique tueri presidiis, necnon familiaritate atque consanguineitate
" vel confessione nobis conjunctis et omni populo Christiano, cunctis
" insidiis fallacis inimici depulsis, concede ad cœlestem patriam
" redeundi aditum, ac defunctorum omnium fidelium sacri baptis-
" matis undâ renatorum animabus quiete perfrui sempiternâ. Per
" eundem Christum Dominum nostrum. Amen. [Cf. Orationem
" ultimam in Litaniâ Sarisburiensi.]"

In Brev. Ebor.: " *Oratio.*

" Deus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invoca-
" tionibus nostris; et quia sine te nihil potest mortalis infirmitas,
" præsta auxilium gratiæ tuæ; ut in exequendis mandatis tuis et
" voluntate tibi et actione placeamus. *Oratio.*

" Protector in te sperantium, Deus sine quo nichil [v. ad Pr. 3 b]
" est validum, nichil sanctum; multiplica super nos misericordiam
" tuam; ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia
" ut non amittamus æterna. *Oratio.*

" Deus, cui omne cor patet, et [Gough 59 et " cui] omnis voluntas
" loquitur, et quem [Gough 59 " cui] nullum latet secretum; puri-
" fica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri ut
" te perfectè [Gough 6 (v. p. xxiv) " ut perfectè te] diligere et dignè
" laudare mereamur. *Oratio.*

" Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus:
" prætende super famulum tuum Archiepiscopum nostrum et super
" cunctam congregationem sibi [Gough 59 " illi] commissam spiri-
" tum gratiæ salutaris; et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum
" eis rorem tuæ benedictionis infunde. *Oratio.*

" Deus qui charitatis [Gough 59 " caritatis] dona per gratiam
" Sancti Spiritûs tuorum cordibus fidelium infundis; da famulis et
" famulabus tuis pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem

Digitized by Google

" mentis et corporis; ut te totâ virtute diligant, et quæ tibi placita
" sunt totâ dilectione perficiant. *Oratio.*

" Adesto — viam et actus famulorum tuorum — omnes hujus viæ
" et vitæ varietates—auxilio. [V. p. 25 a.] *Oratio.*

" Deus a quo — tranquilla. [V. p. 114 a.] *Oratio.*

" Omnium sanctorum [Gough 59 inserit "tuorum] intercessioni-
" bus, quæsumus, Domine, gratia tua nos semper protegat; et
" Christianis omnibus [Gough 59, "Chr. tuis] viventibus atque
" defunctis misericordiam tuam ubique prætende; ut viventes ab
" omnibus impugnationibus defensi tuâ opitulatione salventur, et
" defuncti remissionem omnium suorum mereantur accipere pec-
" catorum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

" Fidelium animæ per misericordiam Dei in pace requiescant.
" Amen. [Quæ tamen ultima Oratio in Gough 59 non legitur.]"

De Vigiliis Mortuorum.

P. 117 tit. De *Vigiliis Mortuorum* plura vide in Proprio de Tempore Dom. 1 Adv. pp. 12, 13. Omittuntur autem in eis (quemadmodum etiam in Officio Tridui ante Pascha) tam quæcunque aliàs Antiphonam primam præcedunt, quàm Hymni reliqui et *Gloria Patri*, cum benedictionibus lectionum et earundem conclusione *Tu autem* &c.[t] Et in '*Horis &c.*' (v. p. xvi), quemadmodum in Officio Eboracensi[u] et Romano (unde tam hoc quàm alia quædam liber ille derivasse potest: cf. ad p. 111 b), pro *Gloria Patri* semper reponitur ℣. "Requiem æternam dona eis Domine." cum ℟. "Et lux perpetua luceat eis.": quem tamen secundùm usum Sarisburiensem verum haudquaquam eâ lege dicendum fuisse, quæ in *Vigiliis* nostris prima omnium est Rubrica, præsertim ut in Manuali legitur, satis certò probat. Si cui autem mirum illud videatur, post Psalmum Antiphonam continuò sequi, meminerit in Officio Tridui ante Pascha, vel apud Brev. Rom. hodiernum hoc ipsum fieri. Post Psalmum autem extraordinarium, qui inter Preces

[t] In Officio Tridui ante Pascha omittitur etiam "Versiculus ante Laudes" (v. ad p. 12 a), tam in Eboracensi quam in Sarisb. Breviario.

[u] De Officio Herefordensi non liquet.

Digitized by Google

tam in Vesperis quàm in Laudibus Mortuorum dicendus est, disertè præceptum est hunc Versiculum addere: sed præterquam quòd, quum in utroque loco sequantur duo alii Versiculi (scil. *A portâ* et *Credo videre*), non necessariè loco *Gloria Patri* dicendus est, in hòc certè casu *exceptio non improbat regulam.*

P. 117 a. Pater noster *et* Ave Maria] In Manuali Sarisb. non additum est "*et* Ave Maria". Cf. ad p. 107 a.

tam ad Placebo *quàm ad* Dirige.] I. e. *tam ad Vesperas quàm ad Matutinas Mortuorum*, ab initio primæ in utrisque Antiphonæ sic appellatas. A *Dirige* autem (ut videtur) originem duxit Anglicum *Dirge*, i. e. *nænia.*

P. 117 b. Verba ".Per [D'nm—sæculorum].", et post Orationem sequentem " Per.", deleantur: etiamsi enim post Orationem primam in omnibus, post secundam in antiquissimo e libris nostris (v. ad Pr. 12 a) additum legitur " Per.", e Manualis tamen Sarisburiensis non textu tantùm, verùm etiam disertis Rubricarum verbis certò constat, Orationes in Vesperis Mortuorum dicendas, sub unâ tantum conclusione, scil. post ultimam Orationem, omnes dictas esse.

De Orationibus autem ipsis et earum numero notandum est, (1) in ipsâ Ecclesiâ Sarisburiensi, ubi præsente corpore neque trigintalis neque anniversaria solennitas fiebat, e tribus prioribus—in solennitate quidem unam, aliàs verò nullam, posteriores autem omnes,—(2) in Ecclesiis verò Parochialibus aut easdem, aut primam cum secundâ vel tertiâ et duobus tantùm ultimis, prout occasio postularet, —atque ita in solennitate quidem ubique quattuor, extra verò solennitatem, in quotidianis scil. Mortuorum obsequiis (de quibus v. Pr. 12 a—13 b. et 14 a) ubique tres tantùm Orationes,—dicendas fuisse.

In die tricennali (rectiùs autem *tricenali* scribitur, ut in Proprio de Tempore)] *In trigintalibus*, sive quando *Missæ trigintales* (de quibus vide Missale Sarisb. ad finem Officii Defunctorum) dicendæ sunt.

P. 118 a. *neque* Requiescant *&c.*] Quia in Officio Defunctorum pro " Benedicamus Domino, Deo gratias." (v. ad Pr. 15 a) dicitur " Requiescant in pace. Amen."

Non dicatur Jube.] Cf. Pr. 5 a. et quæ supra ad titulum annotata sunt.

Digitized by Google

P. 121 a. Post *major.* adde, (p. 117 a.): post *minor.* (p. 117 b.)

Ibid. (bis), *v dicuntur Orationes.*] I. e. quattuor altâ voce, penultima autem secretò, "*privatim ad placitum*", ut p. 121 b. præceptum est. Cf. autem Vesp. cum annot. nostrâ.

P. 121 b. Pro [nostrum] scr. [nostrum. Amen].

Post *etc.* adde, [*ut supra ad Vesp.* p. 118 a.]

De Formulis Communibus.

De *Formulis Communibus* plura vide in Monito p. iii.

quarum nullibi in ipso Psalterio plusquam (*corr.* plus) prima verba comparent] Verba quidem *In nomine &c.* ad finem Primæ, verùm ibi alio, alio hîc, sensu dicta leguntur: ibi enim benedictionis forma sunt, hîc autem ob caussam p. vii. memoratam formulis reliquis præponuntur.

in ipso Psalterio] Et exceptis tantùm *In nomine &c.* et *Pater noster*, quæ inter excerpta de Missali locum habent, ne in toto quidem Breviario. Hoc verò de Communi tantùm Breviario Sarisburiensi dictum volumus; nam in Douce Ref. (saltem ante Psalterium ejus), præter formulam *In nomine &c.* (quam nos quoque reliquis potiùs præpositam haberi quàm in earum omnino numerum venire volumus), et præterquam quòd Psalmus *Venite* sine Invitatorio (quod nos ob intellectum faciliorem inseruimus) comparet, omnes pleno vocabulorum numero descriptæ sunt.

In *Ave Maria* verba illa *Sancta Maria* &c. quæ tam Ecclesiæ erga Deiparam pietas quàm intercessionis ejus impetrandæ cura ita per aliquot saltem sæcula Salutationi Angelicæ addidit, ut Brev. Rom. hodierni, reliquorumque omnium (quantùm novimus) Breviariorum hodiernorum pars essentialis facta sit,—ideo inter uncinos inclusa sunt, quòd neque in Manuali Sarisb. neque vel in Rosario, quemadmodum quidem in '*Horis &c.*' (v. p. xvi) memoratis descriptum vidimus Rosarium, verba illa leguntur, ideo autem non omissa omnino, quòd non modò in Breviariis hodiernis omnia, verùm etiam in libro *Enchiridion Sarisb.* vocato usque ad *peccatoribus* inclusivè, in Douce Ref. autem (saltem ante Psalterium ejus: cf supra) omnia præter *nostræ* inserta inveniuntur. Quæ quidem verba, ——

Digitized by Google

quum neque ex ejusmodi insertione ante Douce Ref. Psalterium, quæ haudquaquam necessariò ipsius Breviarii pars censenda est, de genuinis Officiis Sarisburiensibus certò quidquam concludi possit, et in libris quæ ex devotione tantùm dicenda continent, qualis est *Enchiridion* Sarisb., facillimè tale quid addi potuit; contra verò, ne in istiusmodi quidem libro, (quales sunt etiam illi qui *Horæ &c.* vel *The Primer* dicuntur), Rosarium, quod indulgentiæ consequendæ gratiâ dicendum erat, — in libro autem qui Ecclesiæ Officia Ecclesiæ auctoritate tradit multo minùs formulam quamvis imperfectam doceri credibile sit, —— verba (inquam) illa, etiamsi ex devotione sæpissime et a multis, sive omnia, sive potiùs quædam ex iis, addi potuerunt, nequaquam tamen in Officiis Sarisburiensibus ex præscripto dicenda fuisse, omnino statuendum videtur.—In *The Primer* autem A. D. 1557 (Gough 105) tam in initio libri quàm ante primam lectionem additum est *Christus:* quod idem in editione aliâ A.D. 1556 a nobis inspectâ ante lectiones quidem factum est, quum tamen in initio libri vel nomen sanctum *Jesus*,—pro quo Salutationi Angelicæ devotè addendo, Urbanus IV (qui ab A. D. 1261 ad annum 1264 Ecclesiæ præfuit, et qui sacrosancti Corporis Christi festum instituit,) indulgentiam concessisse dicitur,—omissum est.

P. 122. Cum Psalmo *Venite* Invitatorium etiam et Invitatorii dimidium suis locis inserta exhibere, et annotationem subsequentem de Invitatorio et cæteris quibusdam Officii partibus quærendis addere, eorum caussâ qui minùs adhuc in hisce rebus versati fuerint visum est. De modo autem Invitatorii dicendi plura vide ad Pr. 4 a.

Operæ pretium est autem notare Antiphonam ad *Benedictus*, *Magn.*, vel *Nunc dim.*, in Brev. Ebor. '*in Euangelio Antiphonam*' vocari. Sic etiam in antiquo Brev. MSto de quo ad p. 111 b.

In Symbolo Apostolico notandæ sunt duæ lectiones variæ, 1. *ad inferna*, pro quo Brev. Rom. habet *ad inferos*, quod ipsum in Sarisb. quoque Breviario in Symbolo S. Athanasii legitur, — in quo a "descendit" ad "mortuos." verba reliqua sunt eadem.—2. *et vitam æternam, Amen.* pro quo Rom. (omisso *et*), *vitam æternam, Amen.* Utraque autem lectio Sarisburiensis non modò insertionis ante Douce Ref. Psalterium (v. supra) verùm etiam Manualis Sarisb.,

Digitized by Google

— posterior, non horum tantùm, sed et ipsius Breviarii Communis nostri testimonio nititur, — in quo tam in Primâ (p. 22 b.) quàm in Completorio (p. 107 a) Symboli conclusio exhibetur. Enchiridion autem Sarisb. v. ad p. 121) etiamsi in priore loco Sarisburiensem, in posteriore tamen lectionem Romanam exhibet: cf. quod de '*Horis &c.*' ad p. 117 tit. dictum est.

Post *Completorii* autem *Ordinem*, *Vigilias* etiam *Mortuorum* unà cum hisce *Formulis*, versione Anglicâ paginis parallelis ordinatâ et explicationibus necessariis eâdem linguâ conscriptis instructas, publici juris facere propositum est nobis.

DE PROPRIO DE TEMPORE ADVENTUS.

De Titulo et Dominicæ I Picâ, et præsertim de Commemorationibus.

UNA CUM ORDINALI SUO] *Ordinale*, vulgo *Pica* sive *Directorium Sacerdotum*, — quod ab ipso celeberrimo Ecclesiæ Sarisburiensis Sancto, et secundo ejusdem Episcopo, Osmundo (cujus postea nomen in Ordinale ipsius relatum, quum depositio ejus in Prid. Non. Dec.[a] ceciderit, nunc omnium primum in eo apparet) sæculo undecimo concinnatum esse dicitur, — nequaquam ipsius Breviarii pars erat necessaria, nec si (saltem apud recentiores) in Breviario ob Clericorum commoditatem inserebatur, adeo in unum cum eo librum concrevit, ut non seorsim quoque ederetur; cujusmodi adhuc in Bibliothecâ Bodleianâ,

[a] Quo eodem die, interpositis 357 annis, canonizationis ejus decretum factum est, divinâ scil. providentiâ ita omnia disponente, "ut is dies qui Osmundum deposito carnis onere incolam fecit in cœlis, idem, intervolutis plurimorum annorum curriculis, primus eum, judicante Ecclesiâ, judicaret pro Sancto venerandum in terris." (Lect. 6 in ejusdem translationis festo, 17 Cal. Aug.)

Digitized by Google

inter Collectionis Goughianæ libros Liturgicos, exemplaria tria[b] inveniuntur.[c] De Breviario quoque sine Picâ edito v. notam *f.* p. xliii. Est autem Pica tabula omnibus annis inserviens, in quâ Proprium de Tempore cum Sanctorum festis et commemorationibus (vide infra) secundùm variationem literæ Dominicalis et Paschæ conciliatur, cujusmodi Directoria, aliquanto quidem pleniora, sed singulis tantùm annis inservientia, hodieque quotannis Ecclesiæ auctoritate munita prodeunt. Ad intelligendum autem Picam, conferatur semper Calendarium.

Pica de Dom. 1 *Adv.*] Pica de Dominicâ toti etiam hebdomadæ inservit.

Lit. Dom. A.] I. e. quando Lit. Dom. est A.

historia *Aspiciens*] I. e. Officium Dom. 1 Adv., cujus primæ lectionis Responsorium ab isto vocabulo incipit. Confer quæ ad verba *Domine ne in ira* et *Deus omnium* jam supra (p. viii, ix) annotavimus.

de octavâ] Scil. S. Andreæ.

cum antiphonâ *Ave Maria.*] Adde, (p. 3 a.)

ix lectiones] In Dominicis et festis majoribus, præterquam in tempore Paschali, i. e. a Dominicâ Resurrectionis inclusivè ad Festum Sacrosanctæ Trinitatis exclusivè, tres sunt Nocturni cum tribus in singulis lectionibus: in tempore autem Paschali, et in festis minoribus et feriis unus tantùm est Nocturnus, cum tribus lectionibus post Psalmos.

de commemoratione *vel* commemorationibus] Aliud in Romano, aliud in Breviariis Anglicis significat *commemoratio;* quod enim in Romano *commemoratio* (insertio scil. post Orationem in Laudibus et Vesperis,—1. Antiphonæ ad *Benedictus* vel *Magnificat*, 2. Versiculi, et 3. Orationis Officii alîus), id in nostris "Memoria" (v. ad P. 15 b); *commemoratio* autem plerumque[d] plenum totius diei Officium

[b] Gough (*Missal*) 111 (A.D. 1508), 142 (1503), et 149 (1504).

[c] Ordinale seorsim editum aliter ordinatum est et (saltem in libris a nobis inspectis) Tractatus *Defensorium Directorii* et *Crede Michi* (v. ad p. 3 b) vocatos appendicum loco additos habet.

[d] Aliquando quidem *commemoratio* idem ferè quod *festum* significat, ut in Comm. S. Pauli Prid. Cal. Junii, et (Omnium) Animarum 4 Non. Nov.

Digitized by Google

erat, ab Officio anniversario aliquantum mutatum, et brevius quidem aliquanto factum, sed tamen integrum in se permanens, et singulis non impeditis hebdomadis recurrens, quale restat hodieque Officium B. Mariæ in Sabbato, quod commemorationum nostrarum princeps erat, et si Sabbato non, aliâ autem quâvis feriâ fieri posset, ad aliam illam transferendum erat. Et hanc quidem solam extra chorum, scil. in recitatione privatâ, saltem ex præscripto, commemorationem faciendam fuisse probabile videtur.

In choro autem, etiam in Ecclesiis Parochialibus, addi solebat commemoratio altera, scil. festi loci, id quod e Rubricâ "*Sciendum est* &c." ad finem hebd. 1. Adv. positâ (p. 18 a—19 b) discimus, in quâ docetur etiam quomodo mutandum sit Officium festi ut Officium commemorativum fiat. Et has quidem duas solas extra Ecclesias Cathedrales, saltem ex præscripto, commemorationes faciendas fuisse, non ex Herefordensis tantùm Diœcesis exemplo,—nam de istâ Diœcesi ex ipsius Breviarii distinctione disertâ (v. infra) certum est,—verùm etiam e Rubricis Sarisburiensibus quæ (quantùm quidem notavimus) de duabus hisce solis mentionem faciunt, satis credibile fit.

In Ecclesiis verò Cathedralibus,—siquidem (id quod dubitari non oportet) quod de Eboracensi et Herefordensi ex ipsarum Rubricis (quarum Herefordensis inter Cathedralem et reliquas Ecclesias disertè distinguit: v. supra),—quod de Sarisburiensi tam ex hac ipsius Picâ[e], quam ex ejusdem *Tabula de Festorum Divisione*, certum est,—ad reliquas etiam Ecclesias Cathedrales trahendum est, tertia quoque commemoratio quædam, ejusdem ferè cum secundâ generis, facienda erat.

Quænam autem in ipsâ Eccl. Sarisb. aut hæc tertia aut vel commemoratio secunda fuerit, quum nullibi adhuc expositum invenire potuerimus, contra verò et in Eboracensi Breviario de commemora-

[e] In Picâ Brev. Ebor. Gough 59 commemorationes non notantur. Ebor. Gough 6 autem et Brev. Heref. a nobis inspectum (v. notam *g*, p. xix) non habent Picam. Sarisburiensia verò Breviaria præter unum Gough 67,8 (v. notam *i*. p. xxiii, et annot. ad Pr. 9 b) omnia Picam habent.

Digitized by Google

tionibus Eboracensibus omnia perspicuè exponantur, et ex Breviario Herefordensi quænam fuerint commemorationes Herefordenses satis certò constet, horum Breviariorum auxilio in iis exponendis, quæcunque ad hanc quæstionem in Brev. Sarisb. spectare videantur, uti æquum est. Erant autem commemorationes Eboracenses, præter B. Mariæ in Sabbato commemorationem, S. Wilhelmi Archiep. quondam Ebor. et Martyris feriâ tertiâ, et Apostolorum Petri et Pauli, quibus Eccl. Ebor. dedicata est, feriâ quintâ,—quoties scil. commemorationibus hisce nullæ aliæ feriæ aptiores essent; Herefordenses verò S. Thomæ ibidem Episcopi et Confessoris, et Ethelberti Regis ac Martyris; quarum, si a commemorationibus Eboracensibus judicandum est, S. Thomas tertiam, et antiquior majorque S. Ethelbertus quintam sibi feriam vindicasse potest.

Ipsius autem Eccl. Sarisb. *festum loci*, quum Sancti antiqui festum recens, *S. Osmundi* scilicet, qui sæculo XI Eccl. Sarisb. Episcopus 2dus fuit[f], *translationis*, sæculo demum XV factæ, festum Synodale sive Diœcesanum fuisse, vel ipsa Officii solennitas, præsertim per Octavas continuata, satis probabiliter indicare videatur, commemorationem commemorationi S. Wilhelmi Eboraci et S. Thomæ Herefordiæ respondentem, commemorationem scil. feriâ tertiâ (si non alia quædam feria aptior videretur) faciendam, ejusdem festi commemorationem fuisse satis probabile videtur;—præsertim quum et ex loco Tractatus *Crede Michi* vocati (v. notam *d.* p. xlii) a nobis cum *Picâ* comparato, ex comm. tribus, festi loci commemorationem ordine temporis primam fuisse appareat,—et in ipsius Brev. Sarisb. Parte Æstivali, inter festi translationis Officia An'æ ad *Benedictus* et *Magnificat*, Oratio, et lectiones commemorationi inservientes inveniantur. Tertiam autem, feriæ scil. quintæ, commemorationem, commemorationi Apostolorum Eboraci, S. Ethelberti Herefordiæ respondentem,—quum præter S. Ethelredæ, quam commemorationem Diœcesi Eliensi propriam fuisse in titulo ipso notatum est, in Brev. Sarisb. duæ, et duæ tantùm, ad manum apparatæ commemorationes integræ inveniantur, piissimi scil. et de

[f] Plura vide p. xli.

Digitized by Google

Eccl. Anglicanâ omnium optimè meriti S. Thomæ Cantuar'ensis, et egregii S. Ceddæ ε,—S. autem Cedda, etiamsi in Ecclesiâ Lichfeldensi pro Sancto loci proculdubio commemorandus erat, minimè tamen vel Sarisburiæ vel alibi in Provinciâ Cantuariensi, præterquam ubi Ecclesia ei dedicata erat, eosdem cum S. Thomâ honores habuisse credendus sit,—tertiam (inquam) sive feriæ quintæ commemorationem et in Eccl. Cathedrali Sarum et fortasse in aliis plerisque per Provinciam Cantuariensem Ecclesiis Cathedralibus, ipsius beatissimi Thomæ commemorationem fuisse maximè probabile videtur ; — ut commemorationum Sarisburiensium hæc omnino fuerit norma, scil. si tres in hebdomadâ dies vacarent, cum B. V. M. tam S. Thomam quàm S. Osmundum, si duo tantùm, cum eâdem S. Osmundum solum pleno servitio commemorare.—Quotiescunque vero una tantùm in hebdomadâ feria vacaret, quæcunque illa feria esset, de B. V. M. solâ commemoratio ubique facienda erat.

Commemorationes autem non fiebant aut in tertiâ Adventûs hebdomadâ, aut a Vig. Nativ. Domini ad Octavam Epiphaniæ, aut a feriâ quarta cinerum (*sive* in capite jejunii : Anglicè *Ash-Wednesday*) usque ad Dominicam in Albis (Anglicè *Low Sunday*), aut a Dom. 5 post Pascha usque ad Oct. Ascensionis Domini, aut per Octavas Pentecostes, aut in aliis festis vel octavis cum regimine Chori (*i. e.* quando regebatur, *sive* rectores habebat, Chorus : quod in solenniore tantum Officio fiebat : v. ad P. 21 b), aut in festis Sanc-

ε S. Cedda Episcopi Londinensis ejusdem nominis et duorum aliorum Sacerdotum plæclarorum Sinibil et Chelim frater, primò quidem Monasterii B. Mariæ Lestingayi in Insula Lindisfernensi (*Holy Island*) Abbas fuit ; deinde verò, in partibus peregrinis diutius demorante Wilfrido, a Wyne Occidentalium Saxonum Episcopo Archiep. Ebor. consecrari coactus est. Reverso autem Wilfrido, S. Cedda Ecclesiæ Lichfeldensis Ep'us electus est. Mortuus verò A. D. 670, 6 Non. Martias, et in Eccl. B. Mariæ primò sepultus, post Ecclesiam verò S. Petri ibidem constructam in eandem translatus, utrumque locum sanitatum miraculis celebrem reddidit. Postea verò sæviente sæculorum recentiorum furore et rapinâ, eximii hujus Sancti corpus a piis quibusdam feliciter celatum est ; atque adeo hodie Ecclesiam Cathedralem eidem nuper Birminghami dedicatam sanctitatis suæ odore illustrat.

Digitized by Google

torum propria Responsoria et proprias Laudes habentibus, aut in aliis vigiliis vel jejuniis quattuor temporum.

E Breviarii autem Eboracensis Rubricâ apparet, in istâ saltem Provinciâ, ante 'Concilium Generale A.D. 1478. Oct. 29. in Eccl. majori Eboracensi celebratum', præter B. Mariæ commemorationem, reliquas a toto etiam Adventu, Septuagesimâ[h], et Tempore Paschali exclusas fuisse.

Responsoria ferialia] Lectionum Dominicalium Responsoria quæ in primo et secundo Nocturno inveniuntur ferialibus etiam lectionibus inserviunt; eorum autem quæ in tertio inveniuntur unum vel duo in Officio feriali mutantur, quibus quæ substituuntur Responsoria ferialia vocantur. V. p. 8 b. et 16 b. Quibus autem legibus tam hæc quàm reliqua Responsoria pareant, vide in feriarum 2, 3, et 4 Rubricis, p. 14 b. 16 a. 17 b.

in Capitulo] I. e. *in Domo Capitulari*, Anglicè *in the Chapter-House*.

Lit. Dom. B.) mem. ad vesp. et ad matutinas de S. Mariâ] I.e. 'ad vesperas de S. Mariâ et ad matutinas de S. Mariâ', scil. in Officio Parvo B. Mariæ, quod, quandocunque non fieret plenum servitium de eâ, Officio diei addendum erat.

Lit. Dom. C.) Fer. 4 de fer.] Sic rectè Tanner 171 (8vo, in Bibl. Bodl.) et Ordinale Gough 149. Multi *de fe.* unde alii malè *de festo*. Cf. infra.

Lit. Dom. D.) nisi mem. ad vesp.] Sic rectè Gough 197 (=Linc. B. 10. 7. 4to, ibid.). Reliqui omnes quos vidimus omittunt *mem.* quod idem etiam in Ordinalibus Gough 111, 142, et 149 factum est.

Lit. Dom. E.) cum oratione *Majestatem*] Quæ in Proprio de Sanctis in Officio S. Andreæ quærenda est.

Lit. Dom. F.) sol. mem.] Sic rectè Gough 16. Reliqui omnes quos vidimus, *et sol. mem.*

Ibid. (p. 2.) Fer. 5 de fer.] Sic rectè Gough 58 b. (Cf. et Ordinale Gough 149.) Antiquiores *de fe.* unde malè seriores *de festo*. Cf. supra.

[h] I. e. Tempore Septuagesimali; scil. a Dominicâ in Septuagesimâ ad feriam quartam Cinerum.

Digitized by Google

De Vesperis Primis Dom. 1. *in Adv.: scil. de Vesperis Sabbati præcedentis.*

p. 2 a. *Ad Vesperas, &c.*] Cum Proprio de Tempore semper conferatur Psalterium, et cum Psalterio Proprium de Tempore, quod ad utrumvis intelligendum omnino necessarium est.

Psalmus Ipsum.] Vide ad P. 38 b.

Esajæ ij A.] Literæ respiciunt antiquam capitum divisionem, scil. per literas priores alphabeti.

Erit in &c.] In Brev. Ebor. "Venite—Hierusalem." (v. p. 21 a, *lect. iij.*) In Rom. "Fratres, hora—credidimus." (v. p. 8 a).

Responsorium autem post Capitulum in Brev. Sarisb. Vesperis primis ejusdem est generis cum Responsoriis post lectiones in Matutinis. In nullis autem Responsoriis post lectiones vel Capitula additur *Sicut erat &c.* post *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.*

D'ns justus noster.] In Br. Ebor. totum "Et hoc—noster." dicitur. Br. Rom. præter "Deo gratias." non habet Resp.

Et nubes pluant justum (*scr.* Justum):] In Br. Rom. hæc verba *Responsorii* sunt initium. Cf. notam sequentem, et ad p. 3 b.

Eodem modo respondeatur] Eodem (ut videtur) inæquali modo versum dividendo. Cf. notam præcedentem.

p. 2 b. agie] Pro hagie (ἅγιε), sancte.

p. 3 a. *huic sabbato*] Malè libri omnes quos videre contigit *hôc sabbato.*

Per Christum D'nm] Adde, [nostrum. Amen].

Pro [nostrum] (bis) scr. [nostrum. ℟. Amen].

p. 3 b. Post "Per eundem" adde, [Christum D'nm nostrum. Amen].

vesperæ de S. Mariâ] V. ad Picam, Lit. Dom. B.

neuma] Rectiùs Gough 67 *pneuma.* In Douce Ref. autem pro "*sine neuma hôc modo.*" legitur "*sine notâ, ut habetur post Commune* [scil. *Sanctorum*] *in Officio de B. Mariâ tempore Adventûs, viz. hôc modo.*

In ambobus autem hisce libris Vesperæ de B. Mariâ ferè integræ descriptæ sunt. Cf. ad Compl. de Adv. infra.

Digitized by Google

AD—*modo.*] Gough 67 (v. notam *i* p. xxiii, cum Add. et Corr.) et Douce Ref. "*Ad compl. de adv. ebd. incipi. hoc mo.*"

hebdomadarius] Cujus est officium per hebdomadam. Sic p. 5 b. *puer hebdomadarius.*

respondeat] In Douce Ref. omissum.

ut supra ad Vesp.] Hoc ex antiquiore et pleniore Breviarii editione per incuriam relictum esse videtur.

incipiat Antiphonam] Vide p. x, xi.

mihi] Crebrò recurrens in Breviariis antiquis scriptura *michi*, *nichil*, &c. brevem vocalis prioris sonum, ad illa usque tempora a majoribus nostris retentum, respicit.

et intonetur Psalmus] I. e. dimidium versûs primi præ-cantando incipiatur; post quam præ-cantationem Chorus statim reliquam istius versûs et totius Psalmi partem cantat. Idem infra *Psalmum exaltare* vocari videtur.

de superiori gradu] Confer '*de ij formâ*' proximè supra. Vide autem ad p. 5 b.

In te D'ne speravi. *j.*] I. e. Psalmus primus qui ab his verbis incipit.

usque ad v. Odisti observantes] I. e. exclusivè. Breviarium autem Eboracense, "—speravi. *usque* In manus tuas." i. e. usque ad versum istum *in*clusivè.

de quocunque] In Gough 67 *quodcunque.*

Post "*ad octavam paschæ.*" Gough 67 et Douce Ref. addunt, "*et dicuntur sub unâ voce, nullum psalmum exaltando in choro ut supra.* Cf. p. 4 b. cum annot. nostrâ. In quibus verba *nullum psalmum exaltando* (v. supra) præcedentium *sub unâ voce* (i. e. *intonatione*) sensum explicant: *in choro* autem et *ut supra* rectè addita sunt, hoc quia de unâ tantùm intonatione mentio supra facta fuerat, illud quia extra chorum, i. e. privatim recitantibus, intonationes ad placitum fieri poterant.

Ad Capitulum in Douce Ref. malè in margine notatum est "Isaie 4": v. ad P. 101 a.

Digitized by Google

Ut pupillam oculi,] In Brev. Rom. et Ebor. hæc verba *Responsorii* sunt initium. Cf. ad p. 2 b.

p. 4 a. Kyrie eleison *iij.*] Adde, "[*ter*]", et cf. ad P. 101 b.

post Psalterium] I. e. *post Psalt. Biblicum.* In Gough 67 autem et Douce Ref. Completorium reliquum plenè descriptum est, additis etiam explicationibus et notis quibusdam quæ in Psalterio non leguntur: vide collationem in annot. nostrâ ad p. 107 a — 108 b.

Post Compl. dicitur sola Oratio Fidelium *&c.*] Sub Completorii nomine preces quoque "pro pace Ecclesiæ" dicendæ hîc includantur necesse est: alioqui *Fidelium* &c. non esset *sola* Oratio post Completorium dicenda. Hinc autem,—si dubitandi adhuc locum plenior editionis Gough 67 (v. ad p. 108 b) ordo reliquisset,—probaretur non ante sed post preces illas Orationem hanc dicendam esse.

De Matutinis et Laudibus Dom. 1 *in Adv.*

Pater noster *et* (Douce Ref. om. *et*) Ave Maria] In insertione ante Douce Ref. Psalterium legitur monitum sequens:

"*Ante initium horarum dicitur semper oratio dominica: et in fine* "*similiter, præsertim post matuti.* [*matutinas*] *et vesperas per c.* [for-"tasse, *per canonem,*] Id semper placuit. de cō. di. v. [fortasse *de* "*consilio* (vel *consuetudine*) *dicendum* (vel *dicitur*) *verò*] *Identidem* "Ave Maria. Credo in deum. [1]Credo in spiritū."

Hoc autem testimonium, etiamsi quantùm ad Orationem Dominicam non ante solùm sed et post Horas, secundùm leges quidem Romanas (v. ad P. 12 a), dicendam satis probabile videtur,—in reliquis tamen,—quum et in ipsius Breviarii Sarisb. Rubricis, tam ante Matutinas (v. p. 4 a) quàm ante Compl. (v. p. 3 b. et P. 100 a) cum Oratione Dominicâ Salutationem quoque Angelicam dicendam esse disertè notatum sit, et in admonitione illâ quam supra (p. vii) descripsimus, ante Horas omnes (ut videtur quidem) præmisso

[1] Ideo hæc verba (*Credo in Spiritum*) addita sunt, quia Symbolo Apostolico,—quod in insertione illâ unà cum formulis aliis mox eâdem paginâ plenè scriptum sequitur (v. ad Formulas Communes, p. 121),—in paragraphos duas diviso, secunda ab iisdem incipit.

Digitized by Google

Crucis signo idem fieri jubeatur, de Symbolo autem Apostolico Horæ cuivis præponendo non modò in Rubricis, sed ne in illâ quidem admonitione vel minima mentio facta sit,—haudquaquam satis tutum videri potest. Et sanè quum in Officio Sarisb. non modò ante primi Nocturni lectiones post Orationem Dominicam illud quoque Symbolum addatur, verùm etiam in Primâ et Completorio (aliter quàm in Romano) Preces in quibus continetur, extra hebdomadam Paschæ et Triduum præcedens, nunquam omittantur,—si neque de eodem Nocturnis et Primæ (ut hodie) præponendo, neque de idem post Completorium (ut hodie) addendo, quidquam aut ex præcepto aut ex consilio, illâ quidem ante Douce Ref. Psalterium insertione exceptâ, proponebatur, nequaquam hoc cuivis mirum videri debet. Neque verò vel hoc notatu indignum est, in Douce Ref., quemadmodum de Symbolo identidem ante Officia dicendo mentio facta sit, ita ante lectiones pro *Credo* legi *Ave Maria*; quam tamen lectionem fatendum est non in hac solâ editione legi, siquidem in tribus aliis libris Bodleianis (v. ad locum), ipsi notavimus. De ejusmodi autem varietatibus latiùs patet quæstio, et investigatione accuratiore indiget, quàm ut hîc, in ipso tanti operis limine, omnia statim ad liquidum explorare possimus. Cf. autem notam *t.* p. xv.

De ℣. *D'ne labia* v. ad P. 100 a: de *Deus in adjutorium* et *Alleluja* ad P. 12 a.

adjutorium—erat.] Gough 67 " adj. *ut supra.*" Douce Ref. "adjutorium me. *ut supra.*" De " *ut supra* " autem v. ad p. 3 b. (p. xlviii, parag. 4.)

Sequatur invitatorium &c.] De invitatorio et de hac Rubricâ plura vide inter Formulas Communes. (Vide etiam infra.) Primi autem quinque versus Psalmi *Venite* (ut ante Nocturnos quidem cantari vel recitari debet), quinque sunt paragraphi in quas (ut P. 122 factum apparet) Psalmus ille divisus est, sextus verò, *Gloria Patri* ad finem additum.—Pro *occurramus* scribe *Occurramus.*

Hujus autem paragraphi (" *Sequatur &c.*") loco, in Gough 67 et Douce Ref. leguntur sequentia:

" *Officium principalis rectoris est in primis invitatorium quærere a* " *cantore, et cantum Psalmi* Venite [Gough 67 *et cantum, Psalmi* Ven.

Digitized by Google

" *scil.*] *Deinde cum socio suo rectore chori* [Gough 67 *c. s. s. incipient* " *rectores chori :*] *in cappis sericis ad gradum chori simul incipiant inv.* " Ecce venit Rex. *Chorus prosequatur sic :* Occurramus obviam Sal- " vatori nostro. *Rectores dicant simul totum Psalmum* Venite, *nullum* " *versum exaltando. Post i et v versus Psalmi repetatur totum inv. a* " *choro. Et post iij versum a cantore vel succentore reincipiatur inv.* " *vocem exaltando, et percantetur a choro. Post ij verò et iiij et vj* " *versus Psalmi repetat chorus* Occurramus *etc. Deinde reincipiatur* " *inv. a rectore, et percantetur a choro.*"

Quæ si cum paragrapho sequente et *Tabulâ* (in Brev. Sarisb.) *de festorum divisione* comparentur, satis manifestum erit, quæ in Gough 67 et Douce Ref. rectè servata sunt, ea in Breviariis Communibus brevitatis caussâ partim omissa, partim in angustius contracta esse. Cf. quod de omissionibus similibus, in ipsis quoque Gough 67 et Douce Ref. notandis, ad p. 3 b. et P. 101 b. jam supra notavimus.

De invitatorio autem ipso disputationem ad Addenda relegamus.

servetur] Gough 67 et Douce Ref. *observetur.*

et postea] Iidem libri omittunt *et.*

p. 4 b. declini] Br. Ebor. *declivi.*

Non demum] Br. Ebor. *Non des ut.*

arctemur] Gough 67, Douce Ref., Gough 58 b, et Br. Ebor. *artemur :* reliqui quos vidimus malè *arcemur.*

In " Laus, honor. (p. l.)" pro l. scr. 2 b.

Erit expectatio] Inserendum *ipse* (" Erit ipse exp.") e Psalterio p. 6 a.

De *incipiendo* Antiphonas et *exaltando* Psalmos v. ad p. 3 b. collato p. xi. ubi etiam de *Gloria Patri* dictum est.

sub unâ voce] I. e. *sub unâ* (scil. *sine novâ*) *intonatione.*

p. 5 a. *et* Credo in Deum] Douce Ref. et Gough 9, 58 b. et 67. " *et* Ave Maria", et paullo post " Pater noster *nec* Credo". V. ad p. 4 a (p. li).

Et notandum est, &c.] Quia in Officio Romano quoties ad finem Orationis Dominicæ et Symboli Apostolici verba *Et ne &c.* et *Carnis &c.* " in audientia" dicuntur, prima etiam verba *Pater noster* et *Credo in Deum* eodem modo proferuntur. Item, in

Digitized by Google

Off. Rom. non in Missâ tantùm, verùm etiam in Laudibus et Vesperis, quandocunque dicuntur Preces Feriales (quæ tamen non, ut in Off. Sarisb., in omni Officio feriali, sed tantùm in feriis Adventûs, Quadragesimæ, IV Temporum, et Vigiliarum quæ jejunantur, exceptis Vig. Nativ. D'ni, ac Vig. et IV Temporibus Pentecostes, dicuntur), in iisdem Precibus *Pater noster* totum clarâ voce ab hebdomadario (v. ad p. 3 b) dicitur. De hac autem consuetudine antiquâ, celandi scil. *Pater noster*. &c. ab ethnicis, adeat lector antiquitatum Ecclesiasticarum scriptores.

Et postea dicat &c.] V. ad P. 16 a.

In Off. Rom. inter *Et ne &c.* et primum uniuscujuscunque Nocturni *Jube*, Absolutio quædam a Sacerdote dicitur: cujus autem moris nullum adhuc vestigium in Officio nostro a nobis quidem visum est.

Jube Domine benedicere.] In Off. Rom. in privatâ tantùm recitatione, vel sine Sacerdote altero, dicitur *Domine*, scil. ad Deum, ad Sacerdotem verò *domne* (v. ad P. 113 a); sed in Sarisburiensi hæc distinctio locum habuisse non videtur. *Jube* autem sensu peculiari de prece Sacerdotali effectivâ quâ datur benedictio usurpari videtur[k]. Quando autem ad Deum dicitur, conferri potest "quoniam angelis suis mandavit de te" (Ps. 90, 11: P. 100. b), &c.

Hæc dicit D'ns: (bis)] Pro "D'ns" scribe "D'ns Deus", cum Douce Ref. et *Legendis Sarisburiensibus* A.D. 1518 ab editionis Douce Ref. typographo (*F. Byrckman, Parisiis*) impressis; quorum etiam librorum scripturam Rubricæ post lectiones primas Officii Epiphaniæ (cujus Officii Nocturni primi lectiones itidem e prophetiâ Esajæ leguntur) et Officii Dominicæ Calendis Novembribus proximioris (quâ die incipitur liber Ezechielis) omnino confirmant. Sic etiam Br. Ebor.

Pro *Tu autem Domine* [*miserere nostri*]. Rom. legit.—*nobis*.

[k] Simili ferè modo explicari potest tam quod in Hymno Apostolorum Laudibus extra tempus Paschale communi legitur:

"Qui cœlum verbo clauditis,
"Serasque ejus solvitis,
"Nos a peccatis omnibus
"Solvite *jussu* quæsumus.":

quàm quædam B. V. M. invocationes.

Digitized by Google

p. 5 b. *Finita lectione, &c.*] In Off. Ebor., ut in Romano, non post Capitula tantùm (v. ad P. 39 a), verùm etiam post lectiones, Chorus respondet *Deo gratias.*

a tribus pueris &c.] Hujusmodi multa non obligabant nisi ipsos tantùm Ecclesiæ Sarisburiensis Clericos et eos qui talia facienda sponte susceperant. Plura vide in *Defensorio Directorii*: cf. ad P. 21 b. et 24 b.

puer hebdomadarius] V. ad p. 3 b.

repetitiones in Br. Ebor. '*iterationes*' vocantur.

Qui regnaturus es.] Br. Ebor. (Gough 6: v. ad p. 2 a. *in Addendis*) per errorem "Qui regis."

Lectio ij.] Ante singulas lectiones modo jam exposito petenda est benedictio. Benedictionum autem Officio de Tempore inservientium tabulam intellectu facilem ad finem Annotationis inseruimus.

Cognovit &c.] In Br. Ebor. lectio *ij* verbo "sceleratis", *iij* verbo "sanitas" concluditur.

p. 6 a. ℟. 3.) Gloria. Et vocabitur.] Sic rectè Douce Ref. et Gough 67 et 58 b. Reliqui (quos quidem vidimus) utrumque omittunt.

In ij noct.) *Ps.* Exaudi Deus.] Corr. "*Ps.* Exaudi D'ne." etiamsi libri omnes a nobis inspecti habent *Deus.*

p. 6 b. In Br. Ebor. mediæ lectiones de '*sermone beati Leonis*' leguntur. Responsoria autem 5 et 6 in eodem Brev. sunt "Salvatorem &c." (p. 7 a) et "Audite &c." (p. 7 b). Post 6ti autem ℣. repetitur "Et in—adveniet.": post "Gloria P. et F. et Sp. S." demùm "Salvator n. adv."

p. 7 a. Qui reformabit] Br. Ebor. *Qui reformavit.*

In iij noct.) appropinquabit] Sic libri: corr. autem e Psalterio (p. 10 b) et S. Scripturâ, *appropinquavit.* Cf. tamen notas proximè sequentes duas.

lux vera est et fulgens in cœlo.] Sic libri, qui tamen in Psalterio (p. 11 a), ut et Psalt. Heref., "lux vera est fulgens in cœlis." Psalt. Ebor. "est fulgens in cœlo."

Veniet ut salvet populum suum a peccatis eorum.] Sic libri, qui tamen in Psalterio (p. 11 b), "Veniet ut salvet populum suum. *Non dicatur ulterius.*" Cum Psalterio autem concordat Brev. Ebor.: cum Pr. de T., Brev. Heref.

Digitized by Google

p. 7 b. Lectio &c. *et infra*, Homelia &c.] Hi et tales tituli in Breviariis rubro colore quemadmodum Rubricæ impressi sunt; quum verò in Ecclesiâ legendi, et ipsius Officii pars sint, nos utilitati lectoris (scil. ne falleretur) consulentes, non Italicis, sed Romanis typis usi sumus. In *Legendis* autem *Sarisburiensibus* ad p. 5 a. memoratis "Lectio &c." et "Hom. &c." ambo colore nigro rectè impressa sunt.

Gloria tibi, D'ne.] Dele hæc, cum Bodl. B. 11 Jur. Seld.=Gough 197: cujus editionis lectionem omnino confirmant *Legendæ* supra memoratæ, in quibus pro "Gl. t. D." legitur; "*Non dicitur* Gl. t. D."

et statim—mihi.] Br. Ebor. omittit hæc.

titulum de homeliâ] Solœcè dictum pro *titulum homeliæ* (rectiùs *homiliæ*).

de eadem lectione] Charactere Romano, non Italico, hæc scribenda sunt: v. supra, et cf. notam sequentem. Post hæc autem verba *Legendæ* supra memoratæ inserunt "*per totum annum quando de temporali agitur*,".

Homelia de d. t.] Br. Ebor. "Omelia beati Johannis episcopi de eâdem lectione."

Post hunc autem titulum *Legendæ* supra memoratæ addunt, "*quod per totum annum observetur, sec. usum Sarum, ut post euangelia suis locis intitulatur.*"

Responsoria autem 7 et 8 in Br. Ebor. sunt "Ecce, &c." (p. 8 a) et "Obsecro, D'ne, mitte &c. [reliqua ut p. 16 b.]"

p. 8 a b. *in vigiliis*] Subintellige, *quando officium de vigiliâ fit.* De *Te Deum* autem plura vide ad P. 11 b.

p. 8 b. De *responsoriis ferialibus* v. ad Picam, Lit. Dom. A. In Br. Ebor. autem unum tantum est Resp. fer., scil. "Erumpant &c." ut p. 27 a b.

Finito resp.] Gough 67 et Douce Ref. "*Finito ultimo resp.*"

p. 8 a. Hora &c.] In Br. Ebor.: Hora—credidimus: nox—appropinquabit. (v. p. 10 b.) "*Hoc Cap. dicitur in Laudibus diebus Dom. tantùm, cùm de Adv. agitur.*"

Missus est &c.] De Off. Ebor. v. ad p. 3 a. *in Addendis.*

p. 9 b. parag. 2.) *nisi de vig. S. Andreæ*] Sic rectè Douce Ref. et Gough 16 et 67. Malè seriores omittunt *nisi.*

Digitized by Google

ibid. *licet festum loci fuerit.*] In Douce Ref. et Gough 67, *nisi ubi est Ecclesia dedicata in honore Sancti Andreæ : tunc ibi celebretur.* quod tamen ipsius Douce Ref. Picæ contradicit. Gough 67 (solus eorum quos videre contigit) non habet aut Picam aut colorem rubrum nisi calamo sublineatum. Est autem (ut videtur) inter libros antiquissimos. Plura vide in nota *i.* p. xxiii.

in festo ejusdem] In Proprio de Sanctis.

De reliquis primæ hebdomadæ Adventûs Officiis, et Rubricis generalibus ibidem insertis.

p. 10 a. in nomine tuo. Gloria Patri.] Sic rectè (cf. Psalterium, et nota analogiam) Douce Ref.: reliqui omnes quos vidimus omittunt *Gloria Patri.* Rectè autem Br. Ebor.:—in quo post *Confitemini* quoque additum est.

Hi prædicti &c. et *Quandocunque dicitur &c.*] V. ad P. 16 a—18 b.

omnibus—agitur] Pro his Br. Ebor. "*in omni Dominicâ quando nocturnus* [v. ad p. 14 a] *dicitur ad matutinas*".

In *una antiphona* nihil aliud est *una* quam *articulus* (quem vocant) *indefinitus :* Fr. *une antienne :* Angl. *an anthem,* non *one anthem.*

Cap. Hora &c.] De Capitulis Eboracensibus v. annot. nostram ad P. 26 a. et 30 b. in Add. et Corr.

℟. Veni &c. Cf. P. 26 a. cum annot. nostrâ in Add. et Corr.

p. 11 a, pro [super.] scr. [Super te.], et ante "℣. D'ne Deus &c." insere [Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Super te.]

loco Bened. D'ns, *dicitur.*] Libri plurimi omittendo punctum post *dicitur* sensum alienum et pravum reddunt. Rectè Douce BB 180 et 200, et Gough 158 b. 151. 185.

p. 11 b. *usque ad* O sapientia (scr. ubique, O Sapientia).] V. ad p. 28 b.

p. 12 a. *Vigiliæ Mortuorum*] Quas vide post Psalterium.

Placebo *et* Dirige] V. ad p. 117 a.

usque ad lectiones tantum, etc.] I. e. *inclusivè,* sive *usque ad Laudes exclusivè :* v. p. 14 a, parag. 1.

In parag. penult. pro *dici* malè Douce Ref. et Gough 67 *dicere.* Reliquam autem hujus paragraphi partem variè et miserè detorquent libri. Rectè solus ex omnibus quos vidimus, qui e libris nostris

Digitized by Google

antiquissimus est: — cujus ope (benignè nobis ab amico p. i in textu laudato concessâ) alia quoque non pauca loca in statum pristinum restituimus.

p. 13. a, parag. 3, pro *ante Laudes* Gough 67 et Douce Ref. habent *ante lectiones ;* iidemque post " respice" addunt, *Omnes lectiones in secundâ formâ legantur ; Versus quoque Responsoriorum ab eisdem lectoribus dicantur* (*dicuntur* Gough 67); *ita quòd prima et tertia lectio ex parte chori legantur, et secunda lectio ex alterâ parte chori.*

p. 14 a, parag. 4, pro *Et* scr. *et.*

Ibid. parag. 5.) *dicitur noct.* (scr. *nocturnus*)] I. e. nocturnus Dominicalis vel ferialis, sive 18 vel 12 Psalmi cum *Gloria Patri* et antiphonis, quemadmodum in Psalterio singulis hebdomadæ diebus assignati sunt. Quo eodem sensu et in Officio S. Hieronymi in Brev. nostro (lectione quintâ) legitur, " Psalterium quoque per ferias distinxit, et unicuique feriæ [i. e. hebdomadæ diei : v. notam *l*, p. x] *nocturnum* dedit" ; et *Libri Precum Communium &c.* compositores, quæ ibi legerant in Monito suo minùs rectè exponentes, ' Psalmos (" *the Psalms*") a Patribus in septem portiones, quarum unaquæque *nocturnus* vocaretur, divisos esse' affirmaverunt.—Notandum est autem in Brev. Rom. *nocturnus* (genere masc.) de uno e tribus, de Officio autem trium lectionum, sive feriale sive festivale sit, neutro genere *nocturnum* dici.

Feriæ autem 2 lectiones in Off. Ebor. sunt, 1. " Vulnus [v. p. 6 a. cum annot. nostrâ]—hostili." 2. " Et derelinquetur — essemus." 3. " Audite—nolui."

p. 15 a. Pro " *usque ad orationem* [*et*] D'ns. vob." corrigendum e Gough 67 et Douce Ref. " *usque ad ante orationem* D'ns vob." i. e. " *usque ad* D'ns vob. *ante orationem*," quâ constructione difficiliore non intellectâ, in libris reliquis malè omissum est *ante.*

ad primum O *et sic deinceps ad omnes* O.] V. ad p. 28 b.

p. 16 a et b. Feriâ tertiâ lectiones Eboracenses sunt, 1. Cum veniretis (v. p. 14 b. cum annot. nostrâ ad p. 14 a)—est mihi. 2. Neom. —sustinens. 3. Et cum—plenæ sunt. Feriâ autem 4tâ, 1. Lavamini— 2. Si fuerint— 3 Quomodo—ad eos.

A. Leva &c.] In Br. Ebor. " *In Euang.* [v. ad P. 122] *A.* Ante-

Digitized by Google

quam convenirent inventa est Maria habens in utero filium de Spiritu Sancto. Alleluja."

p. 17 b. Feria 5tâ lectiones Ebor. sunt, 1. Incurvabitur (v. p. 24 a)— 2. Et introibunt— 3. In die illâ—percutere terram. Feriâ 6tâ, 1. Væ impio (v. p. 26 a)—2 Stat ad judicandum—3. Et dixit (v. p. 28 a)—nudabit.

p. 17 a et b. In eodem Officio " *A.* De Sion &c." ad Vesp. fer. 4, " *A.* Veniet fortior &c." ad Mat. fer. 5, ad feriæ vero 4tæ Matutinas dicitur " *A.* Erumpant—venit." (v. p. 27 a b).

p. 17 b. Ecce veniet &c.] In Br. Ebor. " Veniet dies D'ni magnus et manifestus: qui eum invocaverit salvus erit. [Alleluja.]"

p. 18 a. parag. 1.) *Ad vesp.* (scr. *vesp.*,) *quæ* &c.] Cf. quæ de commemorationibus supra ad Picam, Lit. Dom. A, dicta sunt.

Ps. Benedictus. et p. 19 b. *Ps.* Magnificat.] Etiamsi in Memoriis hæc Cantica non reipsa dicuntur, quum tamen Antiphonæ nihilo minùs '*An'æ ad* Bened. *et ad* Magn.' vocentur, etiam de Memoriis usitata additio " *Ps.* Bened." vel " *Ps.* Magn." aliquando retinetur. Cf. p. 38 b. unà cum annot. nostrâ.

p. 18 b. parag. 1.) Puncta corr. sic, *de S. Maria :* et l. seq. *in Ordinalibus Sar., cum.*

Ib. parag. ult.) *Sancti Dei omnes* est initium Antiphonæ primæ in primis Vesp. Festi Omnium Sanctorum. Orationem autem de quâ interpositis quibusdam verbis mentio facta est, alibi ne memoratam quidem invenisse recordamur.

p. 19 b. *Ps.* Magnificat.] V. p. 18 a.

De hebdomadâ secundâ Adventûs D'ni.

Lit. Dom. A.) Ant. *Ave Maria*] Adde, (p. 3 a.)

Lit. Dom. G. et p. 23 a. lin. ult.) *Ne timeas.*] Adde, (p. 15 b.)

p. 23 b. *Ant.* Ave Maria] Adde, (p 3 a.)

per ordinem nocturnorum] Cf. hebd. 1. Adv.

ita tamen quod Responsoria ferialia non omittantur.] I. e. propter Responsoria Dominicalia; nam propter festa et commemorationes, in Picâ sæpe jubentur omitti.

Digitized by Google

Lit. Dom. A.) ℟. *Qui venturus.*] Adde, (p. 26 a.)

Ant. *O Sapientia*] V. p. 37 b, parag. ult.

Missa *Salus populi* Missa commemorativa erat (v. supra ad Picam Dom. 1 Adv.), *pro fratribus et sororibus* in hebdomadis non impeditis dicenda, cujus leges v. in Missali Sarisb. inter commemorationes post Communia.

Lit. Dom. C.) ℟. *Festina.*] Adde, [v. p. 28 a. et 38 a.]

Lit. Dom. F.) Ant. *Beata es.*] Adde, (p. 23 a.)

Ant. *Ave Maria.*] Adde, (p. 3 a.)

Lit. Dom. G.) ℣. *Ex Sion.*] Adde, (p. 4 b. et 5 a.)

A. *Nolite.*] V. p. 38 b, parag. ult.

Or. *Excita.*] V. p. 32 a.

℣. *Egredietur.*] V. p. 6 a b.

p. 25. a. *Ant.* Ante me &c.] Vel Ant. *O Sap.* : v. Picam præcedentem sub Lit. Dom. A, et Rubricam proximè sequentem.

Ante primas vesp. &c.] Quia dies decimus septimus ante Cal. Jan. non potest incidere in priorem quemvis Adventûs diem. V. p. 37 b. parag. ult. et cf. p. 32 a.

p. 25 b. Pro "*etc.*]" scr. "*etc. ut supra, p. 2 b.*]"

p. 28 a. *Vel A.* O Sap.] Vel *O Adonai :* v. p. 38 a. et cf. notam ad p. 25 a.

sec ordinem nocturnorum.] Cf. hebd. 1. Adv.

Dominicalis] Meminerit lector quæ de hoc vocabulo diximus in notâ ad p. vii.

De ordine versuum &c. p. 28 a. 29 b. 30 b. 31 a. et 32 a. cf. hebd. 1 Adv.

p. 28 b. 29 b. 30 b. et 32 a. *Vel A.* O.] I. e. una ex Antiphonis incipientibus ab O : v. p. 37 b. parag. ult. et p. 38.

p. 31 a. *Vel A.* Orietur D'ns.] Legendum videtur *Vel A.* O : vide notam præcedentem.

Digitized by Google

Lit. Dom. A.) usque ad ℣. tertii noct.] I. e. exclusivè.

"Inv. *Hodie scietis*" est invitatorium Vig. Nativ. D'ni; quod solum de Vigiliâ in priore Officii parte Officio Dominico inserendum est.

Post *respice.* adde, [et quattuor proximè sequentibus].

Lit. Dom. C.) Post *auferetur* adde, (p. 34 b.): post *Beata es,* (p. 23 a.)

Lit. Dom. E.) Post *Sub tuam* adde, (p. 19 b.)

p. 34 b. 36 b. et 37 b. *A.* O.] V. ad p. 28 b.

p. 36 b. *Quotidie* &c.] Cf. hebd. 1 Adv.

p. 38 b. An'æ 5 et 6 Memoriæ de Adventu in primis et secundis S. Thomæ Vesperis faciendæ inserviunt. De additione autem verborum "*Ps.* Magn." v. ad p. 18 a.

In *A.* 6 pro "O rex" scr. "O Rex".

differtur in ij feriam] V. p. 9 b. parag. 1, et p. 37 b. parag. 6.

Dicit D'ns] Adde, (p. 37 b.).

(Conclusio *sequens ad priorem tantùm brevioremque Editionem spectat: de hac alterâ multoque magis auctâ Editione plura vide post* Addenda.)

Decies plura scripsimus quàm scribere volueramus: neque enim aut libri nimis diu jam frustra expectati moram productiorem facilè ferebamus, aut non, quæ ipsi accuratiùs ediscere, potiùs quàm alios docere maluissemus, ea jam in ipso tanti operis limine per scripta publica explicare, et molestum et periculosum erat. Quo verò magis rem totam animo versaremus, eo magis atque magis præferendum videbatur, etiamsi accederet mora aliquantula in edendo, librum tamen intelligibilem edere, potiùs quam sine morâ edere quod cum morâ multâ a lectoribus plerisque legendum fuisset; nec

Digitized by Google

si pauca quidem satis bene explicare possemus, ideo (cum maximo lectoris incommodo) explicandum erat nihil.

Est quâdam prodire tenus, si non datur ultra.

Quæ verò in hac tantâ festinatione minùs rectè dicta fuerint, ignoscat nobis æquus lector, eoque magis, quod quæcunque notatu digna vel ipsi deprehenderimus, vel alii nobis monstraverint, ea omnia in fasciculis sequentibus emendatiùs scripta lectori in manus tradituri sumus. Quâ in re quum a lectoribus ipsis (præsertim qui in his rebus doctiores sunt) plurimùm adjuvari possimus,—ut quæcunque in his schedis σφάλματα invenerint, omnia cum bibliopolâ nostro communicent, eosdem debitâ cum reverentiâ rogamus. Cf. etiam p. iv. et annot. ad P. 103 b.

SYNOPSIS BENEDICTIONUM

IN OFFICIO DE TEMPORE ET DE SANCTIS:

IN MAGIS ORDINATAM ET INTELLECTU FACILIOREM METHODUM REDACTA.

I. *In Officio ix lectionum.*

In 1 *Noct.*—1. Benedictione perpetuâ benedicat nos Pater æternus.
2. Deus Dei Filius nos benedicere et adjuvare dignetur.
3. Spiritûs Sancti gratia illuminet corda et corpora nostra.
In 2 *Noct.*—4. Omnipotens Dominus suâ gratiâ nos benedicat.
5. Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ.
6. Intus et exteriùs purget nos Spiritus almus.
In 3 *Noct.*—7 a. *Si exponatur euangelium secundum Matthæum,* Euangelica lectio sit nobis salus et protectio.
7 b. *Si sec. Marcum,* Euangelicis armis muniat nos Conditor orbis.
7 c. *Si sec. Lucam,* Per euangelica dicta deleantur nostra delicta.
7 d. *Si sec. Johannem,* Fons euangelii repleat nos dogmate cœli.

Digitized by Google

7 e. *Si euangelium non exponatur*, Creator omnium rerum benedicat nos hîc et in ævum.

8. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

9 a. *Dominicis diebus a Festo S.S. Trinitatis usque ad Adv. Domini, quando de Dominicâ fit*, In charitate perfecta confirmet nos Trinitas Sancta.

9 b. *Quandocunque aliàs Officium de Tempore fit*, In unitate Sancti Spiritûs benedicat nos Pater et Filius.

9 c. *In festis Sanctorum*, Ad societatem civium supernorum perducat nos Rex angelorum.

II. *In Officio iij lectionum.*

(A) Si exponatur euangelium, benedictiones eædem sunt quæ in Officio 9 lectionum in tertio,

aliàs verò,

(B) In festis quidem, et in temporis Paschalis (v. p. xi) feriis,—alternatim per hebdomadam vel per octavas,—quæ in primo et secundo Nocturno dicuntur,

(C) In feriis autem extra tempus Paschale, quæ hîc sequuntur:

1. " Deus misereatur nostri, et det nobis suam * pacem."
2. " Virtus Christi habitet in cordibus nostris."
3. " De cœlo missus doceat nos Spiritus almus."

Benedictiones autem in Omnium Sanctorum Festo dicendæ, in ejusdem Officio inveniuntur. Quæ vero in festis et commemorationibus B. V. M. dicuntur, eæ apud Breviarium in eâdem tabellâ cum supra descriptis exhibentur. Quæ quidem tabella (etiamsi minimè perspicua est) a nobis quoque loco suo posthac integra describetur.

De *Jube Domine benedicere* autem singulis benedictionibus præponendo, et *Amen.* singulis respondendo, v. Pr. *5* a et b. cum annot. nostrâ.

* Sic rectè Brev. Sarisb. MStum, circa A.D. 1370 (ut videtur) exaratum, post schedas præcedentes impressas a viro reverendo benignissimè nobis commodatum: item editiones Gough 43 (*Venetiis*, 1493) et 67. Vulgo omittitur *suam*. (Sic in Douce Ref., et in Gough 9, 16, 38, 56, 58 *a* et *b*, et 73, cum omnibus nostris.)

Digitized by Google

ADDENDA ET CORRIGENDA.

In Monito, et in Annotationibus de Matutinis et Laudibus Dominicalibus &c.

p. ii. in notâ *d*, pro "caussas" scribe "diversitates" et lin. seq. omitte "meritò".

p. iii. in notâ, pro "conclusionem" scr. "Conclusionem".

p. v. in notâ *b*, lin. 3, ad "Sarisb." adde notam:

†† In Festi Translationis S. Osmundi legendis: v. p. xli et xliv.

et lin. 5, loco "Plura vide ad finem Prolegomenorum." scribe,

Alii alias mirum in modum conjecturas multiplicaverunt, quas tamen (cf. infra) a nobis commemorari haudquaquam operæ pretium esset.

Nomina autem *Saresberig* (aliter *Seareshyrig*) vel *Saresbery* (pro quo Lelandus *Saresbyri*) et *Sarum* ab ipsis ferè Saxonicæ occupationis temporibus inveniri dicuntur: aliter verò (et hoc in ipso Chronico Saxonico) *Sealesbyrig* (unde etiam *Salesberia*),‡ Britannicè autem *Sorbiodunum*, vocabatur. Sed et a Lelando, pro *Searesbiria*, omisso genitivi signo *Serbiria*, et antiquitus quoque (ut videtur) *Severia*; quod posterius si ab imperatore Severo (quod Johanni Sarisburiensi sæculo 12mo placuit) ductum est, minimè mirum videri debet eidem urbi veteri *Cæsaris* etiam *burgi* nomen inditum fuisse. Certè, vigente imperio Romano, præsidii minimè

‡ Item, ut ab amico ex ipsâ Diœcesi Sarisb. (aliorum, non sua, scribente) edocti sumus, *Sulisburg*,—quod (ut ait) a *Sulis*, antiquo *Sol-Minervæ* nomine, quidam derivant. Idem monet nomen *Sarum* sec. quosdam a *Saron* mutatum esse, quod posterius idem cum *Saron* (i. e. *Sharon*) Biblico, et Græco *Heliopolis*, *Sar* scil. urbem et *On* Solem exprimente, significet. Qui quidem, utcunque se habeat *Sarum* nostri derivatio, saltem de *Saron* Biblico longè falluntur; quippe quum *Saron* Biblicum nihil aliud sit quàm *planities*, planities scil. inter Cæsaream et Joppen, et idcirco semper cum articulo definito legatur. Nobis autem, quicquid sit terminatio *um*, *Sar* certè idem in *Sarum* quod in *Sarisburgum* esse, non dubium videtur,—sive hoc *Cæsaris*, sive *Solis* (si hoc tantùm placet), sive conditoris, sive allus cujusvis vel personæ vel rei nomen sit. Quibus autem derivatio Orientalis adeo cordi est, cur non et Hebraicum *Sar=princeps* adhibuerunt, ut cum nomine Anglico "*Prince-town*", i. e. *Principis-burgum*, idem omnino sonet?

Digitized by Google

spernendi locus erat, id quod et nummi frequentes ibidem inventi probant, et inter antiquitatum studiosos convenire videtur. Quod si quis ex ipsâ probabilitate *Cæsarisburgi* nomen a recentioribus fictum suspicatus fuerit; quæstionem hanc in medio relinquemus, hoc certè,—contra conjecturas reliquas, saltem probabilitatem suspiciosam, sive ab etymologicis sive ab historicis rationibus ductam, objici non debere,—facilè concedentes.

Maximè verò in Brev. Sarisb. notatu digna sunt lectionis primæ festi supra memorati die sextâ legendæ verba prima:

"Cùm ex angusto Augusti Cæsaris-burgo [i. e. Sarisburiâ vetere: "Angl. *Old Sarum*] ad spatiosum amœnitatis campum Sarisburiensis "Ecclesia cum suis Ministris sicut Deo placuit translata est, &c."

Postea verò incipiatur paragraphus nova; cujus quidem sententia secunda sic emendanda est: "Excipiendæ sunt tamen Diœceses Lincolniensis, Herefordensis, et Bangorensis, quarum unaquæque (ut Provincia Eboracensis) suum, et si quæ aliæ (quod de usu saltem Bangorensi non improbabile videri potest) harum Diœcesium usum sequebantur."

p. vi. in notâ *e*, pro nobis "*Douce Ref.*": scribe, *Parisiis*, ab *F. Byrckman* impressa: nobis "*Douce Ref.* [i. e. *Reformata*]": et ad finem notæ adde, "Notandum est autem in hac editione non modò inveniri passim numeros ad folia remittentes (cf. notam *d*. p. ii), verùm etiam lectiones duplo longiores esse, et præterea multa ex Breviariis antiquioribus pleniùs quàm in Breviario Sarisb. *Communi* (sic enim ob distinctionem appellare licet) servata esse: cf. ad Pr. (i. e. Proprii de Tempore Adventûs p.) 4 a. Cum *Douce* Ref. autem, quoad reliqua præter lectiones, Gough 67, 8 (v. notam *i*. p. xxiii), quoad lectiones concordant *Legendæ Sarisburienses* biennio post ipsam Douce Ref. ab eodem typographo impressæ:—*Legendas* alias videre non contigit. Plura de Douce Ref. vide p. l, li, lii.

p. vi, l. 5 a fine, ante "Psalterio" insere "inter alia".

p. vii, pro parag. 2. ("Quum verò &c.") scribe:

Quum verò tota illa insertio ante Psalterium huic soli editioni peculiaris sit, et pro Editorum potiùs Monito quàm ipsius Breviarii parte habenda videatur; contra verò Brev. Sarisb. *Commune* (v. notam *e*. p vi) sub titulo "*De Horis Canonicis* [&c. &c.]

Digitized by Google

p. ix, post lin. 4. insere paragraphos duas sequentes:

Hymni autem *Primo dierum* in Brev. Ebor.[a] prima quattuor et ultimum tantùm tetrastichum ante Nocturnos, scil. "*a* 1 *Dom.* LXX *usque ad* 1 *Dom.* XL, *et a* 1 *Dom. Cal. Aug.* [scil. *Dom. Calendis Aug. proximiore*] *usque ad Adv. D'ni quando de Dom. agitur*," reliqua verò cum eodem tetrasticho ultimo per idem tempus, "*quando de Dom. agitur*," ad Laudes dicenda sunt.—Hymnus *Nocte surgentes* in eodem Breviario "*ad Mat., quando de Dom. agitur, a Dom.* 1 *post Oct. Epiph. usque ad* 1 *Dom.* LXX, *et a* 1 *Dom. post Festum S. Trin. usque ad* 1 *Dom. Kal. Aug.*", et similiter ad Laudes per idem tempus Hymnus *Ecce jam noctis* (p. 15 a), dicendus est.

P. 1 b.[b]) Cum Patre et Sancto Spiritu] Sic, ubicunque hunc versum vidimus, Brev. Sarisb.: sic etiam Br. Ebor. et Heref. et MStum Saxonicum de quo ad p. 117 tit.: Br. Rom. — *almo Spiritu :* v. p. ii.

p. ix, lin. 5, omitte "P. 1 b.[b]".

Psalterii p. 1 b. Pro "*A* Deus omnium" (v. p. viii, ix) Psalt. Heref. eodem sensu "*ab Oct. solennitatis Corporis Xti*".

reboát in] Vide Monitum, p. ii.

p. x, l. 6, adde: In Nocturnis autem Romanis, An'æ quidem in iisdem tantùm locis quibus in Brev. Sarisb. recurrunt, sed quisque Psalmus suum *Gloria Patri* habet.

p. xi, l. 6, post "in quo" adde "præter hebd. Paschæ et Diem Animarum".

p. xi, l. 6 a fine, post "In hôc monito" adde "(quod in Brev. Heref. a nobis inspecto[b] et Ebor. Gough 6[c] non insertum, sed legentium tantùm memoriæ ubique relictum est)".

P. 3 b. Non auf. &c.] In Brev. Rom.: Veniet ecce Rex excelsus cum potestate magnâ ad salvandas gentes, all'a.

ad Passionem D'ni] I. e. *ad Dominicam 2dam ante Pascha.* In Ebor. autem et Heref. Brev. et hîc et p. 6 a. &c. An'a secunda us-

[a] Scil. Br. Ebor. Gough 6 (v. p. xxiv); nam in Gough 59 (v. ibid. *cum Add. et Corr.*) initium Psalterii deest usque ad verba "Et respondebo &c." p. 25 b. [b] V. notam *g* p. xix. [c] V. notam *a*.

Digitized by Google

que ad XL tantum dicitur, unde etiam in Br. Heref. "*ante* XL *An'a*" vocatur); per Quadragesimam verò dicuntur, in Ebor. quidem Brev. eædem quæ per Æstatem, in Heref. autem An'æ sequentes:

In Noct. I. *A.* 1. Beati qui in lege tua jugiter meditantur, D'ne: beati qui in te confidentes tibi serviunt in timore: de monte sancto tuo nos clemens exaudi: ne nos arguas in die furoris tui.

2. Qui salvos facis rectos corde, cujus nomen est admirabile; de portâ mortis nos erue; quia confidimus in te.

3. In æternum tu serva nos: oculos nostros illumina: viam pacis da noscere, teque pavendum invocare, qui glorificas omnes te D'ne timentes.

In Noct. II. *A.* 1. Tribue nobis, D'ne, intellectum tibi benedicere; ut mereamur adimpleri lætitiâ vultus tui.

2. Inclina aurem tuam, D'ne et exaudi nos, qui salvos facis sperantes in te.

3. Virtus nostra, D'ne Deus, vera lux, æterna salus; esto refugium nostrum in die nostræ afflictionis.

In Noct. III. *A.* 1. Legis tuæ, D'ne, testimonio nos converte, ut tuis illuminati præceptis, a nostris mundemur occultis, et ab alienis.

2. Exaudi nos in die quâ invocaverimus nomen tuum.

3. Præveni nos, D'ne, cœlesti benedictione, ut in tuâ virtute lætantes, et in tuâ pietate sperantes, mereamur assequi promissum beatæ immortalitatis præmium.

p. xi, l. ult. adde: In Brev. autem Rom. versus integer "Servite—tremore" (v. Ps. 2, 11) pro An'â, et quidem "per Annum", i. e. loco duarum ultimarum, dicitur.

P. 6 a. *Per Adv.*—fideles.] In Br. Rom.: "*In Adv. A.* Confortate manus dissolutas: confortamini: dicite, Ecce Deus noster veniet et salvabit nos, all'a. *Per Annum* [*v. supra*] *A.* Deus j. j., f. et longanimis: n i. p. s. d.? [v. Ps. 7, 12.]"

P. 7 a. *Per Adv. &c.*] An'æ Romanæ sunt: *In Adv. A.* Gaudete omnes et lætamini: ecce quia veniet D'ns ultionis: adducet retributionem: ipse veniet et salvabit nos. *Per Annum A.* Tu D'ne servabis nos, et custodies nos.

Digitized by Google

p. xii, post l. 2 insere sequentia:

In eâdem parag. (itidemque p. 10 a. et 11 b) ante "℣." insere, "[*Usque ad* XL.]"

Sunt autem Versiculi Sarisb. Ebor. et Heref. per Quadragesimam usque ad Passionem D'ni sequentes:

In Noct. 1. ℣. Dicet D'no. ℟. Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

In Noct. 2. ℣. Ipse liberavit me. ℟. De laqueo venantium, et a verbo aspero. (Br. Heref. omittere videtur, *et a v. a.*)

In Noct 3. ℣. Scapulis suis obumbrabit tibi. ℟. Et sub pennis ejus sperabis.

Romani autem: 1. ℣. Ipse l. me de l. v. ℟. Et a v. a. 2. ℣. Scapulis &c. 3. ℣. Scuto c. te v. e. ℟. Non t. a t. n. (v. p. 100 b.)

P. 7 b. *Dominicis &c.* In Br. Rom.: *In Adv. A.* Gaude et lætare, filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi: Sion noli timere, quia citò veniet salus tua. *Per Annum A.* Bonorum—D'ne.

P. 8 a. *Per Adv. &c.*] In Br. Rom.:—*In Adv. A.* Rex noster adveniet Xtus, quem Joannes prædicavit Agnum esse venturum. *Per Annum A.* Propter—duras. [Ps. 16, 5.]

P. 9 b. *Orietur &c.*] In Br. Rom.: Ecce venio citò, et merces mea mecum est, dicit D'ns, dare unicuique secundùm opera sua.

P. 10 a. ℣. Egr. &c.] In Br. Rom. ℣. Emitte &c. (Pr. 8 b.)

Pro An'is sequentibus (v. ad p. xi, l. ult.) Br. Rom. habet: Diligam te D'ne, virtus mea. Pro Versiculo, "Quoniam—meas." (p. 9 a.)

In Breviariis autem Ebor. et Heref. dicitur "℣. Mediâ nocte surgebam. ℟. Ad confitendum nomini tuo, D'ne."

Pro *a morte* scr. *ab hoste*, cum duobus libris nostris ad p. 103 b. memoratis et Br. Ebor. et Heref.: Br. Rom. et reliqui nostri *a morte*.

P. 10 b. *Dominicis &c.*] In Br. Rom.: *In Adv. A.* Gabriel Angelus locutus est Mariæ, dicens: Ave, gratiâ plena: D'ns tecum: Benedicta tu inter mulieres. *Per Annum A.* [quemadmodum etiam in Br. Ebor. et Heref.], Non—eorum. [Ps. 19, 3.]

Nox pr. &c.] In Br. Ebor. (Gough 6: v. notam *a.* p. lxiv) "Nox recessit [cf. tamen Pr. 8 a], d. a. appropinquabit: &c."

Digitized by Google

P. 11 a. *Per. Adv. &c.*] In Br. Rom.: *In Adv. A.* Putas, qualis est ista salutatio? quia conturbata est anima mea, et paritura sum Regem qui claustrum virginitatis meæ non violabit. *Per Annum A.* [quemadmodum etiam in Br. Ebor. et Heref.], Exaudiat te D'ns in die tribulationis.

P. 11 b. Per Adv. &c.] In Br. Rom.: *In Adv. A.* In adventu summi Regis mundentur corda hominum, ut dignè ambulemus in occursum illius: quia ecce veniet, et non tardabit. ℣. Egr. &c. *Per Annum A.* D'ne—Rex. ℣. Cant. &c.

(P. 11 b et 12 a.) p. xii, parag. 4, post "Brev. Sarisb." et "Sar." adde "Ebor. et Heref."

P. 12 a. Regnavit &c.] In Br. Rom. Psalmi 92, 99, et 62. 66 sub unâ An'â, scil. "All'a, all'a." dicuntur; *Benedicite* sub Ant. "Tres pueri jussu regis in fornacem missi sunt, non timentes flammam ignis, dicentes, Benedictus Deus."; Psalmi 148. 149. 150 sub Ant. "All'a, all'a, all'a."

In Ant. autem *Regnavit* Br. Ebor. et Heref. "cujus s. parata est in æt."

P. 12 b. Pro Ant. "Omnis &c." in Br. Ebor. dicitur "Hymnum dicamus, alleluja, D'no Deo nostro, all'a."

Pro Rubricâ *Istæ &c.* Br. Heref.: "*Hi Psalmi cum suis An'is di-*
"*cuntur omnibus Dominicis ad Laudes ab Oct. Epiph. usque ad*
"LXX, *et ab Oct. solennitatis Corporis Christi usque ad Adv. quando*
"*de Dom. agitur.*" Nec magis in Off. Ebor. distinctio Sarisb. locum habuisse videtur.

P. 12 b. Pro Psalmis 92 et 99 a LXX ad Pascha dicuntur Psalmi *Miserere* (p. 38 a) et *Confitemini* (p. 19 a). Cf. autem p. 19 b.

p. xiii, l. 19, pro "Similiter—*laqueo.*" lege: "Cf. ad p. 92 b. et 100 b."

P. 13 a. Pro "inviâ" et "Sic memor" Br. Rom. "et invia" et "Si memor". Br. Ebor. et Heref. cum Sarisb. concordant.

P. 13 b. "imber" et "frigus et æstas"] Br. Rom. cum LXX et Vulg. "omnis imber" et "frigus et æstus". Lectiones verò Sarisburienses tam Brev. "sec. usum Curiæ Romanæ" aliaque omnia Breviaria antiqua a nobis inspecta, quàm Ebor. et Heref. tuentur: unde etiam *The Book of Common Prayer* "*winter and summer*" (=hyems et æstas). *Æstas* autem ideo introductum videtur, ne bis in eodem versu re-

Digitized by Google

curreret *æstus*: pro quo LXX Alex. *καῦμα—καύσων*:—in LXX Vat. versus alio ordine se subsequuntur. Meminerit autem lector clausulam recurrentem "laudate &c." in textu Biblico post quamque invocationem additam esse.

P. 14 b. et virtus] Sic Br. Sar. cum textu Biblico: Br. Rom. Ebor. et Heref. om. *et*.

De Hymnis Eboracensibus v. ad p. ix.

Pro lectione Romanâ *jam sonat* restitue quod in libris nostris et Br. Heref. legitur *jam sonet*.

P. 15 a et b. ℣. D'ns &c.] In Br. Rom. "℣. D'ns regnavit; decorem induit. ℟. Induit D'ns fortitudinem, et præcinxit se virtute." Br. Ebor. cum Rom. præter divisionem inæqualem (℣. D. r. ℟. D. i.: i D. &c.: cf. ad Pr. 2 b) concordat.—In Br. Heref. "℣. D. r. ℟. D. i., et pr. se v."

(P. 15 b.) p. xiv, parag. 2, pro "repetitur—*Deo gr.*" scribe, "repetuntur, quæ in Romano quidem Officio hîc solum dicuntur, *D'ns vob. Et cum. Bened. D'no. Deo gr.*"

p. xiv. Ad finem paragraphi penultimæ adde: "In Brev. Ebor. *per mis. Dei in p. r. Amen.*"

(P. 16 a.) p. xv, in nota *t*, pro "diversâ diversorum locorum consuetudine" lege, "diversitate locorum ac temporum".

p. xvi in nota *z*, lin. 9, pro "—." scribe, "*tam a Sacerdote quàm a toto choro.*": pro "—*et dicat* (in Pr. *et—dicat*)—" scr. "*cum Diacono et Subdiacono, et dicat super populum conversus ad australem coram dextro cornu altaris,* (in Pr. "*cum D. et S., et cum puero librum sibi administrante, et stando conversus ad orientem dicat super populum cum notâ hoc modo* *,)".

* Sic rectè Processionalia Gough 75 (*F. Byrckman, Parisiis*, 1519: cf. p. lxiii *bis*), 137 (*Antwerpiæ*, 1525), 139 (*Par.* 1530), 130=168 (in quo tamen duo ultima folia, i. e. quattuor paginæ, ex ed. 1557 sumpta sunt)=Douce P. subt. 86 (*Rothomagi*, 1555), 166 (*Roth.* 1557), et 127 (*Ant.* 1558): in Bodleiano autem P. 29. Th. Seld. A.D. 1544 et Douce BB 197 A.D. 1545 *in Officinâ Viduæ Christophori Ruremundensis* (scil. *Antwerpiæ*) impressis et textum ab Henrico VIII. corruptum exhibentibus, item in editione nobis ab amico benignè commodatâ, quæ eadem est cum imperfectis Gough 100 et 115, quorum exemplarium hoc uno, sex illud foliis caret, et in ed. Gough 103=107=110, ambabus A.D. 1555 impressis et eundem textum corruptum neque adhuc (saltem in libris) correctum exhibentibus, item in ed. Gough 133, eodem anno

Digitized by Google

Ibid. lin. 10, ante "in Precibus" insere: in Off. Feriarum 4 et 6 per Quadragesimam ap. Processionale, "—Pater noster. *Deinde dicat Sacerdos cum notâ sic*: Et ne—." ;—in Off. Fer. 5 in Cœnâ D'ni ibid., "—Pater noster. *Et hæc omnia sine notâ dicantur tam a Sacerdote cum suis Ministris quàm a toto choro. Deinde erigat se Sacerdos cum suis Ministris, et dicat super populum conversus ad australem coram dextro cornu altaris*, Et ne—." ;—

Ibid. lin. 11, pro "—." scribe "*tam a Clericis in choro quàm a Sacerdote cum suis Ministris.*"

Ibid. lin. 12, pro "in initio Processionalis," scribe "modò (in notulâ) memoratis,".

De Prima et Officio Capitulari ad Primam adjuncto.

p. xvii, post parag. 2. insere sequentia:

Ad Primam autem pro hymno "Jam lucis &c." "*in die Nat. D'ni et quotidie usque ad Circumcisionem*" in Off. Heref. dicitur Hymnus sequens:

Corde natus ex Parentis
Ante mundi exordium,
Alpha et Oo * cognominatus,
Ipse fons et clausula
Omnium quæ sunt, fuerunt,
Quæque post futura sunt,
Sæculorum sæculis.

Ipse jussit et creata,
Dixit ipse et sunt facta,
Terra, cœlum, fossa ponti,
Trina rerum machina,
Quæque in his vigent sub alto
Solis et lunæ globo,
Sæculorum sæculis.

Tibi Christe sit cum Patre
Agiosque † Spiritu,
Hymnus, melos, laus perennis,
Gratiarum actio,
Honor, virtus, et potestas ‡,
Regnum æternaliter,
Sæculorum sæculis.

* Br. Ebor. in Completorio (v. ad Compl. *iij*), *O*.

† Br. Ebor. ibid. Gough 6 *Agyoque*: Gough 59 sine inflectione *Agyosque*.

‡ Br. Ebor. ibid. *et victoria*, in quo metrum poscit ut saltem omittatur *et*.

impressâ, in quâ Officium S. Thomæ Martyris (v. infra) restitutum est, Preces autem (v. infra) ut in textu Henrici VIII. manent,—legitur, "*cum D. et S., et cum. p. l. adm., et st. c. ad or. super populum dicat hoc modo*".

Operæ pretium est autem notare levitatem quam in Processionali corrumpendo rex

Digitized by Google

In Off. Eboracensi *usque post Oct. Epiph.*:

Agnoscat omne sæculum
Venisse vitæ præmium:
Post hostis asperi jugum
Apparuit redemptio.

Isaïas quæ præcinit
Completa sunt in Virgine:
Annuntiavit angelus,
Sanctus replevit Spiritus.

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.

Hic versus dicatur in fine omnium hymnorum quorum metro convenit usque ad Epiphaniam.

Noctemque sors reduxerit] In Br. Ebor. "N. sol r."

P. 20 b. D'ns regit &c.] In Br. Rom. "All'a, all'a, all'a." sub quâ sola Ant. includitur etiam *Quicunque* quando dicitur: v. infra.

Deus ex. &c.] In Br. Rom.: "Beati qui ambulant in lege tuâ, D'ne."

In feriis—agitur, A. Deus &c.] Br. Ebor. "*A. Quando dicitur de feriâ vel ferialiter de Dominicâ*, Deus &c." *Ferialiter* autem *de Dominicâ dicebatur* Officium, quando ob festum in Dom. occurrens Dominicalis Officii pars in feriam transferebatur.

Pro "*usque ad* LXX" scribe, ut in Gough 43 (*Ven.* 1495) et 68 cum an'arum initiis ante Psalmos[d] rectè scriptum est (cf. Pr. de T.),

[d] Ubi tamen periodi hujus reliqua minùs rectè se habent; est enim Rubrica integra talis:

"*Hæc an'a dicitur super Psalmos ad Primam usque ad* LXX, *et a* Deus "omnium *usque ad Adv. D'ni, quando de Dom. agitur. Ant.* D'ns regit me. "*Ps.* Deus Deus meus respice. — *In omnibus festis, et* [inserendum "erat "*in feriis*] *a* D'ne ne in irâ *usque ad* XL, *et a* Deus omnium *usque* "*ad Adv. dicitur ant.* Deus. [scribendum erat "*usque ad Adv., in quibus* "*feriis dicitur ant.* Deus.] *Ps.* Deus in nomine.—*In Adv.* Veni."

Post Psalmos verò in iisdem editionibus hæc tantùm leguntur: "*In di-*

vel regis satellites ostenderint, qui non modò in Precibus Dominicalibus ante Missam altam dicendis (v. Off. Dom. 1 Adv.) principibus Ecclesiæ Dei principem terrenum præposuerunt, sed et quum beatissimi Martyris Thomæ Cantuariensis 'nomen tanquam malum ejecissent' (Luc. 6, 22: cf. etiam Joh. 3, 20), Officium quodvis diei quinto Nativitatis D'ni reponere obliti sunt; ut post Sanctorum Innocentium Festum non, quod oportebat, '*Quinta*', sed *Sexta dies a Nat. D'ni*' continuò sequatur.

In correctis autem editionibus Gough 130=168=Douce P. subt. 86, et Gough 166 et 127, (v. p. lxviii), Preces ab Henrico VIII. corruptæ non inveniuntur.

Digitized by Google

"*usque ad* XL". Reliquæ omnes a nobis inspectæ editiones lectionem pravam retinent[e].

In Br. Ebor. autem (cf. supra) Ant. *Deus &c.* dicitur "*usque ad Diem Cinerum*": cf. notam *s s* p. xxxiv.

p. xvii, parag. ult., pro "Libri" scr. "Libri, præter unum Gough 16 (A. D. 1530), omnes a nobis inspecti,". Item, pro "In Gough 68—leguntur" scr. "De Gough 43 et 68 v. notam præcedentem."

A Veni et &c.] In Br. Ebor. "Paratus esto Israel, in occursum D'ni quando venit." Cf. autem ad p. 27 a.—In Br. Rom. *Tempore Adventûs Ant.* [*prima*] *ex Laudibus D'nicæ, aut ex propriis Laudibus* [scil. *si habeantur propriæ Laudes*]."—In Psalt. Heref. non docetur Officium Adventûs: Breviarii autem Heref. Partem Hyemalem nondum videre contigit: v. notam *g.* p. xix.

p. xviii, l. 3, post "sed," insere "extra hebdomadam Paschæ, et Triduum præcedens,".

P. 21 b. *In omnibus &c.*] De Off. Rom. v. supra.—In Br. Ebor. autem An'æ super *Quicunque* sunt sequentes:

"*Ant. Dominicalis, præter certa tempora, ut supra notatur in* "*Temporali, et præter festa ix. lectionum duplicia et simplicia.* "*Ant.* Te Deum—sæcula.

"*In festo ix. lect. duplici vel simplici, præter certa festa notata in* "*Temporali, et sanctorum. Ant.* Gratias tibi — unitas.

"*In feriis præter certa tempora, ut supra notatur: Feriâ ij. super* "*Psalmum* Quicunque *ant.* Adesto Deus unus omnipotens; Pater, et "Filius, et Spiritus Sanctus. *Fer. iij. ant.* Te unum in substantiâ, "Trinitatem in personis, confitemur. *Fer. iiij. ant.* Te semper idem "esse, vivere, et intelligere profitemur. *Fer. v. ant.* Te invocamus; "te adoramus; te laudamus, o beata Trinitas. Fer. *vi. ant.* Spes nos-"tra, salus nostra, honor noster, o beata Trinitas. *Sabbato ant.* Li-"bera nos; salva nos; justifica nos; o beata Trinitas."

ebus Dom. ant. D'ns [&c.]. *In feriis ant.* Deus [&c.]. *In feriis per Adv. ant.* Veni [&c.]." cum an'is integris.

[e] In editione Gough 58 *b* et *a*, cum privilegio Henrici VIII. impressâ, in utriusque partis Psalterio (v. ad p. 41 a) quinque lineæ integræ, scil. "*An'a*: D'ns regit—*agitur*," per errorem omissa sunt.

Digitized by Google

In Br. Heref.: "*Hæc ant. dicitur super Ps.* Quicunque *omnibus* "*D'nicis per annum, sive de Dom. agitur sive non, exceptâ*[f] *Vig. Nat.* "*D'ni si in Dom. contigerit, et exceptis D'nicis a Nat. D'ni usque* "*post Oct. Epiph. et a Dom. in Passione usque post Festum S.* "*Trin., et exceptis principalibus festis et eorum octavis, si in Dom.* "*contigerint, et festis S. Michaelis. Ant.* Gratias &c.

"*Hæc ant.* Te jure. *dicitur super Ps.* Quicunque *in festis dupli-* "*cibus*[g] *et semiduplicibus et ix lect. per annum in feriis contingen-* "*tibus, et in commemorationibus quibuscunque quando tempus exi-* "*gerit* [*an'am ad* Quicunque][h], *et per octavas Apostolorum Petri et* "*Pauli, nisi in Dom.; exceptis dupl. festis et semidupl. et festis ix* "*lect. a die Nat. D'ni usque post Oct. Epiph. et a Dom. in Passione* "*usque post Festum*[i] *Trin. contingentibus, et exceptis festis S. Michae-* "*lis ut supra.* Te jure &c.

"*Hæc Ant.* Gloria tibi Trinitas, *dicitur super Ps.* Quicunque[k] *in* "*feriis et in festis iij lect. et*[l] *sine regimine chori per annum, exceptis* "*Vig. Nativ. D'ni et feriis et festis iij lect. a Nativ. usque post Oct.* "*Epiph. et a Dom. Passionis usque post Festum Trin.; et exceptis* "*Oct. S. Ethelberti et omnibus aliis oct. solennibus* [v. infra], *et ex-* "*ceptis commemorationibus festi loci et B. Mariæ. Ant.* Gloria &c."

P. 22 a. In Off. Rom. Cap. "Regi &c." dicitur in omnibus festis.—Contra in Br. Ebor. Cap. "D'ne mis. &c." dicitur tam in Dominicis et festis quàm in feriis.

In Br. Heref. autem Capitula sunt:

[f] Liber impressus *exceptis.*

[g] Non includuntur festa *principalia* (v. supra). De his autem distinctionibus plura posthac.

[h] I. e. *extra tempus Paschale* (v. p. xi). In omni autem Officio (ut videtur) his tribus paragraphis excluso, præterquam in hebd. Paschæ et Triduo præcedente (v. p. xviii. parag. 1, *cum Add. et Corr.*), "*omnes Psalmi sub unâ an'â*" dicebantur.

[i] Dicendum erat, ut e Pr. de T. videtur, "*post Octavas Trin.*": quæ in Br. Heref. *solennes* sunt.

[k] In libro impresso excidit "Quicunque", relicto spatio albo.

[l] Turbat potiùs quàm explicat sensum conjunctio hæc.

Digitized by Google

" *Cap.* Regi &c. *Hoc prædictum Cap. dicatur in omnibus Dom. et* " *festis quando chorus regitur in Vesp., Mat., et Missâ, exc. die et hebd.* " *Paschæ. Et similiter dicatur per omnes octavas solennes* [v. infra], " *et in omnibus festis et feriis iij lect. a die Nat. usque post Oct. Epiph.*

" *Cap.* D'ne mis. &c. *Hoc Cap. prædictum dicatur in omnibus* " *aliis feriis et festis iij. lect. per totum annum, et per octavas sine* " *regimine chori, et in feriis* IV *Temporum Adventûs, et in Vig.* " *Nat. D'ni nisi D'nicâ contigerit, et in Vig. Asc. et Pent.*"

P. 22 b. Jesu Christe] Br. Rom. om. *Jesu.*

usque ad Asc. Dni] In Off. Heref. non resumitur *usque ad Pent.*: nam " *in die Asc. et quotidie usque ad Pent. dicitur iste* ℣. Qui scandis supra sidera. Miserere nobis."

quando de Oct. fit serv.] In Br. Heref.: *sive de Oct. fit serv. sive non.*

et nisi in Festo Transfig.] Neque hîc neque in Pr. de T. Br. Heref. excipit hoc festum.

De Off. autem Eboracensi, quum Gough 6 paucas admodum (præsertim in Primâ) Rubricas habeat, in Gough 59 verò hæc omnia desint, explicationes accuratiores ad Pr. de T. relegamus.

Vivet—oblitus.] Br. Rom. omittit hæc.

P. 23 a. Eripe me D'ne—juventus.] In Off. Rom., præterquam in feriis quibusdam, iis scil. in quibus Preces Feriales dicuntur (v. ad Pr. 5 a), hæc omnia,—in ipsis autem his feriis, verba " Agnus Dei qui tollis peccata mundi,"—omittuntur.

p. xviii, l. 23, pro " Ebor." scr. " Rom. Ebor. et Heref.": et post " p. 106 a." adde " *cum Add. et Corr.* In Brev. autem Rom. Confessio &c. in Off. Primæ (non Compl.) plenè descripta est."

P. 23 b. Ostende &c.—D'ne Deus &c.] In Br. Rom. hic ℣. deest.

per Adv.] Br. Heref. addit, *nisi quando expositio euangelii habeatur ad Matutinas.*

à D'ne ne in irâ] Br. Heref.: *a Purificatione.*

In Off. Rom. Ps. *Miserere.* cum ℣. prævio *Exaudi* &c. et sequente *Exurge &c.* non dicuntur.

p. xviii, l. 25. huic similis] Adde notam:

[aa] D'ne Deus omn., qui ad pr. h. d. nos perv.—virt.; ut—pecc.; sed s. ad t. j. f. nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Per &c.

Digitized by Google

Nota loci "P. 22 b." ante 'Preces', reliqua verò linearum 27 et 28 ante l. 21 transponenda sunt.

In *Sancta &c.* verba "mater D. D. n. I. C.", "justi, et el. D.", "et orent", "peccatoribus", "Deum n.", "in tr. p.," et "Deus" apud Br. Rom. omittuntur.

Et veniat &c. Hic etiam ℣. omittitur in Br. Rom.

Servos tuos] Br. Rom. addit "Domine".

Post "n. dirige" Br. Rom. addit *Gloria Patri.* cum *Sicut erat.*

P. 24 b, l. 14, pro *quæsumus* legendum videtur *hodie*: certè in antiquissimo Brev. Sarisb. MSto p. lxi. in notâ memorato ita legitur. Sic etiam in Br. Rom.: v. infra. Editionum autem recentiorum lectionem sequitur *Liber Precum Communium.*—In eâdem verò Oratione, lin. 1, pro *et regere* idem liber MStus per errorem, ut videtur, *regere*,—sive pro lectione Sarisb. communi, sive pro lectione Romanâ *regere et sanctificare* (v. infra) hoc scriptum sit.

p. xx, l. 9, aliquanto quidem plenior] Adde notam:

[bb] D. et s., r. et gubernare d., D. D. Rex cœli et terræ, hodie c. et c. n., sensus et sermones nostros in lege—aux., salvi et liberi esse mereamur, Salvator mundi: Qui vivis et regnas in s. s. Amen.

Ibid. l. 15. lectiones—quæ in Brev. assignantur] Adde notam:

[cc] "*In Dominicis et feriis per Annum ab Oct. Epiph. ad Dom.* 1 *Quadrag.* "*exclusivè, Lectio brevis* (2 *Thess.* 3.) D'ns autem—Christi." (v. p. 88 a.)
"*Per Adv. ad Vig. Nativ. D'ni excl.* D'ne—tribulationis." (v. p. 22 a.)

p. xxi, l. 13—15, pro "obitus,—non," scr. "obitus (v. ad p. 117 a. infra), si obitus esset, pronuntiandus erat; postea verò, sive obitus esset sive non,".

De Horis Brevibus.

P. 25 a. *Ad Tertiam*, pro hymno "Nunc sancte" "*in die Nat. D'ni et quotidie usque ad Circumcisionem*" in Off. Heref. dicitur Hymnus sequens:

Corporis formam caduci,
Membra morti obnoxia
Induit, ne gens periret
Protoplasti *, ex germine
Merserat quam lex profundo
Noxiali tartaro,
Sæculorum sæculis.

* Liber impressus *protoplausti.*

Digitized by Google

O beatus ortus ille,
Virgo et † puerpera
Edidit nostram salutem,
Fœta Sancto Spiritu,
Et Puer Redemptor orbis
Os sacratum protulit,
Sæculorum sæculis.

Tibi Christe [&c. ut ad p. 16 a.]

In Off. Eboracensi, *usque post Oct. Epiph.*:

Maria ventre concepit
Verbi fideli semine:
Quem totus orbis non bajulat‡,
Portant puellæ viscera.
Radix Jesse jam floruit,
Et virga fructum edidit:
Fecunda partum protulit,
Et virgo§ permanet.

Gloria tibi D'ne. [&c.]

† Br. Ebor. ubi supra (v. p. lxix) *cùm*.
‡ Sic libri, et fortasse rectè, admisso pede trisyllabo: cf. ad p. 103 b.
§ In hoc versu duæ syllabæ desunt: fortasse legendum, "Et virgo semper permanet."

P. 26 b. &c. An'æ &c. "In Dominicis" et "In feriis" *intitulata*, ad Horas Breves ab Oct. Epiph. usque ad Dom. 1 Quadrag. (in Br. Ebor. "*usque ad Diem Cinerum*"), et ab Oct. Corporis Xti usque ad Adv. D'ni, quando de Dom. vel de ferià agitur, dicenda sunt.

Laus &c.] In Br. Rom.: All'a, all'a, all'a.

Gratia &c.] In Br. Rom.: Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.

Veniant &c.] In Br. Rom.: Deduc me D'ne in semitam mandatorum tuorum.—In Psalt. Heref. non docetur Off. Adv.: cf. p. lxxi.

P. 27 a. esto D'ne] Br. Rom. om. *D'ne*.

A. Tuam D'ne &c.] In Br. Rom. "*Ant* [*secunda*] *de Laudibus D'nicæ, aut ex propriis Laudibus* [v. ad P. 20 b]." In Off. Ebor. hæc A'na ad Nonam, ad Tertiam verò A'na "Veni et &c." (v. p. 20 b) dicitur.

Qui venturus &c.] In Br. Rom. "Ecce dies—terra." (v. Pr. 14 b.)

"Qui venturus &c." et p. 28 b. "Prope est &c."] In Off. Ebor. eadem hæc Capitula Dominicis etiam diebus per Adventum dicuntur. De Nonâ vide suo loco.

Responsoria autem *Veni &c.*, *Ostende &c.*, et *Super te, &c.* etiam in Off. Sarisb. tam in Dominicis quàm in feriis dicuntur: cf. Pr. de T.

Digitized by Google

Et ostende &c.] In Br. Rom.: Ostende &c.

De Precibus Romanis v. ad p. 40 a.

Ad Sextam, pro hymno "Rector potens" "*in die Nat. D'ni et quotidie usque ad Circumcisionem*" in Off. Heref. dicitur Hymnus sequens:

Ecce quem vates vetustis
Concinebant sæculis,
Quem prophetarum fideles
Paginæ spoponderant,
Emicat promissus olim,
Cuncta collaudant eum, *
Sæculorum sæculis.

Psallat altitudo cœli,
Psallant omnes angeli,
Quicquid est virtutis usque
Psallat in laudem Dei:
Nulla linguarum silescat
Vox, et omnis † consonet,
Sæculorum sæculis.

Tibi Christe [&c. ut ad p. 16 a.]

* Br. Ebor. ubi supra (v. p. lxix) "collaudent, Deus,".

† Liber impressus *et omnes;* quod si rectè se habet, *consonet* quoque in *consonent* mutandum.

In Off. Eboracensi, *usque post Oct. Epiph.*:

Præsepe poni pertulit
Qui lucis auctor extitit:
Cum Patre cœlos condidit,
Sub matre pannos induit.

Legem dedit qui sæculo,
Cujus decem præcepta sunt,
Dignando factus est homo
Sub legis esse vinculo.

Gloria tibi D'ne. [&c.]

P. 28 b. Gloria laudis &c.] In Br. Rom.: Alleluja, all'a, all'a.

Tres sunt &c.] In Br. Ebor. "Ġratia &c." ut p. 26 b. In Br. Heref. "Deus charitas—in eo, et nos maneamus in ipso." (V. ad p. 26 b.) In Br. Rom. "Alter alterius &c." ut p. 30. b.

Non conf. &c.] In Br. Ebor. et Rom.: Adjuva me, et salvus ero D'ne.

Omnia probate; &c.] In Br. Ebor. "Omnia autem probate; &c. In Br. Heref. et Rom. "Alter alterius &c." ut in Off. Rom. diebus Dom.: v. supra.

℣. D'ns regit.] Br. Ebor. (Gough 6[m]) per errorem "*Ps.* D'ns regnavit."

A. In tuo &c.] In Br. Rom. "*Ant.* [*tertia*] *de*" &c. ut ad p. 27 a.

[m] V. notam *a.* p. lxiv.

Digitized by Google

Cap. &c.] In Br. Rom. "*Cap.* (*Jer.* 23.) In diebus—noster." (v. Pr. 2 a.) Cf. autem ad P. 30 b.

P. 29 a. *Ad Nonam*, pro hymno "Rerum Deus" "*in die Nat. D'ni et quotidie usque ad Circumcisionem*" in Off. Heref. dicitur Hymnus sequens:

Juste Judex mortuorum,
Juste Rex viventium,
Dexter in Parentis arce
Qui cluis virtutibus,
Omnium venturus inde
Justus ultor criminum,
Sæculorum sæculis.

Te senex* et te juventus,
Parvulorum te chorus,
Turba matrum virginumque,
Simplices puellulæ,
Voce concordes pudicis
Perstrepent concentibus †.

Præsta Pater [&c. ut p. 25 b].‡

In Off. Eboracensi, *usque post Oct. Epiph.*:

Adam vetus quod polluit,
Adam novus hoc abluit:
Tumens quod ille dejecit §,
Humillimus ¶ hic erigit.

Jam nata lux est et salus,
Fugata nox et victa mors:
Venite gentes, credite:
Deum Maria protulit.

Gloria tibi D'ne. [&c.]

* Br. Ebor. ubi supra (v. p. lxix), *senes*.

† Sic, sine versu *Sæculorum sæculis*, liber impressus.

‡ Sic, non *Tibi &c.*, liber impressus.

§ Corrigendum fortasse *dejicit*.

¶ Libri *humilimus*.

P. 30 a. Ex quo &c.] In Br. Rom.: Alleluja, all'a, all'a, all'a.

Unus D'ns &c.] In Br. Ebor. et Heref. "Tres sunt &c." ut p. 28 b, præterquam quòd pro *et Verbum*, in Heref. quidem, ut in ipso textu Biblico, *Verbum*, in Ebor. autem *et Filius* legitur; et quòd pro *hi* Br. Ebor. Gough 6 (non 59) *hii*, formâ istis temporibus satis frequenti, utitur. In Br. Rom.: Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro.

P. 30 b. Juxta el. &c.] In Br. Ebor. et Rom.: Aspice in me, et miserere mei, D'ne.

Alter &c.] In Br. Heref. et Rom. "Empti &c." ut in Off. Rom. diebus Dom.: v. supra.

in ecclesiis benedicam te D'ne] In Br. Rom. desunt hæc.

Digitized by Google

A. Veni D'ne, &c.] In Br. Rom. "*Ant.* [*ultimâ*] *de*" &c. ut p. 27 a. Cf. autem infra.—De Ant. Ebor. v. ad p. 27. a.

Venite, asc. &c.] In Br. Rom. "Prope &c." ut p. 28 b. Pro hôc autem Cap. in Off. Ebor. dicitur tam in Dominicis quàm in feriis per Adv. (cf. ad p. 27 a) Capitulum:

"Ecce virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen "ejus Emmanuel: butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare "malum et eligere bonum."

Hierusalem] In Br. Rom. ubique *Jerusalem*. In *Hierusalem* autem *Hi* non est syllaba, sed tantùm consonans aspirata. Aspiratio autem in mutis aliud, aliud in J et V (Angl. Y et W), L et R, et nasalibus est; siquidem in mutis *aspirare* nihil aliud est quàm os imperfectè claudere, ut e. g. C fiat CH &c., in supra nominatis autem *aspirare* est spiritu solo vice vocis (quomodo F a V, S a Z Anglico et Franco-Gallico, &c. distinguuntur) efferre. Est autem V (W) aspirata Anglicum WH (apud Anglo-Saxones HW), L aspirata Wallicum LL, R aspirata Græcum RH. Meminerint ergo lectores *Hierusalem* revera nihil aliud esse quam *HJerusalem*: unde etiam facilè explicari potest literæ J pronunciatio Hispanica, in quâ e mixto HJ, perdito literæ J sono, H in aspiratam fortiorem ex Arabicæ fortasse linguæ imitatione mutatum est.

℣. D'ne Deus &c.] In Br. Rom. "℣. Veni D'ne, &c. ℟. Relaxa &c." (v. Antiphonam nostram.)

De Matutinis et Laudibus Ferialibus.

P. 31 a, pro *labascat* scribe, cum Br. Ebor. et Heref. et duobus libris nostris ad p. 103 b. memoratis, *labescat*. Reliqui nostri cum Br. Rom. *labascat*.

(P. 33 b.) p. xxiii, parag. 2, lin. 2, post "Sarisburiensia," adde, "item Ebor. Gough 59 (v. p. xxiv),"; et lin. 4. pro "Ebor. et" scr. Ebor. Gough 6 (v. p. xxiv) et".

P. 38 a. In Psalt. Rom. adduntur Versiculi pro Adventu, pro uno Martyre, pro pluribus Martyribus, pro Confessore Pontifice et non Pontifice, et pro unâ Sanctâ; de quibus posthac ad Officia sua.

P. 38 b. In "sp. s." (v. 8.) et "sp. pr." (v. 9) pro "s" scr. "S".

Digitized by Google

P. 39 a. In Br. Rom. Cap. feriale est "Nox pr., d. a. appropinquavit:—lucis: sicut—ambulemus." (V. Pr. 10 b, 11 a.)

P. 39 b. In Psalt. Rom. Versiculus ferialis est, "℣. Repleti sumus manè misericordiâ tuâ. ℟. Exultavimus et delectati sumus."

In Ant. ad *Bened.* pro "[D'ns]" lege "D'ns", cum MSti antiqui p. lxi. memorati Pr. de T. (cf. ad p. 41 a), cum quo concordant etiam Br. Heref. et Rom., et ipsius Cantici textus.—Ebor. Gough 6 (in Gough 59 An'a tota per errorem omissa est) et omnes a nobis inspectæ editiones Sarisb. omittunt "D'ns". Cf. ad p. 103 b.

P. xxiii, l. 26, ante "tam" insere: ",—in Br. Ebor. *Preces Minores,*—"; l. 29, pro "V.—15 a." scr. "Plura vide in Pr. de T., ac præsertim p. 14 b. et 15 a."; et l. 30 ante "Per" insere "P. 40 a."

(P. 40 a) p. xxiv, ad finem notæ adde, "Hæc autem editio et ordinem nostrum sequitur, et in reliquis multò magis quàm Gough 6 cum Brev. Sarisb. concordat."

De Memoriis meminerit lector, Memoriarum Sarisburiensium partem in Off. Parvo B. Mariæ (v. ad Pieam Dom. 1 Adv., Lit. Dom. C) dici,—scil. 1. Mem. quotidianam ad Mat. et ad Vesp. de Sp. Sancto. 2 et 3. In choro, de sancto loci et de reliquiis. 3. De quocunque festo iij lect. post fer. 4 Cinerum. 5. De omnibus sanctis, quando non fit in Officio *de die*, ut in Vesperis per Adv. 6. De pace.

In Br. Ebor. autem Memoriæ, sive *Suffragia consueta*, sunt, 1. De Cruce. 2. De Dominâ. 3. De Apostolis (scil. Petro et Paulo: v. p. xliv. parag. 1). 3. De S. Wilhelmo (v. ibid.) 4. De Confessoribus, scil. Johanne (de Beverlaco), Wilfrido, et Cuthberto. 5. De omnibus sanctis. 6. Pro pace.

In Br. Heref. *Memoriæ Feriales* sunt, 1. De Cruce. 2. De B. Mariâ. 3. De Apostolis Petro et Paulo. 4. De S. Ethelberto (v. p. xliv.). 5. De sancto Ecclesiæ. 6. De S. Thomâ (v. ibid.). 7. De S. Mariâ Magdalenâ. 8. De reliquiis. 9. De omnibus sanctis. 10. De pace.

In Br. Rom. (v. p. xlii, parag. ult.): 1. De Cruce. 2. De B. Maria. 3. De Apostolis (Petro et Paulo). 4. De festo loci (ante vel post Memorias prædictas sec. dignitatem ejus). 5. De pace.

De quibus omnibus plura posthac.

P. 41 a. *ad Mat. de Paschali tempore*] Sic rectè Gough 43 (*Vene-*

Digitized by Google

tiis, 1495) et recentissimus e libris nostris (benignè nobis ab amico p. i. in textu laudato commodatus). Perperam reliqui nostri, cum Douce Ref. et Gough 9, 16, 38, 56, 58 *a* et *b*, et 73: *ad Mem. de P. t.* In 161, Partis Æstivalis [n] exemplari, sec. morem hodiernum, contra verò morem Sarisb., quæ ad Officium Hyemale [n] tantùm spectant in Psalterio quoque omissa sunt. MStum autem p. lxi. memoratum non modò antiquiorum more in Psalterio Rubricas perpaucas habet, verùm etiam Psalterii ipsius parte magnâ caret.

P. 47 b, pro Ant. "Auribus &c." (in quâ Br. Heref. mendosè *habitatio*) Br. Rom. "Magnus D'ns et laudabilis nimis."

P. 48 a, pro Ant. "Secundùm &c." Br. Rom. "Dele, D'ne, iniquitatem meam."

P. 49 a. *A.* Ad—vigilo.] Br. Heref. addit *Deus.*

P. 49 b, pro "salvos fac nos D'ne." Br. Rom. "s. n. f. D."

Pro Ant. "In exc. &c." Br. Rom. "Omnes angeli ejus, laudate D'nm de cœlis."

In hymno, pro *desides* Br. Ebor. 6 (non 59) *et desides*: pro *ciamus* Br. Heref. mendosè *sciamus:* pro *discute* Br. Ebor. 6 (non 59) *disjice:* pro *sobriè* Br. Heref. *sobrii.*

Pro *Et erit D'ns* scr. cum MSto antiquo p. lxi. memorato, rato, cum Gough 43 (v. supra), Gough 67, Douce Ref., et duobus libris nostris ad p. 103 b. memoratis, item cum Br. Rom., Ebor., Heref., et ipsius Cantici textu, *Erexit D'ns.* Rèliqui libri nostri (quorum unus, formæ parvæ, ejusdem est editionis cum Bodl. B. 108 Linc. et Douce BB 29) et Bodl. B. 11 Jur. Seld. 4to= Gough 197, *Et erit D'ns.*

P. 50 a, in hymno, pro *propheta* duo libri nostri ad p. 103 b. memorati *prophetam*: pro "(sicut novimus)" Br. Ebor. 6 (non 59) et Heref. "sicut noctibus": pro *præcipit* Br. Ebor. 59 (non 6) cum tribus, et inter eos antiquissimo (v. ad Pr. 12 a), e libris nostris, *præcepit.*

[n n] Pars Hyemalis a Dom. 1 Adv. incipit, et in Breviariis bipartitis, ut sunt nostra, hebdomadâ Pentecostes clauditur; Pars Æstivalis a Festo S.S. Trin. incipit, et Dominicas omnes "post Trin." cum hebdomadis suis includit. In Breviariis autem quadripartitis, ut sunt hodierna, Pars Vernalis a Dom. 1 XL, Autumnalis a Dom. Cal. Sept. proximiore incipit.

Digitized by Google

Ibid. pro lectione Romanâ *fecimus* (v. ad P. 12 b) restitue Sarisb. Ebor. et Herefordensem *gessimus*.

P. 51 a, in A'nâ, pro *Avertet* Br. Rom. *Avertit*.

P. 54 a. pro Ant. " A timore &c." Br. Rom. " Nonne Deo subjecta erit anima mea?"

P. 56 a. pro Ant. " In ecclesiis &c." Br. Ebor. et Rom. " Benedicite gentes Deum nostrum."

P. 57 a, in hymno, Br. Heref. " Flendo et canendo".

Ibid. fucis] Br. Heref. et Ebor. 59 (non 6) *fuscis*.

qui nos oderunt] Br. Heref. et Rom. *q. o. n.*

Adoremus &c.] In Br. Rom. " D'nm &c." ut p. 67 a, ubi conf. etiam annot. nostram.

P. 62 a, pro Ant. " In Israel &c." Br. Ebor. et Rom. " Et invocabimus nomen tuum, D'ne."

P. 65 b. in ℣.) dum cant.] Br. Heref. et Rom. *cùm cant.*

P. 66 a. In Ant. " In mat. &c." Br. Rom. om. *D'ne.*

P. 66 b. pro Ant. " In æt. &c." Br. Rom. " Cantemus D'no gloriosè."

P. 67 a, in hymno, pro *discurrat* Br. Ebor. Gough 6 (non 59) et Heref. *decurrat*: pro *ne lingua* Br. Heref. *nec lingua*: pro *nec noxa* et *Spectator* Br. Ebor. Gough 6 (non 59) *ne noxa* et *Speculator*.

Pro Inv. " D'nm qui &c." Br. Heref. " D'nm Deum &c." ut in Sabbato; Br. Rom. " Adoremus &c." ut p. 57 a, ubi cf. etiam annot. nostram.

P. 67 b. Nec criminis] Br. Heref. *Et cr.*

Nos reple tuo lumine] Br. Ebor. Gough 6 (non 59) *R. t. n. l.*

P. 72 b, v. penult., pro " semper hi" et " introibunt" Br. Ebor. Gough 6 (non 59) " semper" et "intrabunt".

P. 73 a. *A.* " Bened. &c."] Ant. ad Pss. 88 et 93 per errorem omissum est in Br. Heref.

P. 73 b. ℣. Intret &c.] Br. Ebor. Gough 6 (non 59) " Intret in conspectu tuo, D'ne, oratio mea."

Pro Ant. " Spiritu &c." Br. Ebor. " Sacrificium Deo spiritus contribulatus."

P. 75 a. auditum tuum] In Br. Heref. ut in ipso Cantico (p. 74 a) *auditionem tuam.*

Digitized by Google

laudate Deum] Sic rectè cum Br. Ebor. Heref. et Rom. duo libri nostri ad p. 103 b. memorati. Reliqui nostri *l. eum.*

In hymno, pro *Cadit* et *Quo* Br. Ebor. Gough 6 (non 59) *Cadat* et *Et*: pro *extet* Br. Ebor. et Heref. *extat.*

P. 75 b. in hymno) Quo] Br. Heref. *Qui.*

P. 76 a et b. In Br. Rom. quoties Psalmus "Jubilate Deo omnis terra" dicitur ad Laudes, ad Matutinas pro eodem Psalmo et Antiphonâ dicuntur Psalmus et A'na "Bonum est confiteri D'no."

P. 86 a. pro Antiphonis "Et in &c.", "In cymb.—D'nm", et "In viam &c.", in Br. Rom. dicuntur, 1. "Date magnificentiam Deo nostro", 2. "In cymb.—Deum," 3. "Illuminare D'ne his qui in tenebris sedent: et dirige pedes nostros in viam pacis, Deus Israel."

De Vesperis.

P. 86 b. *A.* Sede &c.] In Br. Ebor. et Rom. "*A.* Dixit—meis." ut in Psalmi ipsius initio.

P. 87 a. in Ant.) volet nimis] Br. Rom. *cupit nimis.*

P. 88 a. Pro Cap. "Dns autem &c." Br. Rom. "Bened. &c." ut p. 99 a. *et à* Deus—*in feriis*] In Br. Heref. Hymnus *Lucis Creator* non magis post Trin. quàm post Epiph. in feriis dici potest.

In *A.* "Dirigatur &c." Br. Ebor. et Rom. om. *ad te.*

P. 89 b. Pro Ant. "Aux. &c." Br. Rom. "Unde veniet aux. mihi." *Per Æst.* &c.] In Br. Heref. Hymnus *Immense*, itidemque *Telluris* (p. 90 b), *Cœli* (p. 92 a), *Magnæ* (p. 94 a), et *Plasmator* (p. 96 b), tam post Trin. quàm post Epiph. feriis suis dicuntur. V. ad p. 88 a.

Pro Ant. "Magnificet &c." Br. Ebor. "Magnificat anima mea D'nm."; Br. Heref. "Magnificemus Xtum Regem D'nm, qui superbos humiliat, et exaltat humiles."; Br. Rom. "Magnificat a. m. D'nm, quia respexit Deus humilitatem meam."

P. 91 a, l. 2) viroris gratiâ] Br. Ebor. Gough 6 (non 59) *virore gratiæ.* In Ant. ad *Magn.* Br. Rom. omittit *D'no.*

Pro Ant. "Beatus &c." Br. Rom. "Non—portâ." ut in Psalmo, v. ult.

P. 91 b. Pro Ant. "Bened. &c." Br. Rom. "Sæpe—meâ." ut in Psalmo, v. 1 et 2.

Digitized by Google

P. 92 a. Ant. ad *Magn.* in Br. Rom. est " Respexisti humilitatem meam, D'ne Deus meus."

Direptionis] Legendum *Diremptionis*. Br. Heref. autem *Directionis*, et mox *mentium sgnum* (sic). In Br. Ebor. Gough 6 quoque *mentium* eodem errore scriptum est.

dares] Sic rectè cum Br. Ebor. antiquissimus e libris nostris (v. ad Pr. 12 a): reliqui nostri cum Br. Heref. *daret*.

P. 93 a. Pro Ant. "Ecce &c." in Br. Ebor. posterior versûs primi pars, in Br. Rom. versus totus dicitur.

p. xxvi, pro parag. 2. scribe :

P. 93 b. Ante *Ps. cxxxv* in Br. Ebor. legitur Rubrica sequens :

" *Notandum est quòd in festo duplici tantùm finietur quilibet ver-*
" *sus Psalmi sequentis cum isto fine :* quoniam in æternum miseri-
" cordia ejus. *Aliàs non.*"

In Brev. autem Rom., quemadmodum in textu Biblico, clausula recurrens post quemque versum retinetur.

P. 94 a. In *Demersa*, pro *De* restituendum fortasse, quod tam in libris Sarisb. quàm in cæteris omnibus a nobis inspectis, præter Ebor. Gough 6, Breviariis aliisque libris antiquis legitur, *Di. Dimersa* autem (pro quo quattuor e libris nostris *Diversa* :—in duobus verò ad p. 103 b memoratis, aliisque melioris notæ libris, ut in Br. Ebor. et Heref., *Dimersa*) ex ipso *Demersa* (quæ Br. Ebor. Gough 6 et Rom. hodierni lectio est) per iotacismum (cf. p. ix) ortum, et eodem sensu intelligendum est.

imprimens] Recentissimus e libris nostris (v. ad p. 41 a), ex conjecturâ, ut videtur, *exprimens*. V. autem infra.

cœlis] In libro cui titulus " *Expositio Hymnorum sec. usum Sarum*", *collo* : v. infra.

irrigans] Vel *irrogans*, quod in Douce Ref., in *Expositione* modò memoratâ, in Br. Ebor. et Heref., et in duabus Breviarii " sec. usum Curiæ Romanæ" editionibus, minoris unâ (v. p. lxvii cum Add. et Corr. ultimis), alterâ formæ majoris, benignissimè nobis a Bollandistis commodatis legitur :—in Gough 43, 68, et 16, et in libris nostris, *irrigans*. Utrumque autem (quod sanè mirabitur

Digitized by Google

lector) ex *erigens* (quod Br. Rom. hodiernum restituit) detortum est.

In *Expositione* autem supra memoratâ hi duo versus sequente modo explicati sunt:

" O tu Deus, *imprimens*, i. [i.e.] submergens, *dimersa*, i. deorsum " mersa, ut pisces, i. malos homines, *lymphis*, i. aquis infernalibus, et " *irrogans*, i. sublevans, *subvecta*, i. sursum vecta, ut aves, i. bonos " homines, *collo*, i. capite."

P. 94 b. *Diverso*] Br. Heref. *Diversè*.

rapiant] Recentissimus e libris nostris (cf. supra) ex conjecturâ (ut videtur) *capiant*. Br. Rom. hodiernum *repleant*. Cum *rapiant* autem, quod in eadem Expositione per *accipiant* explicatum est, conferendum potiùs (quantum ad bonos) Matt. xi, 12.

In Br. Rom. Ant. " Deposuit &c." ad feriæ sextæ, ad quintæ autem Vesp. dicitur " Fac, Deus, potentiam in brachio tuo: disperde superbos, et exalta humiles."

P. 96 b. *Sequens Hymnus* &c.] Quia inter Oct. Epiph. et Feriam 4 Cinerum singulis Sabbatis non impeditis Commemoratio B.V.M. facienda erat (v. p. xlii—xlvi),—cujus Commemorationis Vesperæ primæ feriâ 6 dicendæ erant.

In hymno, v. 12, Br. Ebor. Gough 6 (non 59) om. *se*.

P. 97 a, l. 3) sæculum] Br. Ebor. Gough 6 (non 59) *sæcula*.

P. 98 b. Pro Ant. " In æt. &c." Br. Rom. " Per singulos dies benedicam te, D'ne."

P. 99 a. (*Cap*: scr. *Cap.*:) &c.] In Br. Rom. " Cap.: *Rom.* 11. *D*: O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus."

usque ad LXX] In Br. Heref. Cap. " Bened. &c." usque ad Quinquagesimam tantùm dicitur.

In Br. Ebor. hymnus *Deus Creator* dicitur ad Vesp. Sabb. quando ad Mat. *Primo dierum*, hymnus autem *O Lux* quando ad Mat. *Ecce jam noctis*, Dom. sequente dicendus est. (V. ad p. ix.)—In Br. Heref. Hymnus *O Lux* in Officio Ordinario semper dicitur.

Digitized by Google

De Completorio. (Add. et Corr.)

p. xxvi, l. 19, benedictio] Adde notam :

[dd] Noctem quietam et finem perfectum concedat nobis D'ns omnipotens. ℟. Amen.

l. 20, lectio brevis] Adde notam :

[ee] Fratres, sobrii estote et vigilate ; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide.

l. 21, Versiculus] Adde notam :

[ff] ℣. Adjutorium nostrum in nomine D'ni. ℟. Qui fecit cœlum et terram. (Hic ℣. signando se signo Crucis a fronte ad pectus dicitur : v. p. vii, viii.)

Confessio] Adde notam :

[gg] Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper virgini, B. Michaeli Archangelo, B. Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis, * et vobis, fratres, (*vel* et tibi, pater,) quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere : † mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor B. Mariam s. v., B. Mich. Arch., B. J. B., s. App. P. et P., o. s., * et vos, fratres, (*vel* et te, pater,) orare pro me ad D'nm Deum nostrum.

* * Verba *et v. f.* vel *et t. p.*, quando quis solus recitat Officium, omittenda sunt.

† Verba *m. c., m. c., m. m. c.* singulis interim ter pectus percutientibus dicuntur.

cum Absolutionibus suis] Adde notam :

[hh] Misereatur tui (*vel* vestri, *vel* nostri) omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis (*vel* vestris, *vel* nostris) perducat te (*vel* vos, *vel* nos) ad vitam æternam. ℟. Amen.

Indulgentiam *, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors D'ns. ℟. Amen.

* Hæc cum signo Crucis ut supra dicuntur.

l. 23, Responsorium] Adde notam :

[ii] "℟. *breve.* In m. t. D'ne : C. sp. m. In m. t. D'ne, c. sp. m. ℣. R. me, D. D. v. C. sp. m. Gl. &c. In m. t. D'ne, c. sp. m." (V. *Compl. ix* nostrum.) Tempore autem Passionis, tam in Br. Rom. quàm in nostris, in Horarum omnium Responsoriis omittitur *Gloria Patri*, et ejus loco repetitur Resp.,—quemadmodum etiam in Vigiliis Mortuorum, quas vide. —Tempore Paschali verò tam Responsorio quàm Versiculo additur duplex *Alleluja*,—quemadmodum etiam ad præcedentes Horas.

Digitized by Google

l. 25. Post "sunt" insere "(plura vide infra)".

l. 27. Post *Gloria Patri* insere "et ℣. *Custodi &c.*"

P. 101 a. *A.* Miserere &c.] Tempore Paschali (post hebd. Paschæ) Ant. Rom. est "Alleluja, All'a, All'a, All'a."

Præsta, Pater &c.] Pro hôc tetrasticho ap. Br. Rom. in Vig. Nat. D'ni et usque ad Vig. Epiph., in Festo dulcissimi Nominis Jesu°, in Festo Corporis Xti, et in Festis et Comm. B. V. M. dicitur:

Jesu, tibi sit gloria, Cum Patre et almo Spiritu,
Qui natus es de Virgine, In sempiterna sæcula. Amen.

In Vig. Epiph. D'ni et per octavas: "Jesu, &c. Qui apparuisti gentibus, Cum Patre &c."

Tempore Paschali usque ad Vig. Asc.,

Deo Patri sit gloria, Surrexit, ac Paraclito,
Et Filio, qui a mortuis In sempiterna sæcula. Amen.

In Vig. Asc. et usque ad Vig. Pent.: "Jesu, &c. Qui victor in cœlum redis, Cum Patre et almo Sp. &c."

In Transfig. D'ni: "Jesu, &c. Qui te revelas parvulis, Cum Patre &c."

De Breviariis nostris v. infra.

℣. Custodi &c.] De divisione Romanâ v. ad Pr. 3 b. Tempore autem Paschali tam Versiculo quàm Resp. in Br. Rom. additur *Alleluja.*

P. 101 b. *A.* Veni &c.] Ant. Rom. per Annum est "Salva &c." (v. *Compl. vj*); tempore autem Paschali (post hebd. Paschæ) additur *Alleluja.*

Hoc Completorium &c.] In Off. Rom., præterquam in iis quæ jam notata sunt, extra hebd. Paschæ et Triduum præcedens (v. ad *Compl. x—xiij*) non variantur præcedentia.

In Br. Heref. autem, quemadmodum in Ebor. Gough 6 (non 59), Officium Completorii in Pr. de T. quærendum est. Meminerit autem lector, nos Breviarii hujus Partem Æstivalem tantùm (v. notam *n n.* p. lxxx) adhuc videre potuisse. Quicquid igitur e Parte Æst. colligere potuimus, id nunc, reliqua, si potuerimus, posthac notabimus.

p. xxviii, l. 17, adde, "Cf. ad p. 102 b."

° Quod in Br. Rom. Dom. 2 post Epiph. celebratur.

Digitized by Google

P. 101 b—102 b. Compl. *ij—v.*] In Off. Ebor., a Vig. Nat. D'ni inclusivè, "*continuè usque ad Oct. Epiph. completas, etiam* [i. e. *et*] *in Festo Purif. B. M.*",—præterquam quòd in hôc festo, si infra LXX evenerit, omittendum est *Alleluja*[p],—An'æ, Hymnus, et Versiculus sunt sequentes:

1. Ant. super Psalmos: "Verbum caro factum est, Alleluja: et habitavit in nobis, All'a." (cf. *Compl. iij.*)

2. Hymnus (cf. Off. Heref. ad Horas, ubi infra):

Corde natus ex Parentis
Ante mundi exordium,
Alpha et O * cognominatus,
Ipse fons et clausula
Omnium quæ sunt, fuerunt,
Quæque post futura sunt,
Sæculorum sæculis.

Ecce quem vates vetustis
Concinebant sæculis,
Quem prophetarum fideles
Paginæ spoponderant,
Emicat promissus olim,
Cuncta collaudent Deus, †
Sæculorum sæculis.

O beatus ortus ille,
Virgo cùm ‡ puerpera
Edidit nostram salutem,
Fœta Sancto Spiritu,
Et Puer Redemptor orbis
Os sacratum protulit,
Sæculorum sæculis.

Psallat altitudo cœli,
Psallant omnes angeli,
Quicquid est virtutis usque
Psallat in laudem Dei:
Nulla linguarum silescat
Vox, et omnis § consonet,
Sæculorum sæculis.

Te senes ‖, et te juventus,
Parvulorum te chorus,
Turba matrum virginumque,
Simplices puellulæ,
Voce concordes pudicis
Perstrepent concentibus,
Sæculorum sæculis.

Tibi Christe sit cum Patre
Agiosque ¶ Spiritu,
Hymnus, melos, laus perennis,
Gratiarum actio,
Honor, virtus, et ¶ victoria,
Regnum æternaliter,
Sæculorum sæculis.

* V. p. lxix. † V. p. lxxvi. ‡ V. p. lxxv.
§ V. p. lxxvi. ‖ V. p. lxxvii. ¶ ¶ V. p. lxix.

3. ℣. Benedictus qui venit in nomine D'ni. ℟. Deus D'ns et illuxit nobis. (Ps. 117; 24, 25: p. 19 b.)

[p] Infra LXX, i. e. inter LXX et Pascha, non dicitur *Alleluja* in quovis Officio.

Digitized by Google

4. *In euangelio Ant.* (v. ad p. 122), "Glorificamus &c." ut in *Compl. xxij.*

P. 102 b. *nisi in festis &c.*] V. Compl. *xviij—xxij.*

In Off. Ebor. *Compl. vij* dicitur per *tres* hebdomadas: Resp. autem et An'a ad *Nunc dim.* cum Versibus suis eadem sunt cum iis quæ in Brev. nostri *Compl. ix* inveniuntur (cf. ad hoc Compl.),—præterquam quòd, 1. Resp. æqualiter (*Cl.* In m. t. D'ne. *Ch.* C. sp. m.) divisum est: cf. supra ad p. xxvi, l. 23. 2. Quòd in An'â ad *Nunc dim.* pro *ut in die judicii, sed in tremendo judicio* legitur. 3. Quòd post ℣. 1, pro *Inter &c., Rex b.* tantùm repetitur.

P. 103 a. In Off. Ebor. *Compl. viij* inter *Compl. vij* et *ix* divisum est: v. ad hæc Completoria.

P. 103 b. In Off. Ebor. *Compl. ix Dom. iiij* XL (v. supra) incipit; Ant. autem super Psalmos est "Sign. &c." ut in *Compl. vij* et *viij* nostris; Resp. verò,—præter æqualem divisionem in initio ("*Cl.* In p. m i. *Ch.* D. et r."": cf. supra), et præterquam quòd infra Passionem (quo tempore, ut in nostris etiam Resp., in Officio feriali omittitur *Gloria &c.*) more nostro, cum inæquali divisione, reincipitur ipsum (c. *Compl. ix* nostrum cum notâ proximè sequente),—cum nostro idem est.

Pro "tuas, Dne," scr. "tuas. *Ch.* Dne,".

In hymno, v. 3, Br. Ebor. Gough 59 (non 6) *subiisse sanctè.*

p. xxix, post *nostris* l. 22 adde, "et cum Br. Ebor.": et l. 26, 27, pro "libris — qui—legunt" scribe "libris et Brev. — in quibus — legitur".

Ant. verò super *Nunc dim.* est "Mediâ &c." ut in *Compl. viii* nostro. Post An'am autem ad *Nunc dim.* "Noli &c." tertius, "Qui—cordium &c." secundus est Versiculus.

P. 104 a. *Compl. x*, l. i.) *ad Compl.*] In Pr. de T.: "*Post prandium peractis his quæ ad Mandatum pertinent* [scil. post ablutionem pedum, poculum caritatis, &c.: v. Processionale], *chorum intrent et Compl. sine notâ secretè* [i. e. "*privatim*" sive *sub silentio*: v. ad Pr. 1, Lit. Dom. A.] *dicant.*"

In Br. Ebor. autem *Compl. x* est:

"*Fer. v in Cœnâ D'nĩ ad Compl. A.* Signatum est. *Pss.* Cum

Digitized by Google

" inv. In te D'ne sp. Qui h. Ecce n. *Cap.* Tu in n. ℟. In pace. *ut* " *supra, cum tribus versibus,* ℣. Ne proj. ℣. Qui cogn. ℣. Noli cl. " *Dicatur.* Kyrie el. *&c. sine prostratione et sine Ps.* Miserere m. D."

Hoc autem Compl. in Br. Ebor. (saltem in Gough 6), aliter quàm in Br. Sarisb. et Rom., post Feriæ 5 Vesp. primas, *Compl. xj* verò post utrasque Parasceues Vesp. dicendum est. De primo autem Fer 5 Compl. Sarisb., in Pr. de T. notatum est, An'am super Psalmos incipiendam et Resp. dicendum " *in formâ ij*", An'am autem ad *Nunc dim.* " *in gradu superiori*" incipiendam esse: item neque fieri prostrationem neque Ps. *Miserere* dici; et propter Cœnæ solennitatem Ps. *Ad te levavi* cum iis quæ sequuntur omitti, quemadmodum etiam usque ad inceptionem historiæ *Deus omnium*: v. p. viii, ix.

In Br. Rom. Feriæ 5 in Cœnâ D'ni Compl. incipit a Confessione et Absolutionibus, quas statim sequuntur Psalmi et *Nunc dim.*: deinde autem cum genuflectione "℣. Xtus factus est pro nobis obediens usque ad mortem." Sequitur, " Pater noster. *totum sub silentio, postea Ps.* Miserere mei Deus. *aliquantulum altiùs: quo finito, sine* Oremus, *dicitur simili voce Oratio:* Respice—tormentum. *sed* Qui tecum *dicitur sub silentio. Finitâ Oratione, fit fragor et strepitus aliquantulum: mox profertur candela accensa de sub Altari, et omnes surgunt et cum silentio discedunt.*" ℣. autem " Xtus &c." cum sequentibus ad finem omnium Horarum dicitur.

P. 104 b. In Br. Ebor. *Compl. xj* est:

" *Fer. vj in die Parasceues ad Compl. post prandium dicant bini* " *et bini privatim an'am* D'ns tanquam ovis ad victimam ductus est, " et non aperuit os suum. *Pss.* Cum inv. In te D'ne sp. Ecce n. ℣. " Christus—mortem. ℟. M. a. C. [V. *Compl. x* nostrum.] Pater noster " *et* Ave M. Et ne nos. Ego dixi *&c. ut supra in feriis ad Mat. cum* " *Ps.* Miserere mei Deus, *subjunctâ continuò post Ps. Oratione* Re- " spice, *præmisso tantùm* Oremus. *Signa non pulsentur.*"

In Br. Rom. Compl. Feriæ 6. in die Parasc. idem est quod die præcedente, præterquam quòd Versiculo " Xtus—mortem." additur " Mortem autem Crucis."; ut ad præcedentes etiam Horas; ad quas quidem Sabbato additur etiam membrum tertium " Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen."

Digitized by Google

Compl. xij) *pulsatis—tripliciter*] In Pr. de T. "*pulsatâ binâ vice in classicum*".

In Br. autem Ebor. *Compl. xij* est:

" *Sabb. Sancto in Vig. Paschæ, ad Compl.* Deus in adj. *&c. A.* " All'a *iiij. Pss.* Cum inv. In te D'ne sp. Ecce nunc. *Et sequatur* " *statim* All'a. ℣. Conf.—bonus. Quoniam—ejus. [v. p. xxxi.] *Non* " *reincipiatur* All'a, *nec dicatur Versiculus* In resurrectione tuâ, Xte " *ante Diem Resurrectionis. Sequitur Collecta.* D'ns vob. *Oratio.* Spi- " ritum—Amen. D'ns vob. Et cum sp. tuo. Bened. D'no. *sine* All'a."

In Sabbati Sancti Off. Rom., restituto, ut in Officiis nostris, Completorii initio cum *Alleluja*, omissis autem similiter Hymno et Cap. cum Resp. suo, Psalmi quoque sub eâdem An'à cum *Nunc dim.* dicuntur, quæ tamen in Off. Rom. eadem est quæ ad *Magn.* tam in Rom. quàm in Br. Sarisb. dicitur, scil. " Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in primâ Sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulchrum, All'a." in Compl. autem " *dicitur ad modum semiduplicis*". (V. p. x. parag. 2, cum Add. et Corr. ult.) Omittuntur Preces.

P. 105 a. *Compl. xiij*) *a cantore*] Non exprimit hoc Br. Ebor.

℟. Hæc dies &c.] In Pr. de T., ut in Br. Ebor. " *Graduale.* Hæc dies &c." Est autem revera " Hæc dies &c." *Graduale* ad Missam, sive Resp. post Epistolam.

Cœli] In Br. Ebor. *Cœlum.*

In Br. Rom. in die et per hebd. Paschæ Compl. dicitur ut in aliis festis et per octavas, præterquam quòd, 1. An'a super Psalmos est " Alleluja, All'a, All'a, All'a"; 2. Hymnus, Cap. et ℟. breve omittuntur. 3. An'a ad *Nunc dim.* est " Hæc dies &c."

P. 105 b. In Br. Ebor. post Hymnum reliqua Completorii *xiiij* ita se habent: " *Hi duo versus dicantur in fine omnium Hymnorum* " *quorum cantus metro convenit usque ad Asc. D'ni, nisi in Hymno* " Chorus novæ Hierusalem [q]. *Et quandocunque fit serv. de S. Mariâ,* " *tunc in fine Hymnorum ejusdem metri dicetur* Quæsumus auctor. " *cum* Gloria tibi D'ne, Qui natus [&c.] ℣. In res.—All'a. [V. " *Compl. xiij* cum annot. nostrâ.] *A.* All'a. *Ps.* Nunc dim. Kyriel. " *&c. Et sic dicatur Compl. generaliter usque ad Asc. D'ni.*

[q] Hic Hymnus ad Vesp. Sabbatorum inter Pascha et Asc. Dni dicitur.

Digitized by Google

" *Ab hôc die dicantur Capitula, Hymni, Versiculi, et An'æ cum* " *neuma,* ℟*ia ad Horas, et Preces ad Primam et ad Compl., et* Fi- " delium animæ &c."

In *Compl. xv*, Hymni Eboracensis tetrasticha prima quattuor eadem sunt quæ in *Compl. xiiij.* ℣. autem Ebor. est, " Ascendit Deus in jubilatione. Et D'ns in voce tubæ, All'a." (Cf. Ps. 46, 5.)

P. 106 a. In *Compl. xvj*, pro Hymno *Salvator*, in Br. Ebor. dicitur Hymnus *Jesu Salvator.* ut in *Compl. xiiij.* ℣. autem est, " Sp. Sanctus docebit vos. ℟. Omnem veritatem, All'a."

Compl. xvij) In Br. Ebor. Sequentia " Alma chorus &c." in die Pent. et feriâ iij tantùm dicitur; feriâ verò ij et iiij sequentes:

Laudes deo devotas
Dulci voce ac sonorâ
Plebs resultet Catholica.
Spiritûs Sancti gratiâ
Apostolis die hodiernâ
In igneis linguis est infusa
Paracliti præsentia.
Emundet nos a peccati maculâ,
Pura sibi aptans habitacula;
Charismatum et munera
Pectoribus nostris pius infundat,
Vita nostra ut ei complaceat.
Per sæculorum sæcula
Conclamemus Alleluja!
Sit Deo laus potestas,
honor, virtus, et gloria.

P. 106 b, l. 1. Pro *sæcla* malè Br. Ebor. *sæcula.* ℣. autem Ebor. in die et per hebd. idem est qui in Vig. Pentecostes.

l. 3, 4. *Hymnus* Salvator] In Br. Ebor. " *Hymnus* Jesu Salvator [v. *Compl. xiiij*] *cum versibus :*

" Dudum sacrata [pectora
" Tuâ replesti gratiâ:
" Dimitte nunc peccamina,
" Et da quieta tempora].
" Sit laus Patri [cum Filio:
" Sancto simul Paraclito:
" Nobisque mittat Filius
" Charisma Sancti Spiritûs].

et

" *Hi duo versus subjungantur* [i. e. *versibus* Quæsumus *et* Gloria " *substituantur*] *ad omnes Hymnos infra Oct. Pent. quorum metro* " *conveniunt.*"

In *Compl. xviij* apud Br. Ebor. et Heref. An'a ad *Nunc dim.* eadem est quæ in *Compl. vj.*

Hoc Compl. dicitur &c.] In Br. Heref. Rubrica est:

" *Et sic dicitur Compl. in omnibus festis principalibus, duplici-*

Digitized by Google

" *bus, et semiduplicibus ab hac die usque ad Adv. D'ni, et per* [vel " *post*] *Oct. Epiph. usque ad Dom.* 1 XL, *nisi in Festo Corporis Xti* " *et per oct. ejusdem, et nisi in festis B. M. et per oct. ejusdem. Dice-* " *tur etiam per omnes oct. solennes per idem tempus.*"

et in festis Rel. et O. S.] In Br. Ebor. et Heref. hæc festa[r] non excipiuntur;—excipienda sunt autem et in his et in Br. Sarisb., etiamsi in Psalt. Sarisb. hoc non notatum est, (v. Pr. de T.):

I. Festum Corporis Christi (feriâ 5ta post Festum S. S. Trin. celebrandum), in quo apud Br. Ebor. versus " Gloria tibi D'ne &c." (v. p. 105 b) dicendus est " *in fine omnium hymnorum quorum metro convenit per octavas, etiamsi de sanctis agatur, nisi in hymno* Verbum supernum[s]".—In Br. Sarisb. idem fit " *quando fit servitium de Corpore Xti*": v. Pr. de T.

In Br. Heref. legitur:

" *In Festo Corporis Xti ad Compl. Ant.* Mis. *Ps.* Cum inv. *Cap.* " Tu in n. *Hym.* Salvator mundi. *Et finiatur cum hoc v.* Gloria tibi " D'ne. ℣. Custodi nos D'ne. *Ant.* All'a, caro mea verè est cibus, " All'a; et sanguis meus verè est potus, All'a, alla. *Ps.* Nunc dim. " *Hoc modo dicitur Compl. per totas octavas, sive de oct. agitur sive* " *non: hôc excepto quòd cæteris diebus*[t] *infra oct. finiatur Hymnus* " Salvator *cum versibus:*

" O salutaris hostia,
" [Quæ cœli pandis ostium;
" Bella premunt hostilia:
" Da robur, fer auxilium.]
" Uni trinoque Domino
" [Sit sempiterna gloria:
" Qui vitam sine termino
" Nobis donet in patriâ. Amen]."

II. Festum Nominis Jesu, in quo, tam in Br. Sarisb.[u] quàm in Ebor. et Heref., 1. Ant. super Psalmos est, " Miserere mihi, D'ne sec. judicium diligentium nomen tuum." 2. pro Hymno *Salvator*

[r] De Festo Reliquiarum in Br. Ebor. nihil omnino vidimus.

[s] Distinguendus est hic hymnus, qui ad Laudes,—in Br. Ebor. etiam ad Vesp. 2das et sequentes,—in Festo et per Oct. Corporis Xti, ab hymno *Verbum supernum* qui ad Mat. per Adv. dicitur: v. Pr. 4 b.

[t] I. e., ut videtur, quando non dicitur de Corp. Xti.

[u] Vide Pr. de T.; ubi tamen substitutio verborum " Nominibus &c." pro " Salvificet &c." non disertè præcepta est.

Digitized by Google

dicitur Sequentia *Alma chorus* (v. *Compl. xvij*)[x]; substituendo tamen pro "Salvificet — Amen.", "Nominibus his Signatur Jesus. Sint Domino laudes. Amen." 3. An'a super *Nunc dim.* est "O Rex &c." ut in *Compl. ix.*—In Br. autem Ebor., quocum concordat Pr. de T. Sarisb., "*hoc Compl. non mutatur per oct. quando de oct. agitur*[y]." In Br. Heref. "*hoc Compl. non mutabitur per totas oct. de quocunque fuerit servitium.*"

sicut habetur] I. e. *sicut notatum est.*

Compl. xix.] De Br. Ebor. et Heref. v. supra.

P. 106 b, 107 a. Pro *Compl. xx—xxij* Br. Ebor. Gough 59[7] habet: "*In commemoratione* [v. ad p. 102 b] *B. M. V. in Adv. ad* "*Compl. A.* Cum jocunditate commemorationem B. M. celebremus, "ut ipsa pro nobis intercedat ad D'nm Deum nostrum. *Ps.* Cum "inv. *&c. Cap.* Tu in n. *Hym.* Te lucis. *cum v.* Gloria tibi D'ne. ℣. "Custodi nos. *Deinde A.* Sub tuum præsidium confugimus, sancta "Dei genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus; "sed a periculis libera nos semper, Virgo benedicta. *Ps.* Nunc d. Kyrie "el. *&c. in omnibus commemorationibus.* [De Off. Sar. v. in *Compl. j.*]

"*In comm. B. M. in tempore Paschali A.* All'a, all'a, all'a, all'a. "*Ps.* Cum inv. *&c. Cap.* Tu in n. *Hym.* Jesu salv. sæc. *&c.*: *non* "*mutatur Compl. nisi tantùm v.* Gloria tibi, D'ne, Qui natus es de "Virgine *post v.* Quæsumus auctor omnium. [V. *Compl. xiiij.*]

"*In Purif. B. M. V. ad Compl. A.* Verbum caro factum est. *ut* "*supra in Nat. D'ni. Ps.* Cum inv. *&c. Cap.* Tu in n. *Hym.* Corde "natus. *&c. Si infra* LXX *evenerit, dicatur sine* All'a. [V. ad *Compl. ij.*]

"*In Festo Annunc. B. M. V. ad Compl. ut tempus exegerit. Et nota* "*quod* [*tempore Paschali*] *in fine Hymnorum quorum metro convenit* "*dicitur v.* Quæsumus auctor omnium *ante v.* Gloria tibi, D'ne, Qui "natus &c. [*qui in Br. Ebor. etiam infra Passionem dicitur.*]

"*In Festo Assumptionis B. M. V. ad Compl. A.* Cum jocunditate "Assumptionem B. M.—nostrum. [v. supra.] *Et in aliis festis B. M.* "*mutato isto verbo* Ass. *in* Nativitatem, *vel* Conceptionem, Visitatio- "nem, *&c. prout festum exegerit* [liber impressus *exigerit*]."

[x] In hac Seq. Br. Heref.: "theon panton craton". [y] V. p. lxxxvi. l. 28.

Digitized by Google

In Br. Heref. in comm. B. M. per Adv., præter ultimum Hymni v. non mutatur Compl. Adv. Post Epiph. autem et, excepto tempore Paschali, per annum ad *Nunc dim.* dicitur Ant. *Glorificamus.* Tempore verò Paschali, quemadmodum in Adventu, non dicitur Ant. *Glorificamus.*

In Assumptione autem et Nativitate ejusdem, et per octavas, in eodem Brev. dicitur Ant. super Psalmos *Mis.* Hym. *Salvator.* ℣. *Custodi.* Ant. ad *Nunc dim.* "Glorificamus &c." Quod idem de Visitatione quoque verum esse potest; de hôc autem, saltem in loco, tacet omnino Breviarium.

P. 107 a. In pace &c.] Br. Rom. omittit hunc ℣.

Pro "Benedicamus &c." et "Benedictus &c." Br. Rom. habet. "℣. Benedictus es, D'ne Deus patrum nostrorum. ℟. Et l. et gl. in s. ℣. Benedicamus &c.": post quod sequitur statim (v. p. 107 b) ℣. Dignare &c.—De Confessione cum Absolutionibus suis v. ad p. 100 a: de Versiculis "Deus, tu &c.", "Ostende &c.", et "D'ne Deus &c.", item de Ps. *Miserere* cum ℣. prævio et sequente, ad p. 23 a et b cum Add. et Corr. ultimis.

quando Confiteor *dicitur*] Per hebd. Paschæ et Triduum præcedens non dicuntur "Preces": v. *Compl. x—xiij.*

P. 108 a. Illumina &c.] Oratio Romana est:

"Visita, quæsumus, D'ne, habitationem istam, et omnes insidias "inimici ab eâ longè repelle: Angeli tui sancti habitent in eâ, qui "nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. "Per D'nm [&c.]."

Post "Deo gratias" autem in eodem Brev. sequitur Benedictio: "Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors D'ns, Pater, et Filius, et Sp. S." Deinde verò, sine *Fidelium &c.* (v. ad p. 15 b.) An'a metrica de B. Mariâ cum ℣. et ℟., "Oremus", et Oratione de eâdem, et ultimo loco ante Pater noster, Ave M. et Credo (v. ad p. 12 a), "℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen."

De Litaniis Ebor. et Heref.

P. 111 b. Archangeli Dei] Br. Ebor. et Heref. omittunt *Dei.*

Omnes s. p. &c.] Br. Ebor. Gough 6 omittit hanc invocationem.

Digitized by Google

P. 112 a. Joh.—Jac.] Br. Ebor. et Heref. "Jac.—Joh."

Ph.—Jac.—M.—Barth.] Iidem, "Jac.—Ph.—Barth.—M."

Thaddæe] Br. Ebor. Gough 6, *Juda*.

Post *S. Lucam* Br. Ebor. *S. Martialem* et *S. Timotheum* invocat.

In Br. Ebor. et Heref. *disc. D'ni* et *innocentes* seorsim invocantur.

Post horum autem invocationes sequuntur statim sine intervallo vel Rubricâ,—in Br. Ebor.:

"S. Stephane—Line—Clete—Clemens—Corneli—Cypriane—Sixte—Thoma—Laurenti—Vincenti—Grisogone—Fabiane—Sebastiane—Christofore—Georgi—Dionysi cum soc.—Maurici cum soc.—Eustachi cum soc.—Blasi—sancti Johannes et Paule—Cosma et Damiane—Marcelline et Petre—S. Albane—Oswalde—Edmunde—Omnes s. Martyres—S. Silvester—Leo—Gregori—Ambrosi—Martine—Nicholae—Basili—Germane—Augustine—Pauline—Johannes—Wilfride—Wilhelme—Cuthberte—Swithune [Gough 59 "Swithine]—Sampson [Gough 59 "Sanson]—Edmunde—Hieronyme—Edwarde—Leonarde—Benedicte—Ægidi—Anthoni—Hilarion—Omnes s. confessores—Omnes s. monachi et heremitæ—S. Anna—Maria Magdalene [Gough 59 "—na]—Maria Ægyptiaca—Pelagia—Felicitas [Gough 59 omittit *Fel.*]—Perpetua—Agatha—Agnes—Cæcilia—Lucia—Anastasia—Sabina—Euphemia—Fides—Cha-[Gough 59 "Ca]ritas—Spes—Katherina—Margareta—Juliana—Scholastica—Petronilla—Austre[Gough 6 "Austra]berta—Hilda—Eufr[Gough 6 "Euer]ildis—Etheldreda—omnes sanctæ virgines—omnes sancti [Gough 59 addit "et sanctæ], orate pro nobis."

In Brev. autem Herefordensi:

"S. Ethelberte—Stephane—Line—Clete—Clemens—Sixte—Corneli—Cypriane—Laurenti—Vincenti—Dionysi cum soc.—Maurici cum soc.—Thoma—Fabiane—Sebastiane—Gervasi—Prothasi—Georgi—Albane—Edmunde—Edlkarde—omnes s. martyres—Thoma—Silvester—Leo—Damase—Gregori—Ambrosi—Hieronyme—Augustine—Martine—Benedicte—Nicolae—Edmunde—Romane—Audoene—Dunstane—Cuthberte—Cuthlace—omnes s. confessores—Anna—Maria Magdalena—Maria Ægyptiaca—Felicitas—Perpetua—Petronilla—Agatha—Lucia—Agnes—Cæcilia—

Digitized by Google

Katherina—Margareta—Etheldreda—Mulburga—Fides—Fredslkyda—Osytha—omnes s. virgines—omnes sancti, orate pro nobis."

Deinde verò, in Br. Ebor.:

" Propitius — diaboli, Lib. A peste superbiæ, L. A carnalibus desideriis, L. Ab omnibus immunditiis &c. A persecutione Paganorum et omnium inimicorum nostrorum, L. Ab irâ &c. A venturâ irâ, L. A subitâ et æternâ morte, L. Per myst. &c. Per sanctam Res. — Paracliti, L. A pœnis inferni, L. In die — pacem et concordiam n. d., T. r. Ut sanctam Eccl. &c. Ut domnum &c. Ut Archiep'um nostrum et omnem congregationem sibi commissam in sanctâ &c. Ut regibus et principibus nostris &c. Ut locum nostrum et omnes habitantes in eo visitare et consolari digneris, Te r. Ut omnibus b. n. æterna &c. Ut cunctum — tuo [Gough 6 om. *tuo*] &c. Ut remissionem omnium peccatorum nobis dones [Gough 6 " donare digneris], Te r. Ut obs. &c. Ut animas &c. Ut misericordia et p. tua nos semper custodiat, Te r. Ut aeris temperiem bonam nobis dones, Te r. Ut fructus &c. Ut fratribus nostris et omnibus fidelibus infirmis sanitatem mentis et corporis donare digneris, Te r. Ut miserias &c. Ut cunctis fidelibus &c. Ut ad gaudia æterna nos perducere digneris, Te r. Ut nos &c. Fili &c. Agnus—mundi, Parce n. D. Agnus — mundi, Exaudi n. D. Agnus—Sed libera. Peccavimus, D'ne, cum — retr. nobis. Ne memineris [Gough 6 addit " D'ne] iniq. n. ant.: Cito — nimis. [V. p. xxiv.] Adjuva — noster: Et — tuum. [V. ibid.] Memor — tuæ: Quam — initio. [V. p. 60 b.] Sacerdotes &c. D'ne, — regem: Et — te. [V. p. 11 a.] Salvum—tuæ: Et — in æt. Exurge—erimus. [V. p. 108 a.] D'ne exaudi—Oremus.

In Brev. Heref.:

" Propitius—perpetuâ, L. Ab omni imm. &c. Per myst. &c. Per sanctam Nat. t., L. Per Pass. et Cr. t., L. Per. gl.—pietas tua nos semper custodiat, Te r. Ut Eccl. &c. Ut domnum &c. Ut Ep'um nostrum et Prælatos nostros et nos congregationes illis commissas in tuo sancto servitio conservare digneris, Te r. Ut regibus et pr. &c. Ut cunctum &c. Ut omnibus benef. &c. Ut fructus &c. Ut locum istum et omnes habitantes in eo visitare et confortare dig-

Digitized by Google

neris, Te r. Ut iter famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate disponas, Te r. Ut omnibus fid.—Agnus—mundi, Parce n. D. Agnus—mundi, Ex. n. D. Agnus—mundi, Mis. nobis. Christe audi nos. Kyrie—Sed lib. Et veniat—el. tuum. Esto nobis, Dne, turris fortitudinis: A facie inimici. Memor — tuæ: Quam — initio. [V. p. 60 b.] D'ne, salvos fac reges: Et — te. [V. p. 11 a.] Salvum fac — tuæ: Et — æternum. D'ne, fiat &c. Oremus pro fidelibus defunctis: Req. — D'ne, et lux — eis. [V. p. 117 a.] D'ne exaudi — Oremus.

[De Orationibus Ebor. et Heref. v. supra, p. xxxv—xxxvii.]

p. xxxvi, l. 19, 20, pro "quo—sanctum" scr. "quo nihil est validum, nihil sanctum": l. 23, pro et "cui scr. "et cui : et l. 25, pro "Spiritus—nostri" scr. "Spiritûs—nostri;".

P. 114 b—116 b. In Br. Ebor. et Heref. hæc omnia desunt.

De Vigiliis Mortuorum Eboracensibus.

In Breviario quidem Eboracensi non leguntur Vigiliæ Mortuorum: in Manuali autem, sub titulo *initiali* "*De modo dicendi Exequias Defunctorum*", cum titulo *currente* "*Vigiliæ Mortuorum*", inveniuntur, et quidem notis musicis (ut in Manuali Sarisb.) instructæ. De Rubricis v. infra.

In Manuali autem Ebor., l. Ant. ad *Magn.* est: Tuam Deus poscimus pietatem, ut eis tribuere digneris lucidas et quietas mansiones. 2. ℣. A portâ &c. omittitur. Deinde verò, post "D'ns vob. Et cum sp. [tuo.]" in Man. Ebor. sequuntur statim "Oremus." et sequentia:

"*Pro Episcopo Oratio.* Deus qui——famulum tuum—gerebat—
"lætetur in cœlis. Per D'nm nostrum Jesum Christum. [V. p. 117 b.]

"*Pro Sacerdote Or.* Omnipotens s. Deus,—famuli tui Sacerdotis,
"ut qui de—tuorum in numero f. a. Per D'nm nostrum Jesum. [V.
"p. 121 a b.]

"*Pro famulo Or.* Inclina—ut animam famuli tui, quam de—esse
"consortem. Per D'nm nostrum Jesum Christum. [V. p. 121 b.]

"*Pro famulâ Or.* Quæsumus, D'ne, pro tuâ pietate miserere animæ
"famulæ tuæ; et a contagiis mortalitatis exutam in æternæ salva-
"tionis partem restitue. Per D'nm nostrum Jesum.

Digitized by Google

" *Pro benefactoribus Or.* Miserere, quæsumus, D'ne, animabus om-
" nium benefactorum nostrorum defunctorum ; et de beneficiis quæ
" nobis largiti sunt in terris, præmia æterna consequantur in cœlis.

" *Oratio generalis pro mortuis.* Fidelium—animabus famulorum
" famularumque tuarum remissionem—consequantur. Qui vivis. [V.
" p. 117 b, 118 a.]"

P. 118 a. Pro ℣. " A portâ &c." Manuale Ebor. habet : In mem. — justi. Ab — timebunt. [V. p. 119 a.]

P. 118 a b. In Man. Ebor. duo tantùm ultima verba " Salv. meum" repetenda sunt.

In ℟. 2. apud Man. Ebor. ℣. est " Requiem æternam dona eis D'ne." cum repetitione trium tantùm verborum, " Et locum indulgentiæ."

P. 119 a. Pro ℣. " In mem.", Man. Ebor. " Ne tradas &c." (v. p. 61 a). Cf. autem ad p. 118 a.

Quantas &c.] In Man. Ebor. " Responde mihi quantas &c."

P. 119 b. In Man. Ebor. ℟. 6 est " Libera me D'ne de viis &c." ut p. 120 b.

In iij Noct., l. 1) ut eripias] Man. Ebor. *ut eruas.*

In Man. Ebor. ℣. est : Animæ eorum in bonis demorentur. Et semen eorum [hereditet terram. V. Off. Heref., p. c.]

P. 120 a. ℟. 7) pœnitentem] In Man. Ebor. " *repenitentem*[2]".

℟. 8 in Man. Ebor. est : " Deus æterne, in cujus humana
" conditio potestate consistit, animas omnium fidelium defunctorum,
" quæsumus, ab omnibus absolve peccatis. Ut pœnitentiæ fructum
" quem voluntas eorum optavit, præventi morte non perdant. ℣. Qui
" in Cruce positus latronem serò pœnitentem suscepisti, eorum preca-
" mur piè peccata dele. Ut."

P. 120 b, l. 11 &c. Pro " Libera—pace. Amen." Man. Ebor. habet :
" Libera—tremendâ. Quando—: dum—ignem. ℣. Dies—valde.
" Quando. *Repetatur* ℟. Libera me *quando fit cum ix lect.*
" ℣. Audivi—dicentem : Beati—moriuntur. [V. p. 117 a.]"

In Laud. Ebor. Ant. 4 est, " Eruisti D'ne animam meam ne periret."

P. 121 a, pro ℣. Requiem &c., Man. Ebor. " A portâ—eorum."

[2] In Breviarii &c. edd. antiquis diphthongi æ et œ nunquam apparent.

Digitized by Google

Quo finito dicatur Req.] In Man. Ebor. "*Sacerdos.* Req."

A portâ &c. Credo &c.] In Man. Ebor. "Credo &c. A p. &c."

Post "D'ns vob." autem in eodem Manuali sequitur statim:

"*Oratio pro Episcopo.* Deus qui inter Apostolicos. *Pro Sacerdote* "*Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, cui. *Pro famulo.* Inclina, D'ne, "aurem tuam. *Pro famulâ.* Quæsumus, D'ne, pro tuâ. *ut supra.*

"*Oratio generalis.* Animabus, q., D'ne, famulorum famularumque "tuarum oratio—participes. Qui vivis et regnas Deus. [V. p. 121 b.]

"*Rectores chori.* Requiescant in pace. *Chorus.* Amen."

Rubricæ autem, præter verba a nobis supra descripta, in Officio ipso non leguntur; post Officium verò satis plenæ sequuntur; quas tamen cum aliis quæ e libris Eboracensibus &c. cum fructu describi poterunt, necessariò (v. infra, p. cvi) ad fasciculos sequentes relegamus.

De Vigiliis Mortuorum Herefordensibus.

P. 117 tit. In Vig. Mort.] In Br. Heref. "*Sequitur Officium pro Defunctis.*":— et pro titulo currente "*Officium Mortuorum.*" Cf. infra "*Servitium Mortuorum.*"

Orationes autem in Off. Heref. sunt sequentes:

"*Si fuerit obitus*[a], *tunc dicantur sequentes Orationes.* *Oratio.*

"Deus ind.—animabus famulorum famularumque tuarum quo-"rum—claritatem. Per. [V. p. 117 b.]

"*Or.* Deus qui inter Apostolicos—cœlis. Per. [V. ibid.]

"*Or.* Fidelium—consequantur. Qui vivis. [V. ibid.]

"*Si non fuerit obitus, tunc dicantur sequentes Orationes.*

"*Or.* Deus qui inter Ap'licos. *Or.* Omnipotens—f. tui; ut qui "de—aggregari. [V. p. 121 a.] *Or.* Fidelium.

"*In Laudibus. Si fuerit obitus, dicantur sequentes Orationes. Or.*

"Præsta, quæsumus, Dne, ut anima famuli tui, cujus anniversa-"rium depositionis diem commemoramus, his adjuta precibus in-"dulgentiam pariter et requiem capiat sempiternam.

"*Or.* Deus cujus misericordiæ non est numerus——Pontificum "et Sacerdotum precibus—concede. Per. [V. p. 121 b.]

[a] Ex oratione primâ tam ad Vesperas quàm ad Laudes apparet *obitum* de solennitate anniversariâ dictum fuisse.

Digitized by Google

" *Or.* Animabus—participes. Qui. [V. ibid.]

" *Si non fuerit obitus, tunc dicuntur Orationes :*

" *Or.* Deus cujus mis. *&c. Or.* Præsta, quæsumus, omn. Deus, ut " an. fam. *&c.* [*ut infra.*] *Or.* Animabus.

" *Si fuerit corpus præsens, tunc dicantur sequentes Orationes. Or.*

" Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut animam famuli tui " ab angelis lucis susceptam in præparata habitacula deduci facias " beatorum. Per.

" *Or.* Deus cujus misericordiæ non est numerus *&c. Or.* Animabus *&c.*

" *Pro corpore præsentis feminæ. Oratio.*

" Quæsumus, D'ne, pro tuâ pietate miserere animæ famulæ tuæ " N., et a contagiis mortalitatis exutam in æternæ salvationis partem " restitue. Per. *In Laudibus Or.* Præsta, quæsumus, omnipotens " Deus, ut animam famulæ tuæ N. ab angelis lucis *&c.*"

(P. 118 a.) Post has autem Orationes sequitur Rubrica :

" *Ad Mat. verò per annum, quando fit Servitium Mortuorum, non* " *dicitur* D'ne labia *nec* Deus in adj., *sed qui primus steterit in or-* " *dine incipiat Mat. hoc modo.*"

Pro " Pater noster.—Tu autem." Br. Heref. habet : " *Non dicitur ante lectiones* Et ne nos. *Lectiones de Job leyantur. Lec. j. Job. vij.* Parce—subsistam. *Non dicitur* Tu autem *in fine lectionum hac die*[b]."

P. 118 b. *Sciendum est &c.*] In Br. Heref.: *Die mortuorum repetatur iij, vj, et ix* ℟.

P. 119 a. ℣. In mem. &c.] In Br. Heref. : ℣. Ne tradas—tibi. Et animas—in finem. [V. p. 61 a.]

P. 119 b ut tu Deus] Br. Heref. om. *Deus.*

℣. Requiem.] In Br. Heref. : ℣. Animæ eorum in bonis demorentur. ℟. Et semen eorum hereditet terram. [V. p. 18 a.]

P. 120 b. inhabitat.] Br. Heref. *inhabitans.*

Pro " ℣. Nunc, Christe,—pace, Amen." Br. Heref. habet :

" ℣. Vix justus salvabitur, et ego miser ubi parebo [*i. e.* apparebo]. " Quando. ℣. Requiem D'ne ; et—eis. [V. p. 117 a.] Dum. *Et dici-* " *tur hoc nonum* ℟. *hac die*[c] *cum omnibus supradictis Versiculis.*

[b] Ita liber impressus : cf. infra.

[c] Ita liber impressus : cf. supra.

Digitized by Google

" ℣. Audivi v. de c. d. ℟. Beati &c. [V. ibid.]"

Pro Ant. " A portâ &c." Br. Heref. habet, " Eruisti, D'ne, animam meam ut non periret."

P. 121 a. ℣. Requiem &c.] Br. Heref. (per errorem, ut videtur) omittit Versiculum.

Post " *Ps.* Bened." Br. Heref. procedit:

" *Quocunque die per annum fit Servitium Mortuorum, nisi Die De-*
" *functorum, semper finitâ ant. post Ps.* Bened., *statim sequitur* Pater
" noster *et* Ave M. *cum Ps.* Exaltabo te D'ne. *et Ps.* De prof. (p. 91 b.)
" *absque* Gloria Patri. *Executor Officii loco et habitu non mutato*
" *dicat* ℣. Requiem æt. *Et cætera ut supra in Vesperis Mortuorum.*"

IN PROPRIO DE TEMPORE ADVENTUS.

p. 1, Lit. Dom. A.) solennis memoria] De *memoriis* plura vide p. xlii. *Memoriæ* autem *solenni* opponitur *memoria sub silentio*, in quâ, quantùm quidem ipsi ex variorum Brev. Sarisb. locorum comparatione conjicere possumus, sine ullo cantu, humili tantùm voce legendo, omnia dicebantur. Cf. autem quæ infra ad p. 4 a. monuimus.

p. xlii, l. penult.) Memoria] Adde notam:

[kk] Et tamen in Gough 43 (*Venetiis*, 1495) in Feriæ 2 Laudibus titulus *currens* " *Commemorationes*" est.

p. xlvi, in nota *h*, " pro feriam quartam Cinerum" scribe " Quadragesimam".

Ibid. Lit. Dom. D, pro " Linc. B. 10. 7. 4to," scr. " B. 11. Jur. Seld. folio,".

Ibid. Lit. Dom. F, l. penult., pro " (p. 2." scr. " p. 2."

(p. 2 a) p. xlvii, l. 7, Brev. Ebor.] Adde notam:

[ll] I. e. Br. Ebor. Gough 6: nam in Gough 59, post Picam et Rubricas quasdam in initio, usque ad medium Rubricæ ante Cap. in Laudibus Dom. 1 Adv. omnia desunt.

l. 16, post " p. 3 b." adde, " —Br. Ebor. cum Sarisb. concordat."

p. 3 a. *et quotidie infra octavam*] Aliter in Officio Eboracensi, " *nisi cùm de eo in crastino fuerit cantandum*".

Ave &c.] In Off. Ebor. A'na Memorialis " Missus—Joseph" (p. 9 a) ad Vesperas, hæc autem illius loco ad Laudes dicitur.

(p. 4 a) p. xlix, l. 8, pro " *Post*" scr. " *Post* [Gough 67, *Et post*]"

Digitized by Google

p. l, l. 17, post " notavimus." adde : " In Legendis autem Sarisb. p. lii memoratis, omissâ tam Symboli quàm Salutationis mentione, legitur : "*post* Pater noster *ante lectiones dicat Sacerdos executor Officii in audientiâ* Et ne nos. ℟. Sed libera."

p. li, l. 16, pro " De invitatorio autem ipso disputationem ad Addenda relegamus." scribe :

De invitatorio autem ipso notandum, ex hac demum insertione facilius explicari posse locutiones in Calendario &c. obvias, "*invitatorium simplex*," "*inv. duplex*," et "*inv. triplex*"; de quibus nobis quidem ita statuendum videtur :

1. quando *inv. simplex* est, omnia ut p. 122 dici debere,—inv. a choro, Psalmum ab hebdomadario,—nisi quòd, ut videtur quidem, vel simplex inv. ultimâ vice inter hebdomadarium et chorum ita dividi debuit :

" Laudemus Jesum Christum.

" *Quia ipse est Redemptor omnium sæculorum*".

2. In *inv. duplici*, præterquam quòd, si regebatur chorus (v. ad P. 21 b), ab ejusdem rectoribus Psalmus dicendus erat, hoc solum mutandum fuisse videtur, nempe in initio et ante verba " Hodie si vocem" invitatorium in duas partes,—scil. (1) in initio, si regeretur chorus, inter ejusdem rectores et chorum ipsum, si non regeretur chorus, inter cantorem (Angl. *the precentor*) vel succentorem et chorum,—(2) ante prædicta verò verba sive regeretur chorus sive non, inter cantorem vel succentorem et chorum,—dividendum fuisse.

3. Inter *inv.* autem *triplex* et *inv. duplex* hæc duo fortasse discrimina fuerunt, nempe 1. quòd inceptionum prædictarum prior, a cantore vel succentore semper facienda, 2. quòd ante hanc inceptionem priorem, totum a rectoribus chori percantandum, atque ita quod divisione *duplex*, percantatione hac præmissâ, *triplex* faciendum erat. Quod si inceptio talis silentio ad finem p. 4 b. notando excludi videbitur, quid omnino significet *inv. triplex* nos saltem ne hariolari quidem posse fatebimur. Meminerint autem qui aliorum de hac re conjecturas audierint,—qui quædam tantùm eorum quæ de inv. in Breviariis dicta sunt animo tenuerit, ei quidem haudquaquam difficile fore, conjecturam satis per se probabilem proponere ;—difficultatem

Digitized by Google

verò (si difficultas sit) in hôc positam esse, conjecturam proferre talem, quæ et per se probabilis sit, et hæc omnia benè inter se conciliare possit.

(p. 5 a) Ibid. l. 31, pro "4 a (p. li)." scr. "4 a (p. l), *cum Add. et Corr.*"

p. lii. ante parag. penult. insere:

De lectionibus autem ipsis notandum est, in Douce Ref. et Legendis Sarisburiensibus (cf. etiam p. vi) lectiones multò longiores esse quàm in Breviariis Communibus, et eas quidem quæ de Esajâ sumptæ sunt ita ordinatas esse, ut sine omissione omnia suo ordine sequantur; item, præter Sabbata, feriis omnibus [d] lectiones suas assignatas esse; ut si in Adventu hebdomadæ quattuor integræ sint, lectiones ex Esajâ sumptas verbis "— in profundum laci." cap. xiv, v. 15. terminentur.

l. 24, impressis] Adde notam:

[mm] In quibus libris post secundam etiam lectionem formula hæc plenè descripta est.

p. 6 b. *lect. v)* suscipietur] In Douce Ref. *suscipi deberet.* Br. Ebor. Gough 6 (v. notam *ll.* p. ci) *s. debēt*, eodem fortasse sensu.

(p. 9 b) p. lv, l. 1, dele "ibid.": l. 3—6, pro "Gough—67 (solus —contigit)—inter libros antiquissimos." scr. "Gough 67, 68 (v. ad P. 41 b), solus—contigit,—e libris antiquissimis."

p. 14 b. De *Responsoriis*, in Br. Ebor. post feriae 2 lectionem 1 Rubrica sequens legitur:

"*Quando autem Responsoria*[e] *sequuntur nonum Resp. de aliquâ* "*historiâ, sicut* ℟. Erumpant, *illa quæ supersunt nonum debent* "*prius dici in feriâ: postea incipiatur a secundo* ℟. *historiæ. Si-* "*militer fiat si tantùm unum sequatur, et postea dicantur omnia* "*alia* ℟*ia sec. ordinem, si opus fuerit. De nullâ autem historiâ* "*cantatur in feriâ primum* ℟. *nisi de hist.* Ecce nunc tempus[f] *in* XL "*prout ibi invenietur, et nisi quando historia ferialiter*[g] *incipi-*

[d] Sic etiam in Br. Ebor.: in quo tamen (ut ex annot. nostrâ apparet) lectiones vel Sarisburiensibus Communibus breviores sunt, et quemadmodum in Br. Sarisb. Communi, multa prætermittuntur.

[e] I. e. *Responsoria aliqua.* [f] "Ecce n. t." Responsorii post lect. 1 Dom. 1 XL initium est: v. p. viii, ix. [g] I. e. *in feriâ*: v. ad P. 20 b.

Digitized by Google

tur. Si autem aliquod festum evenerit per Adv. diebus ferialibus, " *nihilominus servetur ordo Responsoriorum Dominicalis historiæ,* " *ita quòd nullum omittatur: et hoc sit generale per totum annum,* " *nisi in feriis post Oct. Epiph. usque ad* LXX, *ubi habentur Re-* " *sponsoria ferialia propria cuilibet feriæ.*"

p. 30 b, l. ult. De Off. Heref. v. ad P. 23 b.

p. 38 a, l. 23, 24. In Off. Heref. in Compl. quoque post "*primum* O" omittendæ sunt " Preces".

(p. 17 b) p. lvii, l. 5, post "judicandum—" adde "facies pauperum confunditis." cum notâ:

nn Sic enim pro *f. p. commolitis*, quæ librorum nostrorum et Bibl. Vulg. lectio est, Br. Ebor.; quocum concordat antiquum Brev. Sarisb. MStum de quo p. lxi. in notâ.

IN TABULA BENEDICTIONUM.

p. lx, l. 6 a fine, pro " purget nos" legendum cum MSto antiquo de quo p. lxi in notâ, quocum concordant Br. Ebor. et Heref., "nos purget".

p. lxi, l. 13, pro " tertio," scr. " tertio Nocturno."

l. 15, post " quidem," adde " et per octavas,".

Ad finem paginæ adde:

In Br. Ebor. autem, 1. In bened. 7 e, pro "hîc" dicitur "nunc". 2. In Off. 9 lect. benedictio nona semper est, " Rex angelorum perducat nos ad regna cœlorum." 3. In Off. 3 lect. in "(B)" includitur etiam "(C)."

De benedictionibus Herefordensibus posthac.

ADD. ET CORR. ULTIMA.

P. 1 a &c. Pro *perennis* Br. Ebor. Gough 6 *perhennis*, passim.

(P. 1 b) p. x, l. 10, pro "simplicibus" scr. "non duplicibus".

l. 13. incipiendæ] Adde notam:

oo Quæ quidem inceptio, si cantando fit, Franco-Gallis est "*élever* l' antienne".

(P. 13 b) p. lxvii, l. 4 a fine, ante " aliaque" insere, "formâ minori, nobis a Bollandistis benignissimè commodatum (cf. p. lxxxiii),".

P. 16 a) p. lxviii, l. 3 a fine) *altaris*] Adde notulam:

** Ita omnes a nobis inspectæ editiones, omnes scil. in Bibl. Bodleianâ inventæ. Sunt autem hæ: 1. *Rothomagi*, 1500. 2. *Ibid.* 1510. 3. *Ibid.* 1522. 4. *Antwerpiæ*, 1523. 5. *Parisiis*, 1530. 6. *Ibid.* 1537. 7. *Ant.* 1542-3. 8. *Roth.* 1543. 9. *Londini*, 1554.

Digitized by Google

10. *Roth.* 1554. 11. *Lond.* 1555. 12. *Roth.* 1555. De varietate autem materiali inter Manuale et Processionale cf. notam *t.* p. xv *cum Add. et Corr.*

(P. 20 b) p. lxxi, l. 8, pro "*A* Veni" scr. "*A.* Veni".

(P. 21 b) p. lxxii, parag. 3, pro "infra" corr. "notam *i*"; et ad finem notæ *i*, pro "sunt." scr. "sunt: i. e. (ut videtur), *cum regimine chori.*"

(P. 22 a) p. lxxiii, l. 3, pro "infra" scr. "notam *i.* p. lxxii".

(P. 23 a b.) Ibid. l. 7 a fine, pro "P. 23 b.—deest." scribe:

P. 23 a b. In Br. Rom. Versiculi *Deus, tu &c.*, *Ostende &c.*, et *D'ne Deus, &c.* tam in Primâ quàm in Compl. omittuntur.

(P. 23 b) Ibid. l. 6 a fine, pro "*per*" scr. "P. 23 b. *per*".

l. penult., pro "non dicuntur" scr. "tam in Primâ quàm in Compl. omittuntur".

(P. 107 a) p. xxx. l. 7 a fine, pro "loco parallelo Pr. 4 a, tam" scr. "Gough 59 (de Gough 6 v. ad p. 101 b. *in Add. et Corr.*), et loco parallelo Pr. 4 a. tam".

P. 107 b, l. 3. peccavi] Gough 67, 8 in Psalt. et Douce Ref. in Pr. de T. Adv. cum Brev. Ebor. et Rom. "quia peccavi".

p. xxxi, l. 25, 26, pro "Herefordense—Eboracensi" scr. "Rom.: de Ebor. et Heref."

l. antepen., post "*conversus*," adde "Confiteor."

Ante l. ult. insere: *conversus*] Gough 67 *converso.* In Douce Ref. ibid. "*deinde—habuit.*" omissum.

(P. 108 a) p. xxxii, l. 17, pro "Iidem ibid." scr. "Douce Ref. in Pr. de T. Adv. et in Psalt. et Gough 67, 8 in Psalt."

p. xxxiii, pro parag. 2. scribe:

Post *Mat. de die* inserendum e Gough 67, 8 in Psalt. "*et de S. Mariâ*". In Pr. de T. Adv. idem et Douce Ref. "*et Mat. de S. Mariâ*".

Pro parag. 3 scribe:

Ps. Ad te] Gough 67, 8 in Pr. de T. Adv. "*Ps. scil.* Ad te".

(P. 118 a) p. xxxviii, ad finem parag. penult. adde: "In Douce Ref. autem pro parag. "*Non*—Dirige." legitur tantùm, "Requiescant in pace. Amen."

(Pr. 7 b) p. liv, l. 15 et 19, ante "*Legendæ*" insere "Douce Ref. et"; et l. 18 post "*usum*" adde "[Douce Ref. om. *usum*]".

Digitized by Google

PROLEGOMENORUM

EDITIONIS ALTERÆ CONCLUSIO.

Post divulgatam sub finem anni superioris editionem priorem, non modò quædam emendavimus, quædam plenius exposuimus, expositionesque plurimas de novo, partim inter priores locis suis, partim ad finem addidimus, verùm etiam pleraque cum Breviariis Eboracensi, Herefordensi, et Romano contulimus;—quod utrumque, ut nobis satis laboriosum fuit, ita lectori et utilissimum et jucundissimum fore speramus. Plura, ne continuato labore nostro, moræ jam diu impatienti Clero liber optatissimus ampliùs denegetur, ad fasciculos sequentes relegare coacti sumus.—Quò verò faustiùs ac feliciùs fasciculum hunc in lucem iterum emittamus, ipsius Breviarii Sarisburiensis verbis (sub titulo "*De Horis Canonicis attende diligenter*": v. p. vii) hanc qualemcunque Annotationem nostram claudere, et libri pulcherrimi textum ipsum lectoribus commendare liceat.

" Is profecto qui Horas Canonicas dicit devotè, copiosiùs a Deo
" præmiabitur, in tribulationibus suis consolabitur, a periculis pre-
" servabitur, gratiam Dei ampliorem obtinebit et gloriam, con-
" scientiam suam alleviat, tributum Deo solvit et debitum. Ser-
" vitus quippe Clericorum est quotidie septem Horarum servitia
" persolvere. Illi nimirum Angeli Dei erunt familiares amici et
" custodes; et quæque illius opera erunt ex tunc a Deo acceptiora,
" plus sibi meritoria, et vivis defunctisque utiliora. Has denique
" orationes Deus citiùs et libentiùs exaudit quàm alias privatas."

Sabbato Sancto in Vigiliâ Paschæ:
Anno Salutis MDCCCXLIII.

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ!

Digitized by Google

Psalterium Davidicum

ad usum

Ecclesiae Sarisburiensis.

IN DOMINICIS DIEBUS

à Domine ne in ira *usque ad* XL

AD MATUTINAS

Hymnus.

Primo dierum omnium,
Quo mundus extat conditus,
Vel quo resurgens Conditor
Nos morte victâ liberat,
Pulsis procul torporibus,
Surgamus omnes ocius,
Et nocte quæramus, pium
Sicut prophetam novimus,
Nostras preces ut audiat,
Suamque dextram porrigat;
Ut expiatos sordibus
Reddat polorum sedibus.
Ut quique sacratissimo
Hujus diei tempore
Horis quietis psallimus,
Donis beatis muneret.
Jam nunc, Paterna claritas,
Te postulamus affatim:
Absit libido sordidans,
Omnisque actus noxius:
Ne fœda sit vel lubrica
Compago nostri corporis,
Per quam Averni ignibus
Ipsi crememur acrius.
Ob hoc, Redemptor, quæsumus,
Ut probra nostra diluas;
Vitæ perennis commoda
Nobis benigne conferas.
Quo carnis actu exules,
Effecti ipsi cœlibes,
Ut præstolamur cernui,
Melos canamus gloriæ.
Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine,
[Cum Patre et Sancto Spiritu,
Per sempiterna sæcula. Amen.]

Et dicitur in omni Hymno ejusdem metri usque ad Purificationem, præterquam in Hymno Deus Creator. *Post Purif. verò dicitur versus*

Præsta, Pater [piissime,
Patrique Compar unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Am.]

A Deus omnium *usque ad Adventum, tam in Dominicis quam in ferialibus diebus, quando de Dominicâ vel feriâ agitur, dicitur ad Matutinas sequens Hymnus:*

Nocte surgentes vigilemus omnes,
Semper in psalmis meditemur, atque
Viribus totis Domino canamus
Dulciter hymnos.
Ut pio regi pariter canentes,
Cum suis sanctis mereamur aulam
Ingredi cœli, simul et beatam
Ducere vitam.
Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris ac Nati pariterque Sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

[*In primo Nocturno.*]

Psalmus primus.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit: et in cathedra pestilentiæ non sedit:

Sed in lege Domini voluntas ejus: et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aqua-

Digitized by Google

rum : quod fructum suum dabit in tempore suo :

Et folium ejus non defluet : et omnia quæcunque faciet prosperabuntur.

Non sic impii, non sic : sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio : neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dñs viam justorum : et iter impiorum peribit.

Psalmus ij.

Quare fremuerunt Gentes : et populi meditati sunt inania ?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum : adversus Dñm, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum : et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos : et Dñs subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua : et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus : prædicans præceptum ejus.

Dñus dixit ad me, Filius meus es tu : ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam : et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea : et tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite : erudimini qui judicatis terram.

Servite Dño in timore : et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dñs : et pereatis de via justa.

Cùm exarserit in brevi ira ejus : beati omnes qui confidunt in eo.

Psalmus iij.

Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me ? multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dñe susceptor meus es : gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dñm clamavi : et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum : et exurrexi, quia Dñs suscepit me.

Non timebo millia populi circundantis me : exurge Dñe, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa : dentes peccatorum contrivisti.

Dñi est salus : et super populum tuum benedictio tua.

Non dicitur ad Nocturnos iste Psalmus iiij.

Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ : in tribulatione dilatâsti mihi.

Miserere mei : et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?

Et scitote quoniam mirificavit Dñs sanctum suum : Dñs exaudiet me cùm clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare : quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Dño : multi dicunt, Quis ostendit nobis bona ?

Signatum est super nos lumen vultus tui Dñe : dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui : multiplicati sunt.

In pace in idipsum : dormiam et requiescam.

Quoniam tu Dñe singulariter in spe : constituisti me.

Non dicitur ad Nocturnos iste Psalmus v.

Verba mea auribus percipe Dñe : intellige clamorem meum.

Digitized by Google

Intende voci orationis meæ : Rex meus et Deus meus.

Quoniam ad te orabo Dñe : mane exaudies vocem meam.

Mane astabo tibi et videbo : quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus : neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitatem : perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dñs : ego autem in multitudine misericordiæ tuæ,

Introibo in domum tuam : adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Dñe deduc me in justitia tua propter inimicos meos : dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas : cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum ; linguis suis dolose agebant : judica illos Deus.

Decidant a cogitationibus suis ; secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos : quoniam irritaverunt te Dñe.

Et lætentur omnes qui sperant in te : in æternum exultabunt, et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum : quoniam tu benedices justo.

Dñe, ut scuto bonæ voluntatis tuæ : coronasti nos.

Psalmus vj.

Domine, ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Dñe, quoniam infirmus sum : sana me Dñe quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde : sed tu Dñe usquequo ?

Convertere Dñe, et eripe animam meam : salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi ?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dñs vocem fletus mei.

Exaudivit Dñs deprecationem meam : Dñs orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto.

Sicut erat [in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen].

In omnibus Dominicis diebus per Adv. usque ad Nativ. Dñi, In primo Nocturno Antiphona. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.

In omnibus Dom. ab Octavâ Epiphaniæ usque ad Passionem Dñi, quando de Dominicâ agitur, In j Noct. A. Servite Dño in timore, [et exultate ei cum tremore.]

In omnibus Dom. à Dominicâ Trinitatis usque ad Adv. Dñi, quando de Dom. agitur, In j Noct. A. Pro fidei meritis vocitatur jure beatus : legem qui Dñi meditatur nocte dieque.

Psalmus vij.

Domine Deus meus, in te speravi : salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.

Nequando rapiat ut leo animam meam : dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

Dñe Deus meus, si feci istud : si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi

Digitized by Google

mala : decidam merito ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam : et gloriam meam in pulverem deducat.

Exurge Dñe in ira tua : et exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge Dñe Deus meus in præcepto quod mandasti : et synagoga populorum circundabit te.

Et propter hanc in altum regredere : Dñs judicat populos.

Judica me Dñe secundum justitiam meam : et secundum innocentiam meam super me.

Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum : scrutans corda et renes Deus.

Justum adjutorium meum a Dño : qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, et patiens : nunquid irascitur per singulos dies?

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit : arcum suum tetendit, et paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis : sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturit injustitiam; concepit dolorem : et peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, et effodit eum : et incidit in foveam quam fecit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus : et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Dño secundum justitiam ejus : et psallam nomini Dñi Altissimi.

Psalmus viij.

Domine Dñs noster : quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua : super cœlos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos : ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum : lunam et stellas quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulominùs ab angelis, gloria et honore coronâsti eum : et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus; oves et boves universas : insuper et pecora campi.

Volucres cœli, et pisces maris : qui perambulant semitas maris.

Dñe Dñs noster : quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Psalmus ix.

Confitebor tibi Dñe in toto corde meo : narrabo omnia mirabilia tua.

Lætabor et exultabo in te : psallam nomini tuo Altissime.

In convertendo inimicum meum retrorsum : infirmabuntur, et peribunt a facie tua.

Quoniam fecisti judicium meum et causam meam : sedes super thronum qui judicas justitiam.

Increpâsti Gentes, et periit impius : nomen eorum delêsti in æternum et in sæculum sæculi.

Inimici defecerunt frameæ in finem : et civitates eorum destruxisti.

Periit memoria eorum cum sonitu : et Dñs in æternum permanet.

Paravit in judicio thronum suum : et ipse judicabit orbem terræ in æquitate; judicabit populos in justitia.

Et factus est Dñs refugium pauperi : adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Et sperent in te qui noverunt nomen tuum : quoniam non dereliquisti quærentes te Dñe.

Psallite Dño, qui habitat in Sion : annuntiate inter Gentes studia ejus.

Quoniam requirens sanguinem, eorum recordatus est : non est oblitus clamorem pauperum.

Digitized by Google

Miserere mei Dñe : vide humilitatem meam de inimicis meis,

Qui exaltas me de portis mortis : ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Exultabo in salutari tuo : infixæ sunt Gentes in interitu quem fecerunt.

In laqueo isto quem absconderunt : comprehensus est pes eorum.

Cognoscetur Dñs judicia faciens : in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

Convertantur peccatores in infernum : omnes Gentes quæ obliviscuntur Deum.

Quoniam non in finem oblivio erit pauperis : patientia pauperum non peribit in finem.

Exurge Dñe; non confortetur homo : judicentur Gentes in conspectu tuo.

Constitue Dñe legislatorem super eos : ut sciant Gentes quoniam homines sunt.

Ut quid Dñe recessisti longe : despicis in opportunitatibus, in tribulatione?

Dum superbit impius, incenditur pauper : comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.

Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ : et iniquus benedicitur.

Exacerbavit Dñm peccator : secundum multitudinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspectu ejus : inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

Auferuntur judicia tua a facie ejus : omnium inimicorum suorum dominabitur.

Dixit enim in corde suo : Non movebor a generatione in generationem sine malo.

Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo : sub lingua ejus labor et dolor.

Sedet in insidiis cum divitibus in occultis : ut interficiat innocentem.

Oculi ejus in pauperem respiciunt : insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.

Insidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum.

In laqueo suo humiliabit eum : inclinabit se, et cadet cùm dominatus fuerit pauperum.

Dixit enim in corde suo; Oblitus est Deus : avertit faciem suam ne videat in finem.

Exurge Dñe Deus, et exaltetur manus tua : ne obliviscaris pauperum.

Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo, non requiret.

Vides; quoniam tu laborem et dolorem consideras : ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adjutor.

Contere brachium peccatoris et maligni : quæretur peccatum illius, et non invenietur.

Dñs regnabit in æternum et in sæculum sæculi : peribitis Gentes de terra illius.

Desiderium pauperum exaudivit Dñs : præparationem cordis eorum audivit auris tua.

Judicare pupillo et humili : ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

Psalmus x.

In Dño confido : quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum; paraverunt sagittas suas in pharetra : ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti destruxerunt : justus autem quid fecit?

Dñs in templo sancto suo : Dñs in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt : palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dñs interrogat justum et impium :

Digitized by Google

qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dñs, et justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus.

Gloria Patri.

Per Adv. A. Erit ipse expectatio Gentium, lavabitque vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum.

Ab Oct. Epiph. usque ad Passionem Dñi A. Dñe Deus meus, in te speravi.

Per Æstatem A. Juste Deus Judex, fortis patiensque, benignus : in te sperantes muni miserando fideles.

Psalmus xj.

Salvum me fac Dñe, quoniam defecit sanctus : quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.

Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum : labia dolosa, in corde et corde locuti sunt.

Disperdat Dñs universa labia dolosa : et linguam magniloquam.

Qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus : labia nostra a nobis sunt ; quis noster Dñs est ?

Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum : nunc exurgam, dicit Dñs.

Ponam in salutari : fiducialiter agam in eo.

Eloquia Dñi, eloquia casta ; argentum igne examinatum : probatum terræ, purgatum septuplum.

Tu Dñe servabis nos, et custodies nos : a generatione hac in æternum.

In circuitu impii ambulant : secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

Psalmus xij.

Usquequo Dñe oblivisceris me in finem ? usquequo avertis faciem tuam a me ?

Quandiu ponam consilia in anima mea ? dolorem in corde meo per diem ?

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me ? respice, et exaudi me Dñe Deus meus.

Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte : nequando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum.

Qui tribulant me exultabunt si motus fuero : ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo ; cantabo Dño qui bona tribuit mihi : et psallam nomini Dñi Altissimi.

Psalmus xiij.

Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.

Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Dñs de cœlo prospexit super filios hominum : ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinaverunt ; simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulchrum patens est guttur eorum ; linguis suis dolose agebant : venenum aspidum sub labiis eorum.

Quorum os maledictione et amaritudine plenum est : veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt : non est timor Dei ante oculos eorum.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem : qui devorant plebem meam sicut escam panis ?

Deum non invocaverunt : illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Quoniam Dñs in generatione justa est : consilium inopis confudistis, quoniam Dñs spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutare Israël ? cùm averterit Dñs captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israël.

Digitized by Google

Psalmus xviij.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula : et operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum : et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : timentes autem Dominum glorificat :

Qui jurat proximo suo, et non decipit : qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc : non movebitur in æternum.

Gloria Patri.

Per Adv. A. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. ℣. Ex Sion species decoris ejus. ℟. Deus noster manifeste veniet.

Per Octavas Epiphaniæ usque ad Pass. Dñi A. Respice et exaudi me, Dñe Deus meus. ℣. Memor fui nocte nominis tui Dñe. ℟. Et custodivi legem tuam.

Per Æstatem A. Surge et in æternum serva munimine sacro, custodique tuos astripotens famulos. ℣. Memor fui nocte nominis tui Dñe. ℟. Et custodivi legem tuam.]

[*In secundo Nocturno.*]

Psalmus xv.

Conserva me Dñe, quoniam speravi in te : dixi Dño, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus : mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus : nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dñm, qui tribuit mihi intellectum : insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dñm in conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi ne commovear.

Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea : insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ : adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua usque in finem.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, [et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.]

Dominicis diebus per Adv. usque ad Nativ. Dñi, In secundo Noct. A. Bethleem, non es minima in principibus Juda : ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israël; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Diebus Dom. ab Oct. Epiph. usque ad Pass. Dñi, In ij Noct. A. Bonorum meorum non indiges : in te speravi; conserva me Dñe.

Dom. diebus ab Oct. Trin. usque ad Adv. Dñi, In ij Noct. A. Naturæ genitor, conserva morte redemptos; facque tuo dignos servitio famulos.

Psalmus xvj.

Exaudi Dñe justitiam meam : intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam: non in labiis dolosis.

De vultu tuo judicium meum prodeat : oculi tui videant æquitates.

Probasti cor meum, et visitasti

Digitized by Google

nocte: igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas: qui salvos facis sperantes in te.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me: ut pupillam oculi,

Sub umbra alarum tuarum protege me: a facie impiorum qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circundederunt, adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam.

Projicientes me nunc circundederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: et sicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge Dñe, præveni eum, et supplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Dñe a paucis de terra divide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filiis: et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

Ego autem in justitia apparebo in conspectu tuo: satiabor cùm apparuerit gloria tua.

Gloria Patri.

Per Adv. A. Ecce virgo concipiet, et pariet filium: et vocabitur nomen ejus Emmanuel.

Post Oct. Epiph. usque ad Pass. Dñi A. Inclina Dñe aurem tuam mihi: et exaudi verba mea.

Per Æstatem A. Pectora nostra tibi tu conditor orbis adure, igne pio purgans atque cremando probans.

Psalmus xviij.

Diligam te Dñe fortitudo mea: Dñs firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.

Deus meus adjutor meus: et sperabo in eum.

Protector meus, et cornu salutis meæ: et susceptor meus.

Laudans invocabo Dñm: et ab inimicis meis salvus ero.

Circundederunt me dolores mortis: et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

Dolores inferni circundederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis.

In tribulatione mea invocavi Dñm: et ad Deum meum clamavi:

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.

Commota est et contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.

Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit: carbones succensi sunt ab eo.

Inclinavit cœlos, et descendit: et caligo sub pedibus ejus.

Et ascendit super Cherubin, et volavit: volavit super pennas ventorum.

Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus: tabernaculum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aëris.

Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt: grando et carbones ignis.

Et intonuit de cœlo Dñs, et Altissimus dedit vocem suam: grando et carbones ignis.

Et misit sagittas suas, et dissipavit eos: fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.

Et apparuerunt fontes aquarum: et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.

Ab increpatione tua Dñe: ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

Digitized by Google

Misit de summo, et accepit me : et assumpsit me de aquis multis.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me : quoniam confortati sunt super me.

Prævenerunt me in die afflictionis meæ : et factus est Dñs protector meus.

Et eduxit me in latitudinem : salvum me fecit, quoniam voluit me.

Et retribuet mihi Dñs secundum justitiam meam : et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Quia custodivi vias Dñi : nec impie gessi a Deo meo.

Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo : et justitias ejus non repuli a me.

Et ero immaculatus cum eo : et observabo me ab iniquitate mea.

Et retribuet mihi Dñs secundum justitiam meam : et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

Cum sancto sanctus eris : et cum viro innocente innocens eris :

Et cum electo electus eris : et cum perverso perverteris.

Quoniam tu populum humilem salvum facies : et oculos superborum humiliabis.

Quoniam tu illuminas lucernam meam Dñe : Deus meus illumina tenebras meas.

Quoniam in te eripiar a tentatione : et in Deo meo transgrediar murum.

Deus meus impolluta via ejus : eloquia Dñi igne examinata ; protector est omnium sperantium in se.

Quoniam quis Deus præter Dominum : aut quis Deus præter Deum nostrum ?

Deus qui præcinxit me virtute : et posuit immaculatam viam meam.

Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum : et super excelsa statuens me.

Qui docet manus meas ad prælium : et posuisti ut arcum æreum brachia mea.

Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ : et dextera tua suscepit me :

Et disciplina tua correxit me in finem : et disciplina tua, ipsa me docebit.

Dilatâsti gressus meos subtus me. et non sunt infirmata vestigia mea.

Persequar inimicos meos, et comprehendam illos : et non convertar donec deficiant.

Confringam illos, nec poterunt stare : cadent subtus pedes meos.

Et præcinxisti me virtute ad bellum : et supplântasti insurgentes in me subtus me.

Et inimicos meos dedisti mihi dorsum : et odientes me disperdidisti.

Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret : ad Dñm, nec exaudivit eos.

Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti : ut lutum plateârum delebo eos.

Eripies me de contradictionibus populi : constitues me in caput Gentium.

Populus quem non cognovi servivit mihi : in auditu auris obedivit mihi.

Filii alieni mentiti sunt mihi : filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.

Vivit Dñs, et benedictus Deus meus : et exaltetur Deus salutis meæ.

Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me : liberator meus de inimicis meis iracundis.

Et ab insurgentibus in me exaltabis me : a viro iniquo eripies me.

Propterea confitebor tibi in nationibus Dñe : et nomini tuo psalmum dicam.

Magnificans salutes Regis ejus, et faciens misericordiam Christo suo David : et semini ejus usque in sæculum.

Gloria Patri.

Per Adv. A. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis;

Digitized by Google

et adorabunt eum omnes reges: omnes gentes servient ei.

℣. Egredietur virga de radice Jesse. ℟. Et flos de radice ejus ascendet.

Post Oct. Epiph. usque ad Pass. Dñi A. Dominus firmamentum meum, et refugium meum.

℣. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. ℟. Super judicia justificationis tuæ.

Per Æst. A. Tu populum humilem salvasti a morte, Redemptor, atque superba tuo colla premis jaculo. ℣. Media nocte [*ut supra*].

[*In tertio Nocturno.*]

Psalmus xviiij.

Cœli enarrant gloriam Dei: et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum: et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones: quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam: a summo cœlo egressio ejus:

Et occursus ejus usque ad summum ejus: nec est qui se abscondat a calore ejus.

Lex Dñi immaculata, convertens animas: testimonium Dñi fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Dñi rectæ, lætificantes corda: præceptum Dñi lucidum, illuminans oculos.

Timor Dñi sanctus; permanet in sæculum sæculi: judicia Dñi vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum: et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: et emundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus: et redemptor meus.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Dominicis diebus per Adv. usque ad Nat. Dñi, In iij Noct. A. Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.

Dom. diebus ab Oct. Epiph. usque ad Pass. Dñi, quando de Dom. agitur, In iij Noct. A. Præceptum Dñi lucidum, illuminans oculos.

Dom. diebus per Æst. quando de Dom. agitur, usque ad Adv. In iij Noct. A. Sponsus ut e thalamo processit Christus in orbem, descendens cœlo jure salutifero.

Psalmus xix.

Exaudiat te Dñs in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto: et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: et omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo: et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dñs omnes petitiones tuas: nunc cognovi quoniam salvum fecit Dñs Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ ejus.

Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Dñi Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt

Digitized by Google

nos autem surreximus et erecti sumus.

Dñe salvum fac regem : et exaudi nos in die qua invocaverimus te.

Gloria Patri.

Per Adv. A. Hora est jam nos de somno surgere; et aperti sunt oculi nostri surgere ad Christum ; quia lux vera est fulgens in cœlis.

Ab Oct. Epiph. usque ad Pass. Dñi A. Impleat Dñs omnes petitiones tuas.

Per Æst. A. Auxilium nobis Salvator mitte salutis, et tribuas vitam tempore perpetuo.

Psalmus xx.

Domine in virtute tua lætabitur rex : et super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei : et voluntate labiorum ejus non fraudàsti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit a te, et tribuisti ei : longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo : gloriam et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi : lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Dño : et in misericordia Altissimi non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : dextera tua inveniat omnes qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : Dñs in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes : et semen eorum a filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala : cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum : in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

Exaltare Dñe in virtute tua : cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Gloria Patri.

Per Adv. A. Gaudete in Dño semper; modestia vestra nota sit omnibus hominibus : Dñs prope est, nihil solliciti sitis, sed in omni oratione petitiones vestræ innotescant apud Deum. ℣. Egredietur Dñs de loco sancto suo. ℟. Veniet ut salvet populum suum. *Non dicatur ulterius.*

Ab Oct. Epiph. usque ad Pass. Dñi A. Dñe in virtute tua lætabitur rex. ℣. Exaltare Dñe in virtute tua. ℟. Cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Per Æst. A. Rex sine fine manens, miseris tu parce ruinis : præmia concedens, et tua cuncta regens. ℣. Exaltare *ut supra.*

Canticum Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus : te Dñm confitemur.

Te æternum Patrem : omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli : tibi cœli et universæ potestates,

Tibi Cherubin et Seraphin : incessabili voce proclamant :

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus : Dñs Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli et terra : majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus : laudat exercitus.

Te per orbem terrarum : sancta confitetur Ecclesia.

Patrem immensæ majestatis.

Venerandum tuum, verum, et unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu rex gloriæ, Christe.

Tu Patris sempiternus es Filus.

Tu ad liberandum suscepturus

Digitized by Google

hominem : non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo : aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes : in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus, famulis tuis subveni : quos pretioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum sanctis tuis : in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Dñe : et benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Per singulos dies, benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum : et in sæculum sæculi.

Dignare Dñe die isto : sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Dñe : miserere nostri.

Fiat misericordia tua Dñe super nos : quemadmodum speravimus in te.

In te Dñe speravi : non confundar in æternum.

[Ante Laudes] ℣. Excelsus super omnes gentes Dñs. ℟. Et super cœlos gloria ejus.

Deus in adjutorium [meum intende. ℟. Dñe ad adjuvandum me festina. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen; Alleluia, *vel* Laus tibi Dñe, Rex æternæ gloriæ, *pro temporis diversitate*].

In Laudibus Añæ : Regnavit Dñs præcinctus fortitudine cum decore virtutum : cujus sedes est in æternum. *Psalmus :* Dominus regnavit. *A.* Sciamus omnes quia Dñs ipse est Deus : cui jubilemus, et exaltemus et laudemus nomen ejus in æternum. *Ps.* Jubilate Deo omnis terra. *A.* Benedicam te Dñe in vita mea, ut videam virtutem tuam et gloriam tuam. *Ps.* Deus Deus meus. *A.* Omnis creatura cœli et terræ benedicat Dñm : hymnum dicat, et superexaltet eum in sæcula. *Ps.* Benedicite. *A.* Spiritus omnis laudet Dñm : quia ipse dixit et facta sunt omnia, mandavit et creata sunt universa. *Ps.* Laudate Dñm de cœlis.

Istæ prædictæ Añæ semper in Laud. dicantur Dom. diebus quando inchoatur aliqua nova historia cum pleno servitio, et quando ultimò fit servitium de Dom. ante LXX, *vel ante Adv. Mediis verò Dom. dicitur hæc sola A.* Regnavit.

Psalmus xcij.

Dominus regnavit; decorem indutus est : indutus est Dñs fortitudinem, et præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ : qui non commovebitur.

Parata sedes tua ex tunc : a sæculo tu es.

Elevaverunt flumina Dñe : elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos : a vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris : mirabilis in altis Dñs.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis : domum tuam decet sanctitudo Dñe in longitudinem dierum.

Gloria Patri. *Psalmus xcix.*

Jubilate Deo omnis terra : servite Dño in lætitia.

Introite in conspectu ejus : in exultatione.

Scitote quoniam Dñs, ipse est Deus : ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Populus ejus et oves pascuæ ejus, introite portas ejus in confessione : atria ejus in hymnis; confitemini illi.

Laudate nomen ejus; quoniam suavis est Dñs; in æternum misericordia ejus : et usque in generationem et generationem veritas ejus.

Gloria Patri. *Psalmus lxij.*

Deus Deus meus : ad te de luce vigilo.

Digitized by Google

Sitivit in te anima mea : quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, invia, et inaquosa : sic in sancto apparui tibi : ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas : labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea : et in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea : et labiis exultationis laudabit os meum.

Sic memor fui tui super stratum meum; in matutinis meditabor in te : quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo; adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam; introibunt in inferiora terræ : tradentur in manus gladii; partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo; laudabuntur omnes qui jurant in eo : quia obstructum est os loquentium iniqua. *Psalmus lxvj.*

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam : in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus : confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent Gentes, quoniam judicas populos in æquitate : et Gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster; benedicat nos Deus : et metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri.

Canticum trium puerorum. Dan. iij.

Benedicite omnia opera Dñi Dño : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Dñi Dño : benedicite cœli Dño.

Benedicite aquæ omnes quæ super cœlos sunt Dño : benedicite omnes virtutes Dñi Dño.

Benedicite sol et luna Dño : benedicite stellæ cœli Dño.

Benedicite imber et ros Dño : benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et æstus Dño : benedicite frigus et æstas Dño.

Benedicite rores et pruina Dño : benedicite gelu et frigus Dño.

Benedicite glacies et nives Dño : benedicite noctes et dies Dño.

Benedicite lux et tenebræ Dño : benedicite fulgura et nubes Dño.

Benedicat terra Dñm : laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes et colles Dño : benedicite universa germinantia in terra Dño.

Benedicite fontes Dño : benedicite maria et flumina Dño.

Benedicite cete et omnia quæ moventur in aquis Dño : benedicite omnes volucres cœli Dño.

Benedicite omnes bestiæ et pecora Dño : benedicite filii hominum Dño.

Benedicat Israël Dñm : laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite Sacerdotes Dñi Dño : benedicite servi Dñi Dño.

Benedicite spiritus et animæ justorum Dño : benedicite sancti et humiles corde Dño.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Dño : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu : laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Dñe in firmamento cœli : et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

Psalmus cxlviij.

Laudate Dñm de cœlis : laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes angeli ejus :

Digitized by Google

laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum sol et luna : laudate eum omnes stellæ et lumen.

Laudate eum cœli cœlorum : et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dñi.

Quia ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi : præceptum posuit, et non præteribit.

Laudate Dñm de terra : dracones, et omnes abyssi ;

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum : quæ faciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles : ligna fructifera, et omnes cedri :

Bestiæ, et universa pecora : serpentes, et volucres pennatæ :

Reges terræ, et omnes populi : principes, et omnes judices terræ :

Juvenes et virgines, senes cum junioribus, laudent nomen Dñi : quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum et terram : et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus : filiis Israël, populo appropinquanti sibi. *Psalmus cxlix.*

Cantate Dño canticum novum : laus ejus in Ecclesia sanctorum.

Lætetur Israël in eo qui fecit eum : et filie Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : in tympano et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Dño in populo suo : et exaltavit mansuetos in salutem.

Exultabunt sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis.

Exultationes Dei in gutture eorum : et gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus : increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus : et nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus. *Psalmus cl.*

Laudate Dñm in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro : laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus ; laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri.

Capitulum : Apoc. vij.

Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.

Deo gratias.

Hoc Cap. dicitur in omnibus Dom. ad Laudes à Dñe ne in ira *usque ad* LXX, *et à* Deus omnium *usque ad Adv. quandocunque agitur de Dom.*

In omnibus Dom. à Dñe ne in ira, *quando de Dom. agitur, usque ad* LXX *dicitur ad Laudes hic sequens*

Hymnus.

Æterne rerum Conditor,
Noctem diemque qui regis,
Et temporum das tempora,
Ut alleves fastidium.

Præco diei jam sonat,
Noctis profundæ pervigil,
Nocturna lux viantibus,
A nocte noctem segregans.

Hoc excitatus lucifer
Solvit polum caligine,
Hoc omnis errorum chorus
Viam nocendi deserit.

Hoc nauta vires colligit,
Pontique mitescunt freta :
Hoc ipsa petra Ecclesiæ
Canente culpam diluit.

Digitized by Google

Surgamus ergo strenue:
Gallus jacentes excitat,
Et somnolentos increpat;
Gallus negantes arguit.
Gallo canente spes redit,
Ægris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur.
Jesu labentes respice,
Et nos videndo corrige:
Si respicis, lapsus cadunt,
Fletuque culpa solvitur.
Tu lux refulge sensibus,
Mentisque somnum discute:
Te nostra vox primum sonet,
Et vota solvamus tibi.

Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine,
[Cum Patre et Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.] *usque ad Purif.: post Purif. verò dicitur*
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

℣. Dominus regnavit. ℟. Decorem induit, Alleluia.

Iste versus cum præcedente Cap. dicatur in Laud. omnibus Dom. usque ad LXX, *et à* Deus omnium *usque ad Adv. Dñi, quando de Dom. agitur. à* LXX *usque ad* XL.

℣. Dñe refugium factus es nobis. ℟. A generatione et progenie.

Per Æstatem in Dom. et ferialibus diebus usque ad Adv. dicitur ad Laudes hic sequens Hymnus quando de Dom. vel de feriâ agitur.

Ecce jam noctis tenuatur umbra:
Lucis aurora rutilans coruscat:
Nisibus totis rogitemus omnes
Cunctipotentem.
Ut Deus noster miseratus, omnem
Pellat languorem, tribuat salutem,
Donet et nobis pietate patris
Regna polorum.
Præstet hoc nobis Deitas beata,
Patris ac Nati pariterque Sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

℣. Dominus regnavit. ℟. Decorem induit, Alleluia.

Canticum Zachariæ prophetæ. Lucæ j.

Benedictus Dñs Deus Israël: quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis: in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui a sæculo sunt, prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris: et de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum: daturum se nobis,

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati: serviamus illi.

In sanctitate et justitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Dñi parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: in qũibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria patri.

Psalmus cxx.

Ad te levavi oculos meos: qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum: in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dñm Deum nostrum donec misereatur nostri.

Digitized by Google

Miserere nostri Dñe, miserere nostri : quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra : opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

Gloria Patri. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Et ne nos. Sed libera.

Exurge Dñe, adjuva nos. Et libera nos propter nomen tuum

Domine Deus virtutum converte nos. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Dñe exaudi. Et clamor.

Dominus vobiscum. Et cum Spiritu tuo. *Oratio.*

Ecclesiæ tuæ quæsumus Dñe preces placatus admitte; ut destructis adversitatibus et erroribus universis, securà tibi serviat libertate; et pacem tuam nostris concede temporibus. Per Dñm.

AD PRIMAM.

Hymnus.

Jam lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet a nocentibus.

Linguam refrænans temperet,
Ne litis horror insonet :
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima;
Absistat et vecordia :
Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas.

Ut cùm dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

Psalmus xxj.

Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies : et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas : Laus Israël.

In te speraverunt patres nostri : speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me : locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Dño; eripiat eum : salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre; spes mea ab uberibus matris meæ : in te projectus sum ex utero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu : ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est : quoniam non est qui adjuvet.

Circundederunt me vituli multi : tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum : sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum : et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens : in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis : et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circundederunt me canes multi : concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me : diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Digitized by Google

Tu autem Dñe ne elongaveris auxilium tuum a me : ad defensionem meam conspice.

Erue a framea Deus animam meam : et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis : et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomem tuum fratribus m eis : in medioEcclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dñm, laudate eum : universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israël : quoniam non sprevit neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me : et cùm clamarem ad eum exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna : vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dñm qui requirunt eum : vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur et convertentur ad Dñm : universi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu ejus : universæ familiæ Gentium.

Quoniam Dñi est regnum : et ipse dominabitur Gentium.

Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ : in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet : et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Dño generatio ventura : et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Psalmus xxij.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me : animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ : propter nomen suum.

Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis : non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus : ipsa me consolata sunt.

Parâsti in conspectu meo mensam : adversus eos qui tribulant me.

Impinguâsti in oleo caput meum : et calix meus inebrians quam præclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me : omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Dñi : in longitudinem dierum.

Goria Patri.

Psalmus xxiij.

Domini est terra, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum : et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Dñi? aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde; qui non accepit in vano animam suam : nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Dño : et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum : quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales : et introibit rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? Dñs fortis et potens, Dñs potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales : et introibit rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? Dñs virtutum, ipse est rex gloriæ.

Psalmus xxiiij.

Ad te Dñe levavi animam meam Deus meus in te confido; non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei : etenim universi qui sustinent te non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes : supervacue.

Digitized by Google

Vias tuas Dñe demonstra mihi : et semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, et doce me : quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Dñe : et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

Delicta juventutis meæ : et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu : propter bonitatem tuam Dñe.

Dulcis et rectus Dñs : propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in judicio : docebit mites vias suas.

Universæ viæ Dñi misericordia et veritas : requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus.

Propter nomen tuum Dñe propitiaberis peccato meo : multum est enim.

Quis est homo qui timet Dñm ? legem statuit ei in via quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur : et semen ejus hæreditabit terram.

Firmamentum est Dñs timentibus eum : et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dñm : quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, et miserere mei : quia unicus et pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, et laborem meum : et dimitte universa delicta mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt : et odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, et erue me : non erubescam, quoniam speravi in te.

Innocentes et recti adhæserunt mihi : quia sustinui te.

Libera Deus Israël : ex omnibus tribulationibus suis.

Gloria Patri.

Psalmus xxv.

Judica me Dñe, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum : et in Dño sperans non infirmabor.

Proba me Dñe, et tenta me : ure renes meos et cor meum.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est : et complacui in veritate tua.

Non sedi cum concilio vanitatis : et cum iniqua gerentibus non introibo.

Odivi ecclesiam malignantium : et cum impiis non sedebo.

Lavabo inter innocentes manus meas : et circundabo altare tuum Dñe.

Ut audiam vocem laudis tuæ : et enarrem universa mirabilia tua.

Dñe, dilexi decorem domus tuæ : et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis Deus animam meam : et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt : dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo : in ecclesiis benedicam te Dñe.

Psalmus liij.

Deus in nomine tuo salvum me fac : et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam : auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam : et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me : et Dñs susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis : et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi ; et

Digitized by Google

confitebor nomini tuo Dñe : quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me : et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri.

Psalmus cxvij.

Confitemini Dño quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israël quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc qui timent Dñm : quoniam in sæculum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dñm : et exaudivit me in latitudine Dñs.

Dñs mihi adjutor : non timebo quid faciat mihi homo.

Dñs mihi adjutor : et ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Dño : quam confidere in homine.

Bonum est sperare in Dño : quam sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me : et in nomine Dñi quia ultus sum in eos.

Circundantes circundederunt me : et in nomine Dñi quia ultus sum in eos.

Circundederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis : et in nomine Dñi quia ultus sum in eos.

Impulsus eversus sum ut caderem : et Dñs suscepit me.

Fortitudo mea et laus mea Dñs : et factus est mihi in salutem.

Vox exultationis et salutis : in tabernaculis justorum.

Dextera Dñi fecit virtutem, dextera Dñi exaltavit me : dextera Dñi fecit virtutem,

Non moriar, sed vivam : et narrabo opera Dñi.

Castigans castigavit me Dñs : et morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Dño : hæc porta Dñi; justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me : et factus es mihi in salutem.

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes : hic factus est in caput anguli.

A Dño factum est istud : et est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dñs : exultemus et lætemur in ea.

O Dñe salvum me fac, ô Dñe bene prosperare : benedictus qui venit in nomine Dñi!

Benedixímus vobis de domo Dñi : Deus Dñs, et illuxit nobis.

Constituite diem solennem in condensis : usque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, et confitebor tibi : Deus meus es tu, et exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me : et factus es mihi in salutem.

Confitemini Dño quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

A LXX *usque ad Pascha, die Dom. pro isto Psalmo* Confitemini *dicitur Ps.* Dñs regnavit, decorem.

Psalmus cxviij.

Beati immaculati in via : qui ambulant in lege Dñi.

Beati qui scrutantur testimonia ejus : in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem : in viis ejus ambulaverunt.

Tu mandasti : mandata tua custodiri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ : ad custodiendas justificationes tuas.

Tunc non confundar : cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis : in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

Justificationes tuas custodiam : non me derelinquas usquequaque.

In quo corrigit adolescentior viam suam : in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisivi te :

Digitized by Google

ne repellas me a mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua : ut non peccem tibi.

Benedictus es Dñe : doce me justificationes tuas.

In labiis meis pronuntiavi : omnia judicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum : sicut in omnibus divitiis.

In mandatis tuis exercebor : et considerabo vias tuas.

In justificationibus tuis meditabor : non obliviscar sermones tuos.

[Gloria Patri.]

Psalmus.

Retribue servo tuo; vivifica me : et custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos : et considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra : non abscondas a me mandata tua.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas : in omni tempore.

Increpâsti superbos : maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Aufer a me opprobrium et contemptum : quia testimonia tua exquisivi.

Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur : servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

Nam et testimonia tua meditatio mea est : et consilium meum justificationes tuæ.

Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum.

Vias meas enuntiavi, et exaudisti me : doce me justificationes tuas.

Viam justificationum tuarum instrue me : et exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amove a me : et de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi : judicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimoniis tuis Dñe : noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri : cùm dilatasti cor meum.

Gloria Patri.

In diebus Dom. à Dñe ne in ira *usque ad* LXX, *et à* Deus omnium *usque ad Adv. Dñi, quando de Dom. agitur, Aña :* Dñs regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit. *In feriis à* Dñe ne in ira *usque ad* LXX, *et à* Deus omnium *usque ad Adv. quando de feriâ agitur, A.* Deus exaudi orationem meam : auribus percipe verba oris mei. *In feriis per Adv. A.* Veni et libera nos, Deus noster.

Symbolum Athanasii.

Quicunque vult salvus esse : ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit : absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate : et Trinitatem in Unitate veneremur.

Neque confundentes personas : neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii : alia Spiritus Sancti.

Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est divinitas : æqualis gloria, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius : talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius : increatus Spiritus Sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius : immensus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius : æternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres æterni : sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi : sed unus increatus, et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius : omnipotens Spiritus Sanctus.

Digitized by Google

Et tamen non tres Omnipotentes : sed unus Omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius : Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii : sed unus est Deus.

Ita Dñs Pater, Dñs Filius : Dñs Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Dñi : sed unus est Dñs.

Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dñm confiteri Christiana veritate compellimur :

Ita tres Deos aut Dños dicere, Catholica religione prohibemur.

Pater a nullo est factus : nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est : non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus Sanctus a Patre et Filio : non factus, nec creatus, nec genitus; sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii : unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius : nihil majus aut minus.

Sed totæ tres personæ : coæternæ sibi sunt, et coæquales.

Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, et Unitas in Trinitate, et Trinitas in Unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse : ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem : ut incarnationem quoque Dñi nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur : quia Dñs noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus : et homo est ex substantia matris in sæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo : ex anima rationali, et humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum divinitatem : minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit et homo : non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione Divinitatis in carnem : sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino; non confusione substantiæ : sed unitate personæ.

Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo : ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos : tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis : inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis : et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam : qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica : quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria Patri.

In omnibus Dominicis quandocunque dicitur Ps. Deus, Deus meus respice, *cum reliquis Psalmis ad Primam, dicetur super* Quicunque *hæc Añа :* Te Deum Patrem ingenitum, Te Filium unigenitum, Te Spiritum Sanctum Paraclitum, Sanctam et Individuam Trinitatem toto corde et ore confitemur, laudamus, atque benedicimus : Tibi gloria in sæcula, Alleluia.

In cæteris autem Dom. simplicibus totius anni, et omnibus festis simpl. tam iij quam ix lectionum cum regimine chori, et in Octavis et infra, quando chorus regitur, et in commemorationibus Beatæ Mariæ et festi loci, nisi in festis et commem. quæ contingunt infra Oct. Sanctæ

Digitized by Google

Trinitatis, dicitur super Quicunque *hæc A.* Te jure laudant, Te adorant, Te glorificant omnes creaturæ tuæ, ô Beata Trinitas. *In tempore Paschali,* Alleluia.

In omnibus festis duplicibus per annum extra hebdomadam S. Trinitatis, dicitur super Quicunque *hæc A.* Gratias tibi Deus, gratias tibi, vera una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Unitas. *In tempore Pasch.* Alleluia.

In omnibus feriis quando de feriâ agitur per totum annum, et in festis iij lect. sine regimine chori, et in Oct. et infra in quibus chorus non regitur, et in Vigiliis et in iiij Temporibus extra hebd. Pentecostes, et hebd. S. Trinitatis dicitur super Quicunque *hæc A.* Gloria tibi Trinitas, æqualis una Deitas, et ante omnia sæcula et nunc et in perpetuum. *In temp. Pasch.* Alleluia.

Per hebd. S. Trinitatis, de quocumque fit servitium, dicitur super Quicunque *hæc A.* O beata et benedicta et gloriosa Trinitas: Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

Capitulum : Timothe. j.

Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Deo gratias.

Hoc prædictum Cap. dicitur omnibus Dom. et in festis et in Oct. et infra quando chorus regitur. Et in commem. B. Mariæ et de festo loci per totum annum extra hebd. Paschæ.

In omnibus aliis festis per annum, et in omnibus feriis ab Oct. Paschæ usque ad Pent. et in Oct. et infra Oct. sine regimine chori, et in Vigiliis Asc. et Pent. et in Vig. Nat. Dñi et Epiph. cùm extra Dom. evenerint, dicitur hoc Cap. Esajæ xxxiij.

Domine miserere nostri; te enim expectavimus : esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. [Deo gr.]

In omnibus aliis feriis per Adv. et à Dñe ne in ira *usque ad Cœnam Dñi, et à* Deus omnium *usque ad Adv. quando de feriâ agitur, dicitur Cap. Zachariæ viij.*

Pacem et veritatem diligite, ait Dñs omnipotens. [Deo gr.]

Et quandocunque dicitur hoc prædictum Cap. ad j [*ad Primam*], *tunc fiant Preces cum prostratione ad omnes horas.*

℟. Jesu Christe Fili Dei vivi : Miserere nobis. [Jesu Christe Fili Dei vivi, miserere nobis.] ℣. Qui sedes ad dexteram Patris. Miserere [nobis]. Gloria Patri [et Filio, et Spiritui Sancto]. Jesu [Christe Fili Dei vivi, miserere nobis].

Iste versus, sc. Qui sedes, *dicitur per totum annum post prædictum* ℟. *nisi in die Nat. Dñi, et abhinc usque in crastinum Purif. et à Passione Dñi usque ad Asc. Dñi, et nisi quando dicatur de S. Maria, et nisi in Festo et Oct. Corporis Christi, quando de Oct. fit serv. et nisi in Festo Transfig. et in Festo et per Oct nominis Jesu, quando de ipsis Oct. fit serv.*

Sequitur ℣. Exurge Dñe, adjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.

Et his dictis sequuntur Preces hoc modo :

Kyrie eleison. *iij* [*ter*]. Christe eleison. *iij.* Kyrie eleison. *iij.*

Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.

Vivet anima mea, et laudabit te. Et judicia tua adjuvabunt me.

Erravi sicut ovis quæ periit. Quære servum tuum Dñe, quia mandata tua non sum oblitus.

Credo in Deum. Carnis resurrectionem. Et vitam æternam. Amen.

Repleatur os meum laude. Ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

Dñe, averte faciem tuam a pec-

Digitized by Google

catis meis. Et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua. Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui. Et spiritu principali confirma me.

Eripe me Dñe ab homine malo. A viro iniquo eripe me.

Eripe me de inimicis meis, Deus meus. Et ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem. Et de viris sanguinum salva me.

Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi. Ut reddam vota mea de die in diem.

Exaudi nos Deus salutaris noster. Spes omnium finium terræ, et in mari longe.

Deus in adjutorium meum intende. Dñe ad adjuvandum me festina.

Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Benedic anima mea Dño. Et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Dño. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam. Qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum. Renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Deinde dicitur Confiteor *et* Misereatur *et* Absolutionem *ut ad Completorium.*

Sequuntur Preces hoc modo:

Deus, tu conversus vivificabis nos. Et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Dñe misericordiam tuam. Et salutare tuum da nobis.

Dignare Dñe die isto. Sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Dñe. Miserere nostri.

Fiat misericordia tua Dñe super nos. Quemadmodum speravimus in te.

Dñe Deus virtutum, converte nos. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Hæ Preces prædictæ dicantur supradicto modo ad Primam per totum annum tam in festis quam in profestis, tam duplicibus quam simpl. nisi à Cœna Dñi usque ad Oct. Paschæ, et nisi in Die Animarum: ita tamen quod in omnibus feriis et per Adv. et à Dñe ne in ira *usque ad Cœnam Dñi et à* Deus omnium *usque ad Adv. Dñi, quando de feriâ agitur, statim post* Fiat misericordia *sequatur* ℣. Exaudi Dñe vocem meam qua clamavi ad te. *et cætera omnia sicut ad Completorium notatum est usque ad Orationem dicendam expleantur.*

Hæc sequens Oratio dicitur in omnibus festis dupl. per annum extra hebd. Paschæ. Oratio.

In hac hora hujus diei tua nos Dñe reple misericordia; ut per totum diem exultantes in tuis laudibus delectemur. Per [Dñm nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, Per omnia sæcula sæculorum. Amen.]

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Benedicamus Dño. Deo gratias.

In omnibus Dominicis et in festis Sanctorum non dupl. et in feriis extra hebd. Paschæ dicatur hæc Oratio:

Digitized by Google

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui nos ad principium hujus diei pervenire fecisti; tua nos hodie salva virtute; et concede ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, nec ullum incurramus periculum; sed semper ad tuam justitiam faciendam omnis nostra actio tuo moderamine dirigatur. Per.

Dñs vobiscum. Et cum sp. tuo.

Benedicamus Dño. Deo gratias.

Deinde dicat Sacerdos sic:

Pretiosa est in conspectu Dñi. Mors sanctorum ejus.

Deinde dicat Sacerdos, sine Dñs vob. *et sine* Oremus,

Sancta Maria, Mater Dñi Dei nostri Jesu Christi, atque omnes sancti, justi, et electi Dei intercedant et orent pro nobis peccatoribus ad Dñm Deum nostrum; ut nos mereamur ab eo adjuvari et salvari, qui in trinitate perfecta vivit et regnat Deus, Per omnia sæcula sæculorum. Am.

Sacerdos dicat, Deus in adjutorium meum intende. ℟. Dñe ad adjuvandum me festina.

Eodem modo dicitur tribus vicibus Deus in adjut. Dñe ad adjuv. *et tunc sequitur sic:*

Gloria Patri. Sicut erat.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.

Et veniat super nos misericordia tua Dñe. Salutare tuum secundum eloquium tuum.

Et respice in servos tuos, et in opera tua. Et dirige filios eorum.

Et sit splendor Dñi Dei nostri super nos. Et opera manuum nostrarum dirige super nos: et opus manuum nostrarum dirige.

Hæc sequens Oratio dicitur in festis dupl. et quotiescunque chorus non regitur, extra hebd. Paschæ, sine Dñs vob. *sed tantum cum* Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo: ut in nomine dilecti Flii tui mereamur bonis operibus abundare. Qui tecum vivit [et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, Per omnia sæcula sæculorum. Amen.]

Dñs vobiscum. Et cum sp. tuo.

Benedicamus Dño. Deo gratias.

In omnibus aliis festis et profestis dicitur hæc Oratio sine Dñs vob. *sed tantum cum* Oremus.

Dirigere et sanctificare et regere dignare, Dñe Deus, quæsumus, corda et corpora nostra in lege tua, et in operibus mandatorum tuorum: ut hîc et in æternum, te auxiliante, sani et salvi esse mereamur. Per.

Et finiatur supra dicto modo, viz. cum Dñs vob. *et cum* Bened. Dño.

Et sciendum est quod quandocunque dicitur Ps. Ad te levavi oculos *post Matutinas, tunc ad Primam post tabulam lectam dicitur sine nota iste Psalmus cxx.*

Levavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Dño: qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit neque dormiet: qui custodit Israël.

Dominus custodit te, Dñs protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dñs.

Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum: ex hoc nunc et usque in sæculum.

Gloria Patri.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. Et ne nos. Sed libera.

Digitized by Google

Ostende nobis Dñe misericordiam tuam. Et salutare tuum da nobis.

Salvos fac servos tuos et ancillas tuas. Deus meus sperantes in te.

Mitte eis Dñe auxilium de Sancto. Et de Sion tuere eos.

Esto nobis Dñe turris fortitudinis. A facie inimici.

Nihil proficiat inimicus in eis. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

Dñe exaudi. Et clamor.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Adesto Dñe supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates, tuo semper protegantur auxilio. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulis tuis pro quibus misericordiæ tuæ imploramus auxilium; ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in ecclesia tua referant actiones. Per Christum. ℟. Amen.

Excellentior persona dicat Benedicite. Dñs. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

AD TERTIAM.

Hymnus.

Nunc sancte nobis Spiritus,
Unum Patri cum Filio,
Dignare promptus ingeri
Nostro refusus pectori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Confessionem personent,
Flammescat igne charitas,
Accendat ardor proximos.

Præsta, Pater piissime,
Patrique Compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Psalmus.

Legem pone mihi Dñe viam justificationum tuarum : et exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam : et custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semita mandatorum tuorum : quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua : et non in avaritiam.

Averte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me.

Statue servo tuo eloquium tuum : in timore tuo.

Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum : quia judicia tua jucunda.

Ecce concupivi mandata tua : in æquitate tua vivifica me.

Et veniat super me misericordia tua Dñe : salutare tuum secundum eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque : quia in judiciis tuis supersperavi.

Et custodiam legem tuam semper : in sæculum et in sæculum sæculi.

Et ambulabam in latitudine : quia mandata tua exquisivi.

Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum : et non confundebar.

Et meditabar in mandatis tuis : quæ dilexi.

Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi : et exercebor in justficationibus tuis.

[Gloria Patri.]

Psalmus.

Memor esto verbi tui servo tuo : in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consolata est in humilitate mea : quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi inique agebant usquequaque : a lege autem tua non declinavi.

Memor fui judiciorum tuorum a sæculo Dñe : et consolatus sum.

Defectio tenuit me : pro peccato-

Digitized by Google

ribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ : in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui Dñe : et custodivi legem tuam.

Hæc facta est mihi : quia justificationes tuas exquisivi.

Portio mea Dñe : dixi custodire legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo : miserere mei secundum eloquium tuum.

Cogitavi vias meas et converti pedes meos : in testimonia tua.

Paratus sum, et non sum turbatus : ut custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me : et legem tuam non sum oblitus.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi : super judicia justificationis tuæ.

Particeps ego sum omnium timentium te : et custodientium mandata tua.

Misericordia tua Dñe plena est terra : justificationes tuas doce me.

Gloria Patri.

Psalmus.

Bonitatem fecisti cum servo tuo Dñe : secundum verbum tuum.

Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi.

Priusquam humiliarer ego deliqui : propterea eloquium tuum custodivi.

Bonus es tu : et in bonitate tua doce me justificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Coagulatum est sicut lac cor eorum : ego vero legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me : ut discam justificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui : super millia auri et argenti.

Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me : da mihi intellectum, ut discam mandata tua.

Qui timent te videbunt me et lætabuntur : quia in verba tua supersperavi.

Cognovi Dñe quia æquitas judicia tua : et in veritate tua humiliasti me.

Fiat misericordia tua ut consoletur me : secundum eloquium tuum servo tuo.

Veniant mihi miserationes tuæ et vivam : quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me : ego autem exercebor in mandatis tuis.

Convertantur mihi timentes te : et qui noverunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis : ut non confundar.

Gloria Patri.

In Dominicis Añ. Laus et perennis gloria Deo Patri et Filio : Sancto simul Paraclito in sæcula sæculorum.

Capitulum : ij Cor. ultimo.

Gratia Dñi nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit semper cum omnibus nobis. Deo gratias.

℟. Inclina cor meum Deus, In testimonia tua. [Inclina cor meum Deus, in testimonia tua.] ℣. Averte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me. In testi[monia tua]. Gloria Patri, [et Filio, et Spiritui Sancto]. Inclina [cor meum Deus, in testimonia tua].

℣. Ego dixi, Dñe miserere mei. ℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

In feriis A. Veniant mihi miserationes tuæ et vivam.

Cap. Hier. xvij.

Sana me Dñe, et sanabor : salvum me fac et salvus ero, quoniam laus mea tu es. [Deo gr.]

Digitized by Google

℟. Sana animam meam: Quia peccavi tibi. [Sana]. ℣. Ego dixi, Dñe miserere mei. Quia peccavi [tibi]. Gloria. Sana.

℣. Adjutor meus esto Dñe. ℟. Ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

In feriis per Adv. A. Tuam Dñe excita potentiam, et veni ad salvandum nos. *Cap. Hebræorum x.* Qui venturus est veniet et non tardabit: jam non erit timor in finibus nostris: quoniam ipse est Salvator noster. [Deo gr.]

℟. Veni ad liberandum nos, Dñe Deus virtutum. [Veni.] ℣. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus. Dñe Deus [virtutum]. Gloria. Veni.

℣. Timebunt Gentes nomen tuum Dñe. ℟. Et omnes reges terræ gloriam tuam.

AD SEXTAM.

Hymnus.

Rector potens, verax Deus,
Qui temperas rerum vices,
Splendore mane instruis,
Et ignibus meridiem:
Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,
Confer salutem corporum,
Veramque pacem cordium.
Præsta, Pater piissime,
[Patrique Compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.]

Psalmus.

Defecit in salutare tuum anima mea: et in verbum tuum supersperavi.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: dicentes quando consolaberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruina: justificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies servi tui: quando facies de persequentibus me judicium?

Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua.

Omnia mandata tua veritas: iniqui persecuti sunt me, adjuva me.

Paulominùs consummaverunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum misericordiam tuam vivifica me: et custodiam testimonia oris tui.

In æternum Dñe: verbum tuum permanet in cœlo.

In generatione et generationem veritas tua: fundasti terram et permanet.

Ordinatione tua perseverat dies: quoniam omnia serviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditatio mea est: tunc forte periissem in humilitate mea.

In æternum non obliviscar justificationes tuas: quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, salvum me fac: quoniam justificationes tuas exquisivi.

Me expectaverunt peccatores ut perderent me: testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

[Gloria Patri.]

Psalmus.

Quomodo dilexi legem tuam Dñe? tota die meditatio mea est.

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

Super senes intellexi: quia mandata tua quæsivi.

Ab omni via mala prohibui pedes meos: ut custodiam verba tua.

A judiciis tuis non declinavi: quia tu legem posuisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo?

A mandatis tuis intellexi: prop-

Digitized by Google

terea odivi omnem viam iniquitatis.

Lucerna pedibus meis verbum tuum : et lumen semitis meis.

Juravi et statui : custodire judicia justitiæ tuæ.

Humiliatus sum usquequaque Dñe : vivifica me secundum verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac Dñe : et judicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper : et legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi : et de mandatis tuis non erravi.

Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum : propter retributionem.

[Gloria Patri.]

Psalmus.

Iniquos odio habui : et legem tuam dilexi.

Adjutor et susceptor meus es tu : et in verbum tuum supersperavi.

Declinate a me maligni : et scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam : et non confundas me ab expectatione mea.

Adjuva me, et salvus ero : et meditabor in justificationibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis : quia injusta cogitatio eorum.

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : ideo dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui.

Feci judicium et justitiam : non tradas me calumniantibus me.

Suscipe servum tuum in bonum : non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum : et in eloquium justitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam : et justificationes tuas doce me.

Servus tuus sum ego : da mihi intellectum ut sciam testimonia tua.

Tempus faciendi Dñe : dissipaverunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua : super aurum et topazion.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.

Gloria Patri.

In Dominicis Aña. Gloria laudis resonet in ore omnium Patri genitæque Proli : Spiritui Sancto pariter resultet laude perenni.

Cap. j Johannis v.

Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, et Verbum, et Spiritus Sanctus : et hi tres Unum sunt. [Deo gr.]

℟. In æternum Dñe, Permanet verbum tuum. [In æternum.] ℣. In cœlo et in sæculum sæculi veritas tua. Permanet [verbum tuum]. Gloria Patri, [et Filio, et Spiritui Sancto.] In æternum.

℣. Dñs regit me, et nihil mihi deerit. ℟. In loco pascuæ, ibi me collocavit.

In feriis A. Non confundas me Dñe ab expectatione mea.

Cap. [*Ad*] *Thessalonicenses v.*

Omnia probate; quod bonum est tenete : ab omni specie mala abstinete vos. [Deo gr.]

℟. Benedicam Dñm, In omni tempore. [Benedicam.] ℣. Semper laus ejus in ore meo. In [omni tempore]. Gloria. Benedicam.

℣. Dñs regit [me, et nihil mihi deerit. ℟. In loco pascuæ, ibi me collocavit.]

In Adv. A. In tuo adventu erue nos Dñe. *Cap. Esajæ xviij.*

Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur : miserebitur Dñs Jacob, et Israël salvabitur. [Deo gr.]

℟. Ostende nobis Dñe, Misericordiam tuam. [Ostende.] ℣. Et salu-

Digitized by Google

tare tuum da nobis. Misericordiam [tuam]. Gloria. Ostende.

℣. Memento nostri Dñe in beneplacito populi tui. ℟. Visita nos in salutari tuo.

AD NONAM.

Hymnus.

Rerum Deus tenax vigor,
Immotus in te permanens,
Lucis diurnæ tempora
Successibus determinans :
Largire clarum vespere,
Quo vita nusquam decidat,
Sed præmium mortis sacræ
Perennis instet gloria.
Præsta, Pater [piissime,
Patrique Compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.]

Psalmus.

Mirabilia testimonia tua Dñe : ideo scrutata est ea anima mea.

Declaratio sermonum tuorum illuminat : et intellectum dat parvulis.

Os meum aperui, et attraxi spiritum : quia mandata tua desiderabam.

Aspice in me et miserere mei : secundum judicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum : ut non dominetur mei omnis injustitia.

Redime me a calumniis hominum : ut custodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina super servum tuum : et doce me justificationes tuas.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei : quia non custodierunt legem tuam.

Justus es Dñe : et rectum judicium tuum.

Mandásti justitiam testimonia tua : et veritatem tuam nimis.

Tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer : et servus tuus dilexit illud.

Adolescentulus sum ego, et contemptus : justificationes tuas non sum oblitus.

Justitia tua justitia in æternum : et lex tua veritas.

Tribulatio et angustia invenerunt me : mandata tua meditatio mea est.

Æquitas testimonia tua in æternum : intellectum da mihi, et vivam.

Gloria Patri.

Psalmus.

Clamavi in toto corde; exaudi me Dñe : justificationes tuas requiram.

Clamavi ad te ; salvum me fac : ut custodiam mandata tua.

Præveni in maturitate, et clamavi : quia in verba tua supersperavi.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo : ut meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Dñe : et secundum judicium tuum vivifica me.

Appropinquaverunt persequentes me iniquitati : a lege autem tua longe facti sunt.

Prope [es tu Dñe : et omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognovi de testimoniis tuis : quia in æternum fundasti ea.

Vide humilitatem meam et eripe me : quia legem tuam non sum oblitus.

Judica judicium meum et redime me : propter eloquium tuum vivifica me.

Longe a peccatoribus salus : quia justificationes tuas non exquisierunt.

Misericordiæ tuæ multæ Dñe : secundum judicium tuum vivifica me.

Multi qui persequuntur me et tribulant me : a testimoniis tuis non declinavi.

Vidi prævaricantes, et tabescebam : quia eloquia tua non custodierunt.

Vide quoniam mandata tua dilex Dñe : in misericordia tua vivifica me.

Principium verborum tuorum ve-

Digitized by Google

ritas : in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

Gloria Patri.

Psalmus.

Principes persecuti sunt me gratis : et a verbis tuis formidavit cor meum.

Lætabor ego super eloquia tua : sicut qui invenit spolia multa.

Iniquitatem odio habui et abominatus sum : legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi : super judicia justitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam : et non est illis scandalum.

Expectabam salutare tuum Dñe : et mandata tua dilexi.

Custodivit anima mea testimonia tua : et dilexit ea vehementer.

Servavi mandata tua et testimonia tua : quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Dñe : juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo : secundum eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum : cùm docueris me justificationes tuas.

Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum : quia omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me : quoniam mandata tua elegi.

Concupivi salutare tuum Dñe : et lex tua meditatio mea est.

Vivet anima mea et laudabit te : et judicia tua adjuvabunt me.

Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Gloria Patri.

In Dominicis Añ. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula.

Cap. Ad Eph. v.

Unus Dñs, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium : qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis; qui est benedictus in sæcula. [Deo gratias.]

℟. Clamavi in toto corde meo : Exaudi me Dñe. [Clamavi.] ℣. Justificationes tuas requiram. Exaudi [me Dñe]. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Clamavi.

℣. Ab occultis meis munda me Dñe. ℟. Et ab alienis parce servo tuo.

In feriis A. Juxta eloquium tuum, da mihi intellectum Dñe.

Cap. Ad Gal. vj.

Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Deo gr.

℟. Redime me Dñe, Et miserere mei. [Redime.] ℣. Pes enim meus stetit in via recta : in ecclesiis benedicam te Dñe. Et miserere mei. Gloria. Redime.

℣. Ab occultis meis munda me Dñe. ℟. Et ab alienis parce servo tuo.

In feriis in Adv. A. Veni Dñe, et noli tardare : relaxa facinora plebis tuæ Israël.

Cap. Michajæ iiij.

Venite, ascendamus ad montem Dñi, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis ejus : quia de Sion exibit lex, et verbum Dñi de Hierusalem. [Deo gr.]

℟. Super te, Hierusalem, Orietur Dñs. [Super te.] ℣. Et gloria ejus in te videbitur. Orietur Dñs. Gloria. Super te.

℣. Domine Deus virtutum converte nos. ℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

FERIA SECUNDA.

Ad Matutinas.

Invitatorium : Venite, exultemus Dño. *Psalmus :* Jubilemus Deo salutari nostro, *etc.*

A Dñe ne in ira *usque ad* XL, *quando de secunda feria agitur, dicitur sequens Hymnus :*

Somno refectis artubus,
Spreto cubili surgimus :
Nobis, Pater, canentibus

Digitized by Google

Adesse te deposcimus.
Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat :
Ut actuum sequentium
Tu, sancte, sis exordium.
Cedant tenebræ lumini,
Et nox diurno sideri,
Ut culpa quam nox intulit,
Lucis labascat munere.
Precamur idem supplices,
Noxas ut omnes amputes,
Et ore te canentium
Lauderis in perpetuum.
Gloria tibi Domine. (p. 1.)
Post Purif. dicitur,
Præsta Pater piissime. (p. 1.)
Per Æstatem dicitur iste Hymnus Nocte surgentes. *Quære in principio Psalterii ante Psalmum Beatus vir.*

Psalmus xxvj.

Dominus illuminatio mea : et salus mea; quem timebo?
Dñs protector vitæ meæ : a quo trepidabo?
Dum appropiant super me nocentes : ut edant carnes meas;
Qui tribulant me inimici mei : ipsi infirmati sunt et ceciderunt.
Si consistant adversum me castra : non timebit cor meum.
Si exurgat adversum me prælium : in hoc ego sperabo.
Unam petii a Dño, hanc requiram : ut inhabitem in domo Dñi omnibus diebus vitæ meæ.
Ut videam voluntatem Dñi : et visitem templum ejus.
Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum : protexit me in abscondito tabernaculi sui.
In petra exaltavit me : et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.
Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo et psalmum dicam Dño.
Exaudi Dñe vocem meam qua clamavi ad te : miserere mei, et exaudi me.
Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea : faciem tuam Dñe requiram.
Ne avertas faciem tuam a me : ne declines in ira a servo tuo.
Adjutor meus esto; ne derelinquas me : neque despicias me, Deus salutaris meus.
Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dñs autem assumpsit me.
Legem pone mihi Dñe in via tua : et dirige me in semita recta propter inimicos meos.
Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui : et mentita est iniquitas sibi.
Credo videre bona Dñi : in terra viventium.
Expecta Dñm, viriliter age, et confortetur cor tuum : et sustine Dñm.

Psalmus xxvij.

Ad te Dñe clamabo; Deus meus ne sileas a me : nequando taceas a me et assimilabor descendentibus in lacum.
Exaudi Dñe vocem deprecationis meæ dum oro ad te : dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.
Ne simul tradas me cum peccatoribus : et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.
Qui loquuntur pacem cum proximo suo : mala autem in cordibus eorum.
Da illis secundum opera eorum : et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.
Secundum opera manuum eorum tribue illis : redde retributionem eorum ipsis.
Quoniam non intellexerunt opera Dñi : et in opera manuum ejus destrues illos, et non ædificabis eos.
Benedictus Dñs : quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.
Dñs adjutor meus, et protector

Digitized by Google

meus : et in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et refloruit caro mea : et ex voluntate mea confitebor ei.

Dñs fortitudo plebis suæ : et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuum Dñe, et benedic hæreditati tuæ : et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Gloria Patri. *A.* Dñs defensor vitæ meæ.

Psalmus xxviij.

Afferte Dño filii Dei : afferte Dño filios arietum.

Afferte Dño gloriam et honorem, afferte Dño gloriam nomini ejus : adorate Dñm in atrio sancto ejus.

Vox Dñi super aquas, Deus majestatis intonuit : Dñs super aquas multas.

Vox Dñi in virtute : vox Dñi in magnificentia.

Vox Dñi confringentis cedros : et confringet Dñs cedros Libani :

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani : et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Dñi intercidentis flammam ignis; vox Dñi concutientis desertum : et commovebit Dñs desertum Cades.

Vox Dñi præparantis cervos, et revelabit condensa : et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dñs diluvium inhabitare facit : et sedebit Dñs Rex in æternum.

Dñs virtutem populo suo dabit : Dñs benedicet populo suo in pace.

Psalmus xxix.

Exaltabo te Dñe, quoniam suscepisti me : nec delectasti inimicos meos super me.

Dñe Deus meus clamavi ad te : et sanasti me.

Dñe eduxisti ab inferno animam meam : salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Dño omnes sancti ejus : et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus : et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus : et ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.

Dñe in voluntate tua : præstitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me : et factus sum conturbatus.

Ad te Dñe clamabo : et ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in sanguine meo : dum descendo in corruptionem?

Nunquid confitebitur tibi pulvis : aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dñs et misertus est mei : Dñs factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi : concidisti saccum meum, et circundedisti me lætitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar : Dñe Deus meus in æternum confitebor tibi.

Gloria Patri. *A.* Adorate Dñm in aula sancta ejus.

Psalmus xxx.

In te Dñe speravi; non confundar in æternum : in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam : accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii : ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu : et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo quem absconderunt mihi : quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum : redemisti me, Dñe Deus veritatis.

Odisti observantes vanitates : supervacue.

Ego autem in Dño speravi : exultabo et lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem

Digitized by Google

meam : salvasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici : statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei Dñe, quoniam tribulor : conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea : et anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea : et ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde : et timor notis meis.

Qui videbant me foras fugerunt a me : oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde.

Factus sum tanquam vas perditum : quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum convenirent simul adversum me : accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speravi Dñe; dixi, Deus meus es tu : in manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum : et a persequentibus me.

Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua Dñe : non confundar, quoniam invocavi te.

Erubescant impii, et deducantur in infernum : muta fiant labia dolosa.

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem : in superbia, et in abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Dñe : quam abscondisti timentibus te ?

Perfecisti eis qui sperant in te : in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ : a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo : a contradictione linguarum.

Benedictus Dñs : quoniam mirificavit misericordiam suam mihi ; in civitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ : dum clamarem ad te.

Diligite Dñm omnes sancti ejus, quoniam veritatem requiret Dñs : et retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agite, et confortetur cor vestrum : omnes qui speratis in Dño.

Psalmus xxxj.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates : et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui non imputavit Dñs peccatum : nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea : dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua : conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci : et injustitiam meam non abscondi.

Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Dño : et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus : in tempore opportuno.

Veruntamen in diluvio aquarum multarum : ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione quæ circundedit me : exultatio mea, erue me a circundantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradièris : firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus : quibus non est intellectus.

In chamo et fræno maxillas eorum constringe : qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris : speran-

Digitized by Google

rantem autem in Dño misericordia circundabit.

Lætamini in Dño et exultate justi : et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri. *A.* In tua justitia libera me Dñe.

Psalmus xxxij.

Exultate justi in Dño : rectos decet collaudatio.

Confitemini Dño in cithara : in psalterio decem chordarum psallite illi.

Cantate ei canticum novum : bene psallite ei in vociferatione.

Quia rectum est verbum Dñi : et omnia opera ejus in fide.

Diligit misericordiam et judicium : misericordia Dñi plena est terra.

Verbo Dñi cœli firmati sunt : et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Congregans sicut in utre aquas maris : ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dñm omnis terra : ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.

Dñs dissipat consilia gentium ; reprobat autem cogitationes populorum : et reprobat consilia principum.

Consilium autem Dñi in æternum manet : cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.

Beata gens cujus est Dñs Deus ejus : populus quem elegit in hæreditatem sibi.

De cœlo respexit Dñs : vidit omnes filios hominum.

De præparato habitaculo suo : respexit super omnes qui habitant terram.

Qui finxit singillatim corda eorum : qui intelligit omnia opera eorum.

Non salvatur rex per multam virtutem : et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.

Fallax equus ad salutem : in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

Ecce oculi Dñi super metuentes eum : et in eis qui sperant super misericordia ejus.

Ut eruat a morte animas eorum : et alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dñm : quoniam adjutor et protector noster est.

Quia in eo lætabitur cor nostrum : et in nomine sancto ejus speravimus.

Fiat misericordia tua Dñe super nos : quemadmodum speravimus in te.

Psalmus xxxiij.

Benedicam Dñm in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.

In Dño laudabitur anima mea : audiant mansueti, et lætentur.

Magnificate Dñm mecum : et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dñm, et exaudivit me : et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dñs exaudivit eum : et ex omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet angelus Dñi in circuitu timentium eum : et eripiet eos.

Gustate, et videte quoniam suavis est Dñs : beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dñm omnes sancti ejus : quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dñm non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me : timorem Dñi docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam : diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo : et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam.

Digitized by Google

Oculi Dñi super justos : et aures ejus ad preces eorum.

Vultus autem Dñi super facientes mala : ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dñs exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dñs his, qui tribulato sunt corde : et humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum : et de omnibus his liberavit eos Dñs

Custodit Dñs omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima : et qui oderunt justum delinquent.

Redimet Dñs animas servorum suorum : et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Gloria Patri. *A.* Rectos decet collaudatio.

Psalmus xxxiiij.

Judica Dñe nocentes me: expugna impugnantes me.

Apprehende arma et scutum : et exurge in adjutorium mihi.

Effunde frameam, et conclude adversus eos qui persequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego sum.

Confundantur et revereantur : quærentes animam meam.

Avertantur retrorsum et confundantur : cogitantes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante faciem venti : et angelus Dñi coarctans eos.

Fiat via illorum tenebræ et lubricum : et angelus Dñi persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui : supervacue exprobraverunt animam meam.

Veniat illi laqueus quem ignorat : et captio quam abscondit apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultabit in Dño : et delectabitur super salutari suo.

Omnia ossa mea dicent : Dñe, quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus : egenum et pauperem a diripientibus eum.

Surgentes testes iniqui : quæ ignorabam interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis : sterilitatem animæ meæ.

Ego autem cùm mihi molesti essent : induebar cilicio.

Humiliabam in jejunio animam meam : et oratio mea in sinu meo convertetur.

Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacebam : quasi lugens et contristatus, sic humiliabar.

Et adversum me lætati sunt, et convenerunt : congregata sunt super me flagella, et ignoravi.

Dissipati sunt, nec compuncti; tentaverunt me; subsannaverunt me subsannatione : frenducrunt super me dentibus suis.

Dñe, quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum : a leonibus unicam meam.

Confitebor tibi in ecclesia magna : in populo gravi laudabo te.

Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique : qui oderunt me gratis, et annuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur : et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.

Et dilataverunt super me os suum : dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi nostri.

Vidisti Dñe, ne sileas : Dñe, ne discedas a me.

Exurge et intende judicio meo Deus meus : et Dñs meus in causam meam.

Judica me secundum justitiam tuam, Dñe Deus meus : et non supergaudeant mihi.

Non dicant in cordibus suis, Euge, euge animæ nostræ : nec dicant, Devorabimus eum.

Digitized by Google

Erubescant et revereantur simul: qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione et reverentia: qui maligna loquuntur super me.

Exultent et lætentur qui volunt justitiam meam: et dicant semper, magnificetur Dñs, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditabitur justitiam tuam: tota die laudem tuam.

Psalmus xxxv.

Dixit injustus ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos ejus.

Quoniam dolose egit in conspectu ejus: ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

Verba oris ejus iniquitas et dolus: noluit intelligere ut bene ageret.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ; malitiam autem non odivit.

Dñe, in cœlo misericordia tua: et veritas tua usque ad nubes.

Justitia tua sicut montes Dei: judicia tua abyssus multa.

Homines et jumenta salvabis Dñe: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.

Filii autem hominum: in tegmine alarum tuarum sperabunt.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Quoniam apud te fons vitæ: et in lumine tuo videbimus lumen.

Prætende misericordiam tuam scientibus te: et justitiam tuam his qui recto sunt corde.

Non veniat mihi pes superbiæ: et manus peccatoris non moveat me.

Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.

Gloria Patri. *A.* Expugna impugnantes me.

Psalmus xxxvj.

Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem.

Quoniam tanquam fœnum velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident.

Spera in Dño, et fac bonitatem: et inhabita terram, et pascèris in divitiis ejus.

Delectare in Dño: et dabit tibi petitiones cordis tui.

Revela Dño viam tuam: et spera in eo, et ipse faciet.

Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem: subditus esto Dño, et ora eum.

Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua: in homine faciente injustitias.

Desine ab ira, et derelinque furorem: noli æmulari ut maligneris.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dñm, ipsi hæreditabunt terram.

Et adhuc pusillum, et non erit peccator: et quæres locum ejus, et non invenies.

Mansueti autem hæreditabunt terram: et delectabuntur in multitudine pacis.

Observabit peccator justum: et stridebit super eum dentibus suis.

Dñs autem irridebit eum: quoniam prospicit quod veniet dies ejus.

Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum suum,

Ut dejiciant pauperem et inopem: ut trucident rectos corde.

Gladius eorum intret in corda ipsorum: et arcus eorum confringatur.

Melius est modicum justo: super divitias peccatorum multas.

Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem justos Dominus.

Novit Dñs dies immaculatorum: et hæreditas eorum in æternum erit.

Non confundentur in tempore malo: et in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt.

Inimici vero Dñi mox ut honori-

Digitized by Google

ficati fuerint et exaltati : deficientes, quemadmodum fumus deficient.

Mutuabitur peccator, et non solvet : justus autem miseretur et tribuet.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram : maledicentes autem ei disperibunt.

Apud Dñm gressus hominis dirigentur : et viam ejus volet.

Cùm ceciderit, non collidetur : quia Dñs supponit manum suam.

Junior fui, etenim senui : et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

Tota die miseretur et commodat : et semen illius in benedictione erit.

Declina a malo, et fac bonum : et inhabita in sæculum sæculi.

Quia Dñs amat judicium et non derelinquet sanctos suos : in æternum conservabuntur.

Injusti punientur : et semen impiorum peribit.

Justi autem hæreditabunt terram : et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.

Os justi meditabitur sapientiam : et lingua ejus loquetur judicium.

Lex Dei ejus in corde ipsius : et non supplantabuntur gressus ejus.

Considerat peccator justum : et quærit mortificare eum.

Dñs autem non derelinquet eum in manibus ejus : nec damnabit eum cùm judicabitur illi.

Expecta Dñm, et custodi viam ejus; et exaltabit te, ut hæreditate capias terram : cùm perierint peccatores, videbis.

Vidi impium superexaltatum : et elevatum sicut cedros Libani.

Et transivi, et ecce non erat : quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.

Custodi innocentiam, et vide æquitatem : quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

Injusti autem disperibunt simul : reliquiæ impiorum interibunt.

Salus autem justorum a Dño : et protector eorum est in tempore tribulationis.

Et adjuvabit eos Dñs, et liberabit eos : et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.

Psalmus xxxvij.

Domine ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi : et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ : a facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem : tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus : et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis : rugiebam a gemitu cordis mei.

Dñe, ante te omne desiderium meum : et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea : et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei : adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant de longe steterunt : et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates : et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam : et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non au-

Digitized by Google

diens : et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Dñe speravi : tu exaudies me Dñe Deus meus.

Quia dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei : et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum : et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo : et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt et confirmati sunt super me : et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi : quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Dñe Deus meus : ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum : Dñe Deus salutis meæ.

Gloria Patri. *A.* Revela Dño viam tuam.

℣. Domine, in cœlo misericordia tua. ℟. Et veritas tua usque ad nubes.

Lectiones et Responsoria de eddem ferid.

ANTE LAUDES ℣. Fiat misericordia tua Dñe, super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te.

Iste ℣. *dicitur ante Laudes in omnibus feriis à* Dñe ne in ira *usque ad* XL, *et à* Deus omnium *usque ad Adv. Dñi quando de ferid agitur.*

In Laudibus, Psalmus l.

Miserere mei Deus : secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum : dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea : et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi; et malum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti : incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me Dñe hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam : et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis : et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua : et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui : et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas : et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ : et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Dñe, labia mea aperies : et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem : utique holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Dñe in bona voluntate tua Sion : ut ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri. *A.* Miserere mei Deus.

Ps. v. Verba mea, *ut supra folio primo. A.* Intellige clamorem meum Dñe.

A. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. *Ps. Ipsum.* (p. 12.)

Digitized by Google

Canticum Esaiæ. Cap. xij.

Confitebor tibi Dñe; quoniam iratus es mihi : conversus est furor tuus, et consolatus es me.

Ecce Deus salvator meus : fiducialiter agam, et non timebo.

Quia fortitudo mea, et laus mea Dñs : et factus est mihi in salutem.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris : et dicetis in illa die, Confitemini Dño et invocate nomen ejus.

Notas facite in populis adinventiones ejus : mementote quoniam excelsum est nomen ejus.

Cantate Dño, quoniam magnifice fecit : annuntiate hæc in universa terra.

Exulta et lauda, habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israël.

Gloria Patri. *A.* Conversus est furor tuus Dñe, et consolatus es me.

Añia. Laudate Dñm de cœlis. *Ps. Ipsum.* (p. 13.)

Cap. j Cor. xvj.

Vigilate et orate; state in fide; viriliter agite et confortamini : et omnia vestra in charitate fiant.

Hoc Cap. dicitur omnibus feriis ad Laudes à Dñe ne in ira *usque ad Caput Jejunii, et à* Deus omnium *usque ad Adv. Dñi, quando de feriâ agitur.*

A Dñe ne in ira *usque ad* XL, *quando de secundâ feriâ agitur, dicitur ad Laudes sequens Hymnus.*

Splendor Paternæ gloriæ,
De luce lucem proferens,
Lux lucis, et fons luminis,
Dies diem illuminans,
Verusque Sol, illabere,
Micans nitore perpeti,
Jubarque sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus.
Votis vocemus te Patrem,
Patrem perennis gloriæ,
Patrem potentis gratiæ :
Culpam releget lubricam.
Informet actus strenuos :
Dentem retundat invidi :
Casus secundet asperos :
Donec gerendi gratiam.
Mentem gubernet et regat,
Casto fideli corpore :
Fides calore ferveat :
Fraudis venena nesciat.
Christusque nobis sit cibus,
Potusque noster sit fides :
Læti bibamus sobriam
Ebrietatem Spiritus.
Lætus dies hic transeat :
Pudor sit ut diluculum;
Fides velut meridies,
Crepusculum mens nesciat.
Aurora cursus provehit,
Aurorâ totus prodeat,
In Patre totus Filius,
Et totus in Verbo Pater.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio :
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

℣. In matutinis, Dñe, meditabor in te. ℟. Quia fuisti adjutor meus.

Per Æstatem dicitur Hymnus Ecce jam noctis. (p. 15.) ℣. In matut.

Iste ℣. *dicitur omnibus feriis ad Laudes à* Dñe ne in ira *usque ad* XL, *et à* Deus omnium *usque ad Adv. Dñi, quando de feriâ agitur.*

Añia. Benedictus [Dñs] Deus Israël. *Ps. Ipsum.* (p. 15.)

Deinde dicantur Preces Feriales hoc modo :

Kyrie eleison. *iij* [*ter*]. Christe eleison. *iij*. Kyrie eleison. *iij*. Pater noster.

Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.

Ego dixi, Dñe miserere mei. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

Convertere Dñe usquequo. Et deprecabilis esto super servos tuos.

Fiat misericordia tua Dñe super nos. Quemadmodum speravimus in te.

Sacerdotes tui induantur justitiam. Et sancti tui exultent.

Dñe salvum fac regem. Et exaudi nos in die qua invocaverimus te.

Digitized by Google

Salvos fac servos tuos et ancillas tuas. Deus meus, sperantes in te.

Salvum fac populum tuum Dñe: et benedic hæreditati tuæ. Et rege eos et extolle illos usque in æternum.

Dñe fiat pax in virtute tua. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus pro fidelibus defunctis. Requiem æternam dona eis Dñe: et lux perpetua luceat eis.

Exaudi Dñe vocem meam qua clamavi ad te. Miserere mei et exaudi me.

Ps. Miserere mei Deus. *Totus Psalmus dicatur sine nota cum* Gloria Patri *et* Sicut erat.

Finito Psalmo solus Sacerdos erigat se, et ad gradum chori accedat ad Matutinas et ad Vesperas, tunc dicendo hos versus:

Exurge Dñe, adjuva nos. Et libera nos propter nomen tuum.

Dñe Deus virtutum converte nos. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Dñe exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus.

[*Deinde dicitur Oratio propria.*]

[*Memoriæ Communes.*]

In *Adv. Dñi quando de feriâ agitur, dicuntur* Memoriæ *ad Matutinas:*

Aña. Spiritus Sanctus in te descendet Maria: ne timeas habens in utero filium Dei, Alleluia.

℣. Egredietur virga de radice Jesse. ℟. Et flos de radice ejus ascendet.

Oratio.

Deus qui de Beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum angelo nuntiante carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis ut qui vere eam Dei genitricem credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Christum Dñm.

Memoria de omnibus Sanctis.

A. Ecce Dñs veniet et omnes Sancti ejus cum eo, et erit in die illa lux magna, Alleluia.

℣. Ecce apparebit Dñs super nubem candidam. ℟. Et cum eo Sanctorum millia.

Oratio.

Conscientias nostras, quæsumus Dñe, visitando purifica; ut veniens Jesus Christus Filius tuus Dñs noster cum omnibus Sanctis, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum *etc.*

Ad *Vesperas etc. ab Oct. S. Stephani usque ad Purif. quotidie fiat Memoria de S. Mariâ, de quocumque fiat servitium, tam ad Vesp. quam ad Mat. nisi in Vigilia Epiph. et in die ejusdem.*

In festis ix lectionum et infra Oct. et in Oct. quando chorus regitur, et in Dominicis ad utrasque Vesp. cum hac A. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus, Deus noster.

Et ad Mat. cum hac A. Ecce Maria genuit nobis salvatorem, quem Johannes videns exclamavit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Alleluia.

In feriis vero et in festis iij lect. sine regimine chori ad Vesp. dicitur hæc A. Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei genitrix intercede pro nobis. *Et ad Mat. cum hac A.* Germinavit radix Jesse; orta est stella ex Jacob; Virgo peperit salvatorem: te laudamus Deus noster.

Et ad Mat. dicitur semper ℣. Post partum virgo [inviolata permansisti. ℟. Dei genitrix intercede pro nobis]. *Et ad Vesp. dicitur* ℣. Speciosus forma præ filiis hominum. ℟. Diffusa est gratia in labiis tuis. *Non dicitur ulterius.* *Oratio.*

Deus qui salutis æternæ B. Mariæ

Digitized by Google

virginitate fœcunda humano generi præmia præstitisti; tribue quæsumus ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dñm nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Deinde fiat Memoria de omnibus Sanctis in feriis et in festis sine regimine chori ad Vesp. et ad Mat.

Post *Purif. vero ad Mat. dicitur hæc A.* Beata Mater et innupta virgo, gloriosa Regina mundi; intercede pro nobis ad Dñm.

℣. Post partum. *Oratio.* Famulorum. *vel Or.* Omnipotens sempiterne Deus. *ut posterius patet.*

Non dicitur Oratio Concede, quæsumus, misericors Deus *ad Memoriam de S. Mariâ nisi ad processionem tantum.*

Memoria de omnibus Sanctis.

Ad Mat. A. Exultabunt. ℣. Mirabilis. *Oratio.* Infirmitatem. *Vel Or.* Omnium sanctorum. *Vel Or.* Vide Dñe. *Vel Or.* Tribue.

Post Purif. ad Memoriam de S. Mariâ dicantur Añæ sicut post historiam Deus omnium.

Et etiam de omnibus Sanctis ad Vesp. et ad Mat. de Paschali tempore.

Feria *secundâ post Oct. Trin. et abhinc usque ad Adv. Dñi, tam in feriis quam in festis iij lectionum sine regimine chori, et in Octavis et infra quando chorus non regitur, dicantur hæ tres Memoriæ, sc. de Cruce, de S. Mariâ, et de omnibus Sanctis. Cùm verò in festo iij lect. aliquod festum Sanctorum contigerit, tunc in primis fiat Mem. de Sancto et postea Memoriæ supradictæ. Per Oct. verò Reliquiarum, sive dicitur de Sanctis, sive de feriis, semper fiat in primis Mem. de Cruce.*

Ad Mat. A. Nos autem gloriari oportet in Cruce Dñi nostri Jesu Christi. ℣. Omnis terra adoret te Deus, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nomini tuo. *Oratio.*

Deus qui sanctam Crucem tuam ascendisti et mundi tenebras illuminasti; tu corda et corpora nostra illuminare dignare, Salvator mundi. Qui vivis et regnas cum Deo. *Vel Or.*

Perpetua quæsumus Dñe pace custodi quos per lignum sanctæ Crucis redimere dignatus es, Salvator mundi. Qui vivis et regnas cum Deo.

***Vel Oratio.* Adesto nobis Dñe Deus noster, et quos sanctæ Crucis lætari facis honore, ejus quoque perpetuis defende subsidiis. Per Christum Dñm nostrum.**

Mem. de S. Mariâ.

Ad Mat. A.* Beata mater et innupta. *ut proximè supra.* ℣. Post partum virgo [*ut supra*]. *Oratio.

Famulorum tuorum, quæsumus Dñe, delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, genitricis Filii tui Dñi nostri Jesu Christi intercessione salvemur. Per eundem Dñm. *Vel Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, nos famulos tuos dextera tuæ potentiæ a cunctis protege periculis, et gloriosa B. Mariæ semper virginis intercessione fac nos præsenti gaudere prosperitate et futura. Per Christum.

Non dicitur Oratio* Concede quæsumus, *ad Mem. de S. Mariâ per totum annum; sed ad process. et ad Compl. de ea tantum.

Mem. de omnibus Sanctis.

***Ad Mat. A.* Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis. ℣. Mirabilis Deus in sanctis suis. ℟. Et gloriosus in majestate sua.**

Or.* Infirmitatem nostram, quæsumus Dñe, propitius respice; et mala omnia quæ juste meremur, omnium sanctorum tuorum intercessione averte. Per Dñm. *Vel Oratio.

Omnium sanctorum tuorum, quæsumus Dñe, intercessione placatus, et veniam delictorum nobis tribue, et remedia sempiterna concede. Per Dñm. *Vel Oratio.*

Vide Dñe infirmitates nostras, et

Digitized by Google

intercedentibus omnibus sanctis tuis, celeri nobis pietate succurre. Per Dñm. *Vel Oratio.*

Tribue, quæsumus Dñe, omnes Sanctos tuos jugiter orare pro nobis, et eos semper clementer audire digneris. Per.

Mem. *de Cruce ad Vesp. A.* Salva nos, Christe Salvator, per virtutem sanctæ Crucis : qui salvasti Petrum in mari, miserere nobis. ℣. Omnis terra [*ut ad Mat.*]. *Vel. A.* Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus. *Vel A.* Adoramus te Christe, et benedicimus tibi; quia per Crucem tuam redemisti mundum. ℣. Omnis terra. *Oratio ut supra ad Mat.*

Mem. de S. Maria ad Vesp. A. Sancta Maria Virgo, intercede pro toto mundo, quia genuisti regem orbis. ℣. Sancta Dei genitrix, virgo semper Maria. [℟. Intercede pro nobis ad Dñm Deum nostrum.]

Vel A. Sancta Dei genitrix, virgo semper Maria, intercede pro nobis ad Dñm Deum nostrum. ℣. Post partum virgo [*ut supra*].

Vel A. In prole mater, in partu virgo; gaude et lætare, pia mater Dñi. ℣. Sancta Dei genitrix.

Oratio ut supra ad Mat.

Mem. de omnibus Sanctis ad Vesp. A. Sancti Dei omnes qui estis consortes supernorum civium, intercedite pro nobis. ℣. Lætamini [in Dño et exultate justi. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.], *vel* Exultent [justi in conspectu Dei. ℟. Et delectentur in lætitia].

Vel A. Omnes electi Dei nostri memoramini ante Deum : ut vestris precibus adjuti mereamur vobis adjungi. ℣. Lætamini. *vel* Exultent.

Vel A. Sanctorum precibus cunctorum redde salutem corporis ac animæ, Christe, tuis famulis. ℣. Lætamini.

Vel A. O quam gloriosum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti : amicti stolis albis sequuntur Agnum quocumque ierit. ℣. Lætamini.

Isti duo versus ad Mem. de omnibus Sanctis non variantur nisi cùm ℣. Lætamini *ad primas Vesperas dicitur · tunc ad Mem. de omnibus Sanctis dicetur* ℣. Exultent. *Similiter ad Mat. quando* ℣. Mirabilis Deus *dicitur in Laudibus, tunc ad Mem. de omnibus Sanctis dicetur* ℣. Justorum animæ [in manu Dei sunt. ℟. Et non tanget illos tormentum malitiæ]. *Quod per totum annum observetur, nisi in Adv. et in tempore Paschali.*

Oratio ut supra ad Mat.

FERIA TERTIA.

Ad Matutinas.

Invitatorium : Jubilemus Deo, Salutari nostro. *Ps.* Venite.

A Dñe ne in ira *usque ad* XL, *quando de iij ferià agitur, dicitur ad Mat. sequens Hymnus.*

Consors Paterni luminis,
Lux ipse lucis, et dies,
Noctem canendo rumpimus :
Assiste postulantibus.

Aufer tenebras mentium,
Fuga catervas dæmonum,
Expelle somnolentiam,
Ne pigritantes obruat.

Sic Christe nobis omnibus
Indulgeas credentibus,
Ut prosit exorantibus,
Quod præcinentes psallimus.

[Gloria tibi, Dñe (p. 1.) *vel*]
Præsta, Pater piissime. (*ibid.*)

Per Æstatem Hymnus Nocte surgentes *etc.* (*ibid.*)

Psalmus xxxviij.

Dixi, Custodiam vias meas : ut non delinquam in lingua mea.

Posui ori meo custodiam : cum consisteret peccator adversum me.

Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis : et dolor meus renovatus est.

Digitized by Google

Concaluit cor meum intra me : et in meditatione mea exardescet ignis.

Locutus sum in lingua mea : Notum fac mihi Dñe finem meum.

Et numerum dierum meorum, quis est : ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos : et substantia mea tanquam nihilum ante te.

Veruntamen universa vanitas : omnis homo vivens.

Veruntamen in imagine pertransit homo : sed et frustra conturbatur.

Thesaurizat : et ignorat cui congregabit ea.

Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dñs, et substantia mea apud te est.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me : opprobrium insipienti dedisti me.

Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti : amove a me plagas tuas.

A fortitudine manus tuæ ego defeci : in increpationibus, propter iniquitatem corripuisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus : veruntamen vane conturbatur omnis homo.

Exaudi orationem meam Dñe, et deprecationem meam : auribus percipe lachrymas meas.

Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te : et peregrinus sicut omnes patres mei.

Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam : et amplius non ero.

Psalmus xxxix.

Expectans expectavi Dñm : et intendit mihi.

Et exaudivit preces meas : et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.

Et statuit super petram pedes meos : et direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum : carmen Deo nostro.

Videbunt multi et timebunt : et sperabunt in Dño.

Beatus vir cujus est nomen Dñi spes ejus : et non respexit in vanitates et insanias falsas.

Multa fecisti tu Dñe Deus meus mirabilia tua : et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi et locutus sum : multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium et oblationem noluisti : aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum et pro peccato non postulasti : tunc dixi; Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus volui : et legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna : ecce labia mea non prohibebo; Dñe tu scisti.

Justitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam et salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam : a concilio multo.

Tu autem Dñe ne longe facias miserationes tuas a me : misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circundederunt me mala quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei : et cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Dñe ut eruas me : Dñe ad adjuvandum me respice.

Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam : ut auferant eam.

Convertantur retrorsum et revereantur : qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam : qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent et lætentur super te omnes quærentes te : et dicant semper, Magnificetur Dñs, qui diligu salutare tuum.

Ego autem mendicus sum et pa-

Digitized by Google

per : Dominus sollicitus est mei.

Adjutor meus, et protector meus tu es : Deus meus ne tardaveris.

Gloria Patri. *A.* Ut non delinquam in lingua mea.

Psalmus xl.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dñs.

Dñs conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra : et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dñs opem ferat illi super lectum doloris ejus : universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi, Dñe miserere mei : sana animam meam quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur et peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur : cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras : et loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei : adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me : nunquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos : magnificavit super me supplantationem.

Tu autem Dñe miserere mei, et resuscita me : et retribuam eis.

In hoc cognovi quoniam voluisti me : quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti : et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dñs Deus Israël : a sæculo, et in sæculum; Fiat, fiat.

Psalmus xlj.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum : quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte : dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam : quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis et confessionis : sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est : propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermonii a monte modico.

Abyssus abyssum invocat : in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua et fluctus tui : super me transierunt.

In die mandavit Dñs misericordiam suam : et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ : dicam Deo, Susceptor meus es :

Quare oblitus es mei? quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi : qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus?

Quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus.

Gloria Patri. *A.* Sana Dñe animam meam, quia peccavi tibi.

Iste Psalmus non dicitur ad Nocturnos. *Psalmus xlij.*

Judica me Deus, et discerne causam meam. (p. 48.)

Digitized by Google

Psalmus xliij.

Deus auribus nostris audivimus : patres nostri annuntiaverunt nobis,

Opus quod operatus es in diebus eorum : et in diebus antiquis.

Manus tua gentes disperdidit et plantasti eos : afflixisti populos et expulisti eos.

Nec enim in gladio suo possederunt terram : et brachium eorum non salvavit eos :

Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui : quoniam complacuisti in eis.

Tu es ipse Rex meus et Deus meus : qui mandas salutes Jacob.

In te inimicos nostros ventilabimus cornu : et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperabo : et gladius meus non salvabit me.

Salvasti enim nos de affligentibus nos : et odientes nos confudisti.

In Deo laudabimur tota die : et in nomine tuo confitebimur in sæculum.

Nunc autem repulisti et confudisti nos : et non egredièris Deus in virtutibus nostris.

Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros : et qui oderunt nos diripiebant sibi.

Dedisti nos tanquam oves escarum : et in gentibus dispersisti nos.

Vendidisti populum tuum sine pretio : et non fuit multitudo in commutationibus eorum.

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris : subsannationem et derisum his qui in circuitu nostro sunt.

Posuisti nos in similitudinem Gentibus : commotionem capitis in populis.

Tota die verecundia mea contra me est : et confusio faciei meæ cooperuit me.

A voce exprobrantis et obloquentis : a facie inimici et persequentis.

Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te : et inique non egimus in testamento tuo.

Et non recessit retro cor nostrum : et declinasti semitas nostras a via tua.

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis : et cooperuit nos umbra mortis.

Si obliti sumus nomen Dei nostri : et si expandimus manus nostras ad deum alienum.

Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.

Quoniam propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis.

Exurge, quare obdormis Dñe? exurge et ne repellas in finem.

Quare faciem tuam avertis : obliviseris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?

Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra : conglutinatus est in terra venter noster.

Exurge Dñe, adjuva nos : et redime nos propter nomen tuum.

Psalmus xliiij.

Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ : velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum : potentissime,

Specie tua et pulchritudine tua : intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ; populi sub te cadent : in corda inimicorum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : virga directionis virga regni tui.

Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus,

Digitized by Google

Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circundata varietate.

Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dñs Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis: circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia et exultatione: adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui Dñe: in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum: et in sæculum sæculi.

Gloria Patri. *A.* Eructavit cor meum verbum bonum.

Psalmus xlv.

Deus noster refugium et virtus: adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus; non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt Gentes, et inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

Dñs virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.

Venite et videte opera Dñi: quæ posuit prodigia super terram.

Auferens bella usque ad finem terræ: arcum conteret, et confringet arma; et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dñs virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.

Psalmus xlvj.

Omnes Gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dñs excelsus terribilis: Rex magnus super omnem terram.

Subjecit populos nobis: et gentes sub pedibus nostris.

Elegit nobis hæreditatem suam: speciem Jacob quam dilexit.

Ascendit Deus in jubilo: et Dñs in voce tubæ.

Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.

Regnabit Deus super Gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

Gloria Patri. *A.* Adjutor in tribulationibus.

Psalmus xlvij.

Magnus Dñs, et laudabilis nimis: in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion: latera aquilonis, civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur: cùm suscipiet eam.

Digitized by Google

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt : convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt : tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis : in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dñi virtutum, in civitate Dei nostri : Deus fundavit eam in æternum.

Suscepimus Deus misericordiam tuam : in medio templi tui.

Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ : justitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ : propter judicia tua Dñe.

Circundate Sion, et complectimini eam : narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus : et distribuite domos ejus ; ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi : ipse reget nos in sæcula.

Psalmus xlviij.

Audite hæc omnes Gentes : auribus percipite omnes qui habitatis orbem.

Quique, terrigenæ et filii hominum : simul in unum dives et pauper.

Os meum loquetur sapientiam : et meditatio cordis mei prudentiam.

Inclinabo in parabolam aurem meam : aperiam in psalterio propositionem meam.

Cur timebo in die mala ? iniquitas calcanei mei circundabit me.

Qui confidunt in virtute sua : et in multitudine divitiarum suarum gloriantur,

Frater non redimit ; redimet homo : non dabit Deo placationem suam,

Et pretium redemptionis animæ suæ : et laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.

Non videbit interitum cùm viderit sapientes morientes : simul insipiens et stultus peribunt.

Et relinquent alienis divitias suas : et sepulchra eorum domus illorum in æternum.

Tabernacula eorum in progenie et progenie : vocaverunt nomina sua in terris suis.

Et homo, cùm in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

Hæc via illorum scandalum ipsis : et postea in ore suo complacebunt.

Sicut oves in inferno positi sunt : mors depascet eos.

Et dominabuntur eorum justi in matutino : et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.

Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi : cùm acceperit me.

Ne timueris cùm dives factus fuerit homo : et cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus.

Quoniam cùm interierit, non sumet omnia : neque descendet cum eo gloria ejus.

Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur : confitebitur tibi cùm benefeceris ei.

Introibit usque in progenies patrum suorum : et usque in æternum non videbit lumen.

Homo, cùm in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

Gloria Patri. *A.* Auribus percipite qui habitatis orbem.

Psalmus xlix.

Deus deorum Dñs locutus est : et vocavit terram,

A solis ortu usque ad occasum : ex Sion species decoris ejus.

Deus manifeste veniet : Deus noster, et non silebit.

Ignis in conspectu ejus exardescet : et in circuitu ejus tempestas valida.

Advocavit cœlum desursum : et

Digitized by Google

terram, discernere populum suum.

Congregate illi sanctos ejus : qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

Et annuntiabunt cœli justitiam ejus : quoniam Deus judex est.

Audi populus meus, et loquar; Israël, et testificabor tibi : Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrificiis tuis arguam te : holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accipiam de domo tua vitulos : neque de gregibus tuis hircos.

Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum : jumenta in montibus et boves.

Cognovi omnia volatilia cœli : et pulchritudo agri mecum est.

Si esuriero non dicam tibi : meus est enim orbis terræ et plenitudo ejus.

Nunquid manducabo carnes taurorum ? aut sanguinem hircorum potabo ?

Immola Deo sacrificium laudis : et redde Altissimo vota tua.

Et invoca me in die tribulationis : eruam te et honorificabis me.

Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas : et assumis testamentum meum per os tuum ?

Tu vero odisti disciplinam : et projecisti sermones meos retrorsum.

Si videbas furem, currebas cum eo : et cum adulteris portionem tuam ponebas.

Os tuum abundavit malitia : et lingua tua concinnabat dolos.

Sedens adversus fratrem tuum loquebaris : et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum; hæc fecisti, et tacui.

Existimasti inique quod ero tui similis : arguam te, et statuam contra faciem tuam.

Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum : nequando rapiat, et non sit qui eripiat.

Sacrificium laudis honorificabit me : et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.

Non dicitur ad Nocturnos iste Psalmus l.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam *etc.* (p. 38.)

Psalmus lj.

Quid gloriaris in malitia : qui potens es in iniquitate ?

Tota die injustitiam cogitavit lingua tua : sicut novacula acuta fecisti dolum.

Dilexisti malitiam super benignitatem : iniquitatem magis quam loqui æquitatem.

Dilexisti omnia verba præcipitationis : lingua dolosa.

Propterea Deus destruet te in finem : evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo; et radicem tuam de terra viventium.

Videbunt justi et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent : Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum :

Sed speravit in multitudine divitiarum suarum : et prævaluit in vanitate sua.

Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei : speravi in misericordia Dei in æternum; et in sæculum sæculi.

Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti : et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

Gloria Patri. *A.* Deus deorum Dominus locutus est.

℣. Immola Deo sacrificium laudis. ℟. Et redde Altissimo vota tua.

Ante Laudes ℣. Fiat misericordia. (p. 38.)

In Laudibus. Aña. Secundum magnam misericordiam tuam, miserere mei Deus. *Ps.* Miserere mei Deus. (*ibid.*)

Psalmus xlij.

Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta :

Digitized by Google

ab homine iniquo et doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea : quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei : ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus : quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei et Deus meus.

Gloria Patri. *A.* Salutare vultus mei, et Deus meus.

A. Ad te de luce vigilo. *Ps.* Deus Deus meus. (p. 12.)

Canticum Ezechiæ : Esajæ xxxviij.

Ego dixi, In dimidio dierum meorum : vadam ad portas inferi.

Quæsivi residuum annorum meorum : dixi, Non videbo Dñm Deum in terra viventium.

Non aspiciam hominem ultra : et habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est, et convoluta est a me : quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est velut a texente vita mea : dum adhuc ordirer, succidit me.

De mane usque ad vesperam finies me : sperabam usque ad mane; quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.

De mane usque ad vesperam finies me : sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati sunt oculi mei : suspicientes in excelsum.

Dñe vim patior, responde pro me : quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerim?

Recogitabo tibi omnes annos meos : in amaritudine animæ meæ.

Dñe si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me et vivificabis me : ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam ut non periret : projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam.

Vivens, vivens, ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie : pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Dñe salvum me fac : et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ, in domo Dñi.

Gloria Patri. *A.* Cunctis diebus vitæ nostræ, salvos fac nos Dñe.

A. In excelsis laudate Deum. *Ps.* Laudate. (p. 13.)

(1) *Cap.* Vigilate. (p. 39.)

A Dñe ne in ira *usque ad* XL, *quando de iij feriâ agitur, dicitur ad Laudes sequens Hymnus.*

Ales diei nuntius
Lucem propinquam præcinit :
Nos excitator mentium,
Jam Christus ad vitam vocat.

Auferte, clamat, lectulos,
Ægros sopore desides :
Castique, recti, ac sobrii
Vigilate : jam sum proximus.

Jesum clamus vocibus,
Flentes, precantes, sobrie :
Intenta supplicatio
Dormire cor mundum vetat.

Tu Christe somnum discute :
Tu rumpe noctis vincula,
Tu solve peccatum vetus,
Novumque lumen ingere.

Deo Patri. (p. 39.)

℣. In matutinis. (*ibid.*)

(2) *Cap.* Vigilate. *Per Æstatem Hymnus,* Ecce jam noctis. (p. 15.)

℣. In matutinis.

A. Et erit Dñs nobis cornu salutis, in domo Davíd pueri sui. *Ps.* Benedictus. (*ibid.*)

Preces ut supra in ij feriâ. Oratio ut decet. Cætera ut supra.

Digitized by Google

FERIA QUARTA.

Ad Matutinas.

Invitatorium: In manu tua Dñe, Omnes fines terræ. *Ps.* Venite.

A Dñe ne in ira *usque ad* XL, *quando de iiij feriâ agitur, dicitur ad Mat. sequens Hymnus.*

Rerum Creator optime,
Rectorque noster, aspice,
Nos a quiete noxia
Mersos sopore libera.

Te, Christe sancte, poscimus,
Ignosce tu criminibus:
Ad confitendum surgimus,
Morasque noctis rumpimus.

Mentes manusque tollimus:
Propheta (sicut novimus)
Nobis gerendum præcipit,
Paulusque gestis censuit.

Vides malum, quod fecimus:
Occulta nostra pandimus:
Preces gementes fundimus:
Dimitte quod peccavimus.

[Gloria tibi, Dñe. (p. 1.) *vel*] Præsta Pater. (*ibid.*)

Per Æstatem Hymnus Nocte surgentes. (*ibid.*)

Psalmus lij.

Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.

Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum: ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem: qui devorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocaverunt: illic trepidaverunt timore, ubi non fuit timor.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutare Israël? cùm converterit Deus captivitatem plebis suæ: exultabit Jacob, et lætabitur Israël.

Non dicitur ad Nocturnos iste Ps. liij. Deus, in nomine. (p. 18.)

Psalmus lviij.

Exaudi Deus orationem meam: et ne despexeris deprecationem meam; intende mihi, et exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione mea: et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.

Quoniam declinaverunt in me iniquitates: et in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbatum est in me: et formido mortis cecidit super me.

Timor et tremor venerunt super me: et contexerunt me tenebræ.

Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ: et volabo, et requiescam?

Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine.

Expectabam eum qui salvum me fecit: a pusillanimitate spiritus et tempestate.

Præcipita Dñe, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.

Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas; et labor in medio ejus, et injustitia.

Et non defecit de plateis ejus: usura et dolus.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi: sustinuissem utique.

Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.

Tu vero homo unanimis: dux meus et notus meus:

Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.

Veniat mors super illos: et descendant in infernum viventes.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum.

Ego autem ad Deum clamavi: et Dñs salvavit me.

Digitized by Google

Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo : et exaudiet vocem meam.

Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi : quoniam inter multos erant mecum.

Exaudiet Deus, et humiliabit illos : qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum : extendit manum suam in retribuendo.

Contaminaverunt testamentum ejus : divisi sunt ab ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius.

Molliti sunt sermones ejus super oleum : et ipsi sunt jacula.

Jacta super Dñm curam tuam et ipse te enutriet : et non dabit in æternum fluctuationem justo.

Tu vero Deus deduces eos : in puteum interitus.

Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos : ego autem sperabo in te Dñe.

Gloria Patri. *A.* Avertet Dñs captivitatem plebis suæ.

Psalmus lv.

Miserere mei Deus quoniam conculcavit me homo : tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die : quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo : ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos; in Deo speravi : non timebo quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur : adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt et abscondent : ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos : in ira populos confringes.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi : posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.

Sicut et in promissione tua : tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacunque die invocavero te : ecce cognovi quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Dño laudabo sermonem : in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua : quæ reddam, laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu : ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Psalmus lvj.

Miserere mei Deus, miserere mei : quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo : donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum : Deum qui benefecit mihi.

Misit de cœlo, et liberavit me : dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam : et eripuit animam meam de medio catulorum leonum; dormivi conturbatus.

Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ : et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cœlos Deus : et in omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis : et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam : et inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum : cantabo et psalmum dicam Dño.

Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara : exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Dñe : et psalmum dicam tibi in Gentibus :

Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua : et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus : et super omnem terram gloria tua.

Digitized by Google

Gloria Patri. *A.* Quoniam in te confidit anima mea.

Psalmus lvij.

Si vere utique justitiam loquimini : recta judicate filii hominum.

Etenim in corde iniquitates operamini in terra : injustitias enim manus vestræ concinnant.

Alienati sunt peccatores a vulva; erraverunt ab utero : locuti sunt falsa.

Furor illis secundum similitudinem serpentis : sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas.

Quæ non exaudiet vocem incantantium : et venefici incantantis sapienter.

Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum : molas leonum confringet Dñs.

Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens : intendit arcum suum donec infirmentur.

Sicut cera quæ fluit, auferentur : supercecidit ignis, et non viderunt solem.

Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum : sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

Lætabitur justus cum viderit vindictam : manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

Et dicet homo, Si utique est fructus justo : utique est Deus judicans eos in terra.

Psalmus lviij.

Eripe me de inimicis meis Deus meus : et ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem : et de viris sanguinum salva me.

Quia ecce ceperunt animam meam : irruerunt in me fortes.

Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Dñe : sine iniquitate cucurri, et direxi.

Exurge in occursum meum, et vide : et tu Dñe Deus virtutum, Deus Israël.

Intende ad visitandas omnes Gentes : non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.

Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes : et circuibunt civitatem.

Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum : quoniam quis audivit?

Et tu Dñe deridebis eos : et ad nihilum deduces omnes Gentes.

Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus : Deus meus, misericordia ejus præveniet me.

Deus ostendit mihi super inimicos meos; ne occidas eos : nequando obliviscantur populi mei.

Disperge illos in virtute tua : et depone eos protector meus Dñe.

Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum : et comprehendantur in superbia sua.

Et de execratione et mendacio : annuntiabuntur in consummatione.

In ira consummationis, et non erunt : et scient quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ.

Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes : et circuibunt civitatem.

Ipsi dispergentur ad manducandum : si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam : et exaltabo mane misericordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus : et refugium meum in die tribulationis meæ.

Adjutor meus, tibi psallam : quia Deus susceptor meus es; Deus meus, misericordia mea.

Gloria Patri. *A.* Juste judicate filii hominum.

Psalmus lix.

Deus repulisti nos, et destruxisti nos : iratus es et misertus es nobis.

Commovisti terram et conturbasti

Digitized by Google

eam : sana contritiones ejus; quia commota est.

Ostendisti populo tuo dura : potasti nos vino compunctionis.

Dedisti metuentibus te significationem : ut fugiant a facie arcus.

Ut liberentur dilecti tui : salvum fac dextera tua, et exaudi me.

Deus locutus est in sancto suo : lætabor et partibor Sichimam; et convallem tabernaculorum metibor.

Meus est Galaad, et meus est Manasses : et Ephraim fortitudo capitis mei.

Juda rex meus : Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ subditi sunt.

Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?

Nonne tu Deus, qui repulisti nos : et non egredièris Deus in virtutibus nostris?

Da nobis auxilium de tribulatione : quia vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem : et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Psalmus lx.

Exaudi Deus deprecationem meam : intende orationi meæ.

A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum : in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea : turris fortitudinis a facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula : protegar in velamento alarum tuarum.

Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam : dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjicies : annos ejus usque in diem generationis et generationis.

Permanet in æternum in conspectu Dei : misericordiam et veritatem ejus quis requiret?

Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi : ut reddam vota mea de die in diem.

Gloria Patri. *A.* Da nobis Dñe auxilium de tribulatione.

Psalmus lxj.

Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.

Nam et ipse Deus meus et salutaris meus : susceptor meus non movebor amplius.

Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ?

Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere : cucurri in siti; ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.

Veruntamen Deo subjecta esto anima mea : quoniam ab ipso patientia mea.

Quia ipse Deus meus et salvator meus : adjutor meus; non emigrabo.

In Deo salutare meum, et gloria mea : Deus auxilii mei; et spes mea in Deo est.

Sperate in eo omnis congregatio populi : effundite coram illo corda vestra; Deus adjutor noster in æternum.

Veruntamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere : divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Semel locutus est Deus, duo hæc audivi; quia potestas Dei est, et tibi Dñe misericordia : quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

Non dicatur ad Nocturnos sequens Ps. lxij Deus Deus meus. (p. 12.)

Psalmus lxiij.

Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor : a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu mali-

Digitized by Google

gnantium : a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas : intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timębunt : firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt ut absconderent laqueos : dixerunt, Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates : defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum : et exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum : et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati sunt omnes qui videbant eos : et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei : et facta ejus intellexerunt.

Lætabitur justus in Dño et sperabit in eo : et laudabuntur omnes recti corde.

Gloria Patri. *A.* A timore inimici mei, eripe Dñe animam meam.

Non dicitur ad Nocturnos iste Psalmus lxiiij.

Te decet hymnus Deus in Sion : et tibi reddetur votum in Hierusalem.

Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos : et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegisti, et assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster : spes omnium finium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia : qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis tuis : exitus matutini et vespere delectabis.

Visitasti terram et inebriasti eam : multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis : parasti cibum illorum; quoniam ita est præparatio ejus.

Rivos ejus inebrians, multiplica genimina ejus : in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ : et campi tui replebuntur ubertate.

Pinguescent speciosa deserti : et exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento : clamabunt; etenim hymnum dicent.

Psalmus lxv.

Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus : date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, Quam terribilia sunt opera tua Dñe : in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi : psalmum dicat nomini tuo.

Venite et videte opera Dei : terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam; in flumine pertransibunt pede : ibi lætabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æternum; oculi ejus super gentes respiciunt : qui exasperant non exaltentur in semetipsis.

Benedicite Gentes Deum nostrum : et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam meam ad vitam : et non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos Deus : igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro : imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem et aquam : et eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in ho-

Digitized by Google

locaustis : reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum : in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum : offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum · quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamavi : et exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo : non exaudiet Dñs.

Propterea exaudivit Deus : et attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus, qui non amovit deprecationem meam : et misericordiam suam a me.

Non dicitur ad Nocturnos iste Psalm. lxvj Deus misereatur. (p. 13.)

Psalmus lxvij.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus : et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant : sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei : et delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus : iter facite ei qui ascendit super occasum; Dñs nomen illi.

Exultate in conspectu ejus : turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, et judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo : Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine : similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Deus cùm egredereris in conspectu populi tui : cùm pertransires in deserto;

Terra mota est; etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai : a facie Dei Israël.

Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ; et infirmata est : tu vero perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea : parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.

Dñs dabit verbum euangelizantibus : virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti : et speciei domûs dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ : et posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit Cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon : mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis : ut quid suspicamini montes coagulatos?

Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : etenim Dñs habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium : Dñs in eis, in Sinai in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitatem : accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes : inhabitare Dñm Deum.

Benedictus Dñs die quotidie : prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster, Deus salvos faciendi : et Dñi Dñi exitus mortis.

Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum : verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dñs, Ex Basan convertam : convertam in profundum maris :

Ut intingatur pes tuus in sanguine : lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Viderunt ingressus tuos Deus : Ingressus Dei mei, Regis mei qui est in sancto.

Prævenerunt principes conjuncti psallentibus : in medio juvenculârum tympanistriarum.

In ecclesiis benedicite Deo : Dño de fontibus Israël.

Ibi Benjamin adolescentulus : in mentis excessu.

Digitized by Google

Principes Juda, duces eorum : principes Zabulon, et principes Neptalim.

Manda Deus virtuti tuæ : confirma hoc Deus quod operatus es in nobis :

A templo tuo in Hierusalem : tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum : ut excludant eos qui probati sunt argento.

Dissipa gentes quæ bella volunt ; venient legati ex Ægypto : Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantate Deo : psallite Dño :

Psallite Deo qui ascendit super cœlum cœli : ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis ; date gloriam Deo super Israël : magnificentia ejus et virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis : Deus Israël ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suæ ; benedictus Deus.

Gloria Patri. *A.* In ecclesiis benedicite Dño.

℣. Deus vitam meam annuntiavi tibi. ℟. Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.

ANTE LAUDES. ℣. Fiat misericordia. (p. 38.)

In Laudibus Aña. Amplius lava me Deus ab injustitia mea. *Ps.* Miserere. (*ibid.*)

A. Te decet hymnus Deus in Sion. *Ps. Ipsum.* (p. 54.)

A. Labia mea laudabunt te in vita mea, Deus meus. *Ps.* Deus Deus meus. (p. 12.)

Canticum Annæ : j Regum ij.

Exultavit cor meum in Dño : et exaltatum est cornu meum in Deo meo.

Dilatatum est os meum super inimicos meos : quia lætata sum in salutari tuo.

Non est sanctus ut est Dñs ; neque enim est alius extra te : et non est fortis sicut Deus noster.

Nolite multiplicare loqui sublimia : gloriantes.

Recedant vetera de ore vestro : quia Deus scientiarum Dñs est, et ipsi præparantur cogitationes.

Arcus fortium superatus est : et infirmi accincti sunt robore.

Repleti prius, pro panibus se locaverunt : et famelici saturati sunt.

Donec sterilis peperit plurimos : et quæ multos habebat filios, infirmata est.

Dñs mortificat et vivificat : deducit ad inferos et reducit.

Dñs pauperem facit et ditat : humiliat et sublevat.

Suscitans de pulvere egenum : et de stercore erigens pauperem.

Ut sedeat cum principibus : et solium gloriæ teneat.

Dñi enim sunt cardines terræ : et posuit super eos orbem.

Pedes sanctorum suorum servabit : et impii in tenebris conticescent ; quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

Dñm formidabunt adversarii ejus : et super ipsos in cœlis tonabit.

Dñs judicabit fines terræ, et dabit imperium Regi suo : et sublimabit cornu Christi sui,

Gloria Patri. *A.* Dñs judicabit fines terræ.

A. Cœli cœlorum laudate Deum. *Ps.* Laudate Dñm de cœlis. (p. 13.)

(1) *Cap.* Vigilate et orate. (p. 39.)

A Dñe ne in ira *usque ad* XL, *quando de iiij feriâ agitur, dicitur ad Laudes sequens Hymnus.*

Nox, et tenebræ, et nubila,
Confusa mundi, et turbida :
Lux intrat, albescit polus :
Christus venit, discedite.

Caligo terræ scinditur,
Percussa solis spiculo,
Rebusque jam color redit
Vultu nitentis sideris.

Te Christe, solum novimus :
Te mente pura et simplici,

Digitized by Google

Flendo, canendo, quæsumus,
Intende nostris sensibus.
Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgentur tua :
Tu lux Eoi sideris,
Vultu sereno illumina.
Deo Patri (p. 39.)
℣. In matutinis. (*ibid.*)
(2) *Cap.* Vigilate, *etc. Per Æstatem Hymnus* Ecce jam. (p. 15.)
℣. In matutinis.
℟. Salutem ex inimicis nostris; et de manu omnium qui nos oderunt libera nos Dñe. *Ps.* Benedictus. (*ib.*)
Preces ut supra. Oratio ut decet.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinas.

Invitatorium : Adoremus Dñm; Quoniam ipse fecit nos. *Ps.* Venite, exultemus.
Pro historiâ Dñe ne in ira.
A Dñe ne in ira *usque ad* XL, *quando de v feriâ agitur, dicitur ad Mat. sequens Hymnus :*

Nox atra rerum contegit
Terræ colores omnium :
Nos confitentes poscimus
Te, juste judex cordium,
Ut auferas piacula,
Sordesque mentis abluas :
Donesque, Christe, gratiam,
Ut arceantur crimina.
Mens ecce torpet impia,
Quam culpa mordet noxia :
Obscura gestit tollere,
Et te, Redemptor, quærere.
Repelle tu caliginem
Intrinsecus quam maxime,
Ut in beato gaudeat
Se collocari lumine.
[Gloria tibi, Dñe. (p. 1.) *vel*]
Præsta Pater. (*ibid.*)
Per Æstatem Hymnus Nocte surgentes. (*ibid.*)
Super Nocturnum Psalmus lxviij.

Salvum me fac Deus : quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.
Infixus sum in limo profundi : et non est substantia.
Veni in altitudinem maris : et tempestas demersit me.
Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.
Multiplicati sunt super capillos capitis mei : qui oderunt me gratis.
Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste : quæ non rapui, tunc exolvebam.
Deus tu scis insipientiam meam : et delicta mea a te non sunt abscondita.
Non erubescant in me qui expectant te Dñe : Dñe virtutum.
Non confundantur super me : qui quærunt te, Deus Israël.
Quoniam propter te sustinui opprobrium : operuit confusio faciem meam.
Extraneus factus sum fratribus meis : et peregrinus filiis matris meæ.
Quoniam zelus domus tuæ comedit me : et opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.
Et operui in jejunio animam meam : et factum est in opprobrium mihi.
Et posui vestimentum meum cilicium : et factus sum illis in parabolam.
Adversum me loquebantur qui sedebant in porta : et in me psallebant qui bibebant vinum.
Ego vero orationem meam ad te Dñe : tempus beneplaciti Deus.
In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me : in veritate salutis tuæ.
Eripe me de luto, ut non infigar : libera me ab his qui oderunt me et de profundis aquarum.
Non me demergat tempestas aquæ : neque absorbeat me profundum; neque urgeat super me puteus os suum.
Exaudi me Dñe, quoniam benigna est misericordia tua : secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.
Et ne avertas faciem tuam a puero tuo : quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Digitized by Google

Intende animæ meæ, et libera eam : propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meum et confusionem meam : et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me : improperium expectavit cor meum et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel : et in siti mea potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum : et in retributiones et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum ne videant : et dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam : et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta : et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt : et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum : et non intrent in justitiam tuam.

Deleantur de libro viventium : et cum justis non scribantur.

Ego sum pauper et dolens : salus tua Deus suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico : et magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super vitulum novellum : cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes et lætentur : quærite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dñs : et vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli et terra : mare et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam faciet Sion : et ædificabuntur civitates Judæ.

Et inhabitabunt ibi : et hæreditate acquirent eam.

Et semen servorum ejus possidebit eam : et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.

Psalmus lxix.

Deus in adjutorium meum intende : Dñe ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur : qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum et erubescant : qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes : qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te : et dicant semper, Magnificetur Dñs, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum : Deus adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es tu : Dñe ne moreris.

Gloria Patri. *A.* Dñe Deus in adjutorium meum intende.

Psalmus lxx.

In te Dñe speravi, non confundar in æternum : in justitia tua libera me et eripe me.

Inclina ad me aurem tuam : et salva me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum : ut salvum me facias.

Quoniam firmamentum meum : et refugium meum es tu.

Deus meus eripe me de manu peccatoris : et de manu contra legem agentis et iniqui.

Quoniam tu es patientia mea Dñe : Dñe spes mea a juventute mea.

In te confirmatus sum ex utero : de ventre matris meæ tu es protector meus :

In te cantatio mea semper : tanquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis.

Replcatur os meum laude ut cantem gloriam tuam : tota die magnitudinem tuam.

Ne projicias me in tempore senec-

Digitized by Google

tutis : cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi : et qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum.

Dicentes, Deus dereliquit eum : persequimini et comprehendite eum; quia non est qui eripiat.

Deus ne elongeris a me : Deus meus in auxilium meum respice.

Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ : operiantur confusione et pudore qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo : et adjiciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiabit justitiam tuam : tota die salutare tuum.

Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Dñi : Dñe memorabor justitiæ tuæ solius.

Deus docuisti me a juventute mea : et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

Et usque in senectam et senium : Deus ne derelinquas me :

Donec annuntiem brachium tuum: generationi omni quæ ventura est :

Potentiam tuam et justitiam tuam Deus usque in altissima, quæ fecisti magnalia : Deus, quis similis tibi ?

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas; et conversus vivificasti me : et de abyssis terræ iterum reduxisti me.

Multiplicasti magnificentiam tuam : et conversus consolatus es me.

Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi : veritatem tuam Deus; psallam tibi in cithara, sanctus Israël.

Exultabunt labia mea cùm cantavero tibi : et anima mea quam redemisti.

Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam : cùm confusi et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.

Psalmus lxxj.

Deus judicium tuum Regi da : et justitiam tuam filio Regis :

Judicare populum tuum in justitia : et pauperes tuos in judicio.

Suscipiant montes pacem populo : et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum : et humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum sole et ante lunam : in generatione et generationem.

Descendet sicut pluvia in vellus : et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis : donec auferatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare : et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes : et inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis et insulæ munera offerent : reges Arabum et Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges : omnes gentes servient ei.

Quia liberabit pauperem a potente : et pauperem cui non erat adjutor.

Parcet pauperi et inopi : et animas pauperum salvas faciet.

Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum : et honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet et dabitur ei de auro Arabiæ : et adorabunt de ipso semper; tota die benedicent ei.

Erit firmamentum in terra in summis montium; superextolletur super Libanum fructus ejus : et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula : ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : omnes gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dñs Deus Israël : qui facit mirabilia solus :

Digitized by Google

Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum : et replebitur majestate ejus omnis terra; Fiat, fiat.

Gloria Patri. *A.* Esto mihi Dñe in Deum protectorem.

Psalmus lxxij.

Quam bonus Israël Deus : his qui recto sunt corde.

Mei autem pene moti sunt pedes : pene effusi sunt gressus mei.

Quia zelavi super iniquos : pacem peccatorum videns.

Quia non est respectus morti eorum : et firmamentum in plaga eorum.

In labore hominum non sunt : et cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo tenuit eos superbia : operti sunt iniquitate et impietate sua.

Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum : transierunt in affectum cordis.

Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam : iniquitatem in excelso locuti sunt.

Posuerunt in cœlum ôs suum : et lingua eorum transivit in terra.

Ideo convertetur populus meus hîc : et dies pleni invenientur in eis.

Et dixerunt, Quomodo scit Deus : et si est scientia in Excelso?

Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo : obtinuerunt divitias.

Et dixi, Ergo sine causa justificavi cor meum : et lavi inter innocentes manus meas :

Et fui flagellatus tota die : et castigatio mea in matutinis.

Si dicebam, Narrabo sic : ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

Existimabam ut cognoscerem : hoc labor est ante me.

Donec intrem in sanctuarium Dei : et intelligam in novissimis eorum.

Veruntamen propter dolos posuisti eis : dejecisti eos dum allevarentur.

Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt : perierunt propter iniquitatem suam.

Velut somnium surgentium Dñe : in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt : et ego ad nihilum redactus sum et nescivi.

Ut jumentum factus sum apud te : et ego semper tecum.

Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me : et cum gloria suscepisti me.

Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram?

Defecit caro mea et cor meum : Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum.

Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt : perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærere Deo bonum est : ponere in Dño Deo spem meam :

Ut annuntiem omnes prædicationes tuas : in portis filiæ Sion.

Psalmus lxxiij.

Ut quid Deus repulisti in finem : iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?

Memor esto congregationis tuæ : quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ : mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem : quanta malignatus est inimicus in sancto.

Et gloriati sunt qui oderunt te : in medio solennitatis tuæ.

Posuerunt signa sua, signa : et non cognoverunt sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum : in securi et ascia dejecerunt eam.

Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra : polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul : Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Digitized by Google

Signa nostra non vidimus, jam non est propheta : et nos non cognoscet amplius.

Usquequo Deus improperabit inimicus : irritat adversarius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam : et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula : operatus est salutem in medio terræ.

Tu confirmasti in virtute tua mare : contribulasti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita draconis : dedisti eum escam populis Æthiopum.

Tu dirupisti fontes et torrentes : tu siccasti fluvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox : tu fabricatus es auroram et solem.

Tu fecisti omnes terminos terræ : æstatem et ver tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimicus improperavit Dño : et populus insipiens incitavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi : et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Respice in testamentum tuum : quia repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

Ne avertatur humilis factus confusus : pauper et inops laudabunt nomen tuum.

Exurge Deus, judica causam tuam : memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum : superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

Gloria Patri. *A.* Liberasti virgam hæreditatis tuæ.

Psalmus lxxiiij.

Confitebimur tibi Deus, confitebimur : et invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua : cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea : ego confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis, Nolite inique agere : et delinquentibus, Nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrum : nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus : quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat et hunc exaltat : quia calix in manu Dñi vini meri plenus mixto.

Et inclinavit ex hoc in hoc; veruntamen fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ.

Ego autem annuntiabo in sæculum : cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam : et exaltabuntur cornua justi.

Psalmus lxxv.

Notus in Judæa Deus : in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus : et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias : arcum, scutum, gladium et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis : turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum : et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua Deus Jacob : dormitaverunt qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es et quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

De cœlo auditum fecisti judicium : terra tremuit et quievit,

Cùm exurgeret in judicio Deus : ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi : et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

Digitized by Google

Vovete et reddite Dño Deo vestro: omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili et ei qui aufert spiritum principum: terribili apud reges terræ.

Gloria Patri. *A.* In Israël magnum nomen ejus.

Psalmus lxxvi.

Voce mea ad Dñm clamavi: voce mea ad Deum, et intendit mihi.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum: et non sum deceptus.

Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum; et defecit spiritus meus.

Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus sum et non sum locutus.

Cogitavi dies antiquos: et annos æternos in mente habui.

Et meditatus sum nocte cum corde meo: et exercitabar et scopebam spiritum meum.

Nunquid in æternum projiciet Deus: aut non apponet ut complacitior sit adhuc?

Aut in finem misericordiam suam abscindet: a generatione in generationem?

Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?

Et dixi, Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.

Memor fui operum Dñi: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

Et meditabor in omnibus operibus tuis: et in adinventionibus tuis exercebor.

Deus in sancto via tua; quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.

Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph.

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ et timuerunt: et turbatæ sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est et contremuit terra.

In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis: et vestigia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves populum tuum: in manu Moysi et Aaron.

Psalmus lxxvij.

Attendite populе meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.

Quanta audivimus et cognovimus ea: et patres nostri narraverunt nobis.

Non sunt occultata a filiis eorum: in generatione altera.

Narrantes laudes Dñi et virtutes ejus: et mirabilia ejus quæ fecit.

Et suscitavit testimonium in Jacob: et legem posuit in Israël.

Quanta mandavit patribus nostris: nota facere ea filiis suis; ut cognoscat generatio altera;

Filii qui nascentur et exurgent: et narrabunt filiis suis.

Ut ponant in Deo spem suam: et non obliviscantur operum Dei; et mandata ejus exquirant.

Ne fiant sicut patres eorum: generatio prava et exasperans.

Generatio quæ non direxit cor suum: et non est creditus cum Deo spiritus ejus.

Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum: conversi sunt in die belli.

Non custodierunt testamentum Dei: et in lege ejus noluerunt ambulare.

Et obliti sunt benefactorum ejus: et mirabilium ejus quæ ostendit eis.

Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti: in campo Thaneos.

Digitized by Google

Interrupit mare et perduxit eos : et statuit aquas quasi in utre.

Et deduxit eos in nube diei : et tota nocte in illuminatione ignis.

Interrupit petram in eremo : et adaquavit eos velut in abysso multa.

Et eduxit aquam de petra : et deduxit tanquam flumina aquas.

Et apposuerunt adhuc peccare ei : in iram concitaverunt Excelsum in inaquoso.

Et tentaverunt Deum in cordibus suis : ut peterent escas animabus suis.

Et male locuti sunt de Deo : dixerunt, Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?

Qui percussit petram, et fluxerunt aquæ : et torrentes inundaverunt :

Nunquid et panem poterit dare : aut parare mensam populo suo?

Ideo audivit Dns et distulit : et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israël.

Quia non crediderunt in Deo : nec speraverunt in salutari ejus.

Et mandavit nubibus desuper : et januas cœli aperuit.

Et pluit illis manna ad manducandum : et panem cœli dedit eis.

Panem angelorum manducavit homo : cibaria misit eis in abundantia.

Transtulit Austrum de cœlo : et induxit in virtute sua Africum.

Et pluit super eos sicut pulverem carnes : et sicut arenam maris volatilia pennata.

Et ceciderunt in medio castrorum eorum : circa tabernacula eorum.

Et manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis : non sunt fraudati a desiderio suo.

Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum : et ira Dei ascendit super eos.

Et occidit pingues eorum : et electos Israël impedivit.

In omnibus his peccaverunt adhuc : et non crediderunt in mirabilibus ejus.

Et defecerunt in vanitate dies eorum : et anni eorum cum festinatione.

Cùm occideret eos, quærebant eum et revertebantur : et diluculo veniebant ad eum.

Et rememorati sunt quia Deus adjutor est eorum : et Deus excelsus redemptor eorum est.

Et dilexerunt eum in ore suo : et lingua sua mentiti sunt ei.

Cor autem eorum non erat rectum cum eo : nec fideles habiti sunt in testamento ejus.

Ipse autem est misericors et propitius fiet peccatis eorum : et non disperdet eos.

Et abundavit ut averteret iram suam : et non accendit omnem iram suam.

Et recordatus est quia caro sunt : spiritus vadens et non rediens.

Quotiens exacerbaverunt eum in deserto : in iram concitaverunt eum in inaquoso?

Et conversi sunt et tentaverunt Deum : et sanctum Israël exacerbaverunt.

Non sunt recordati manus ejus : die qua redemit eos de manu tribulantis.

Sicut posuit in Ægypto signa sua : et prodigia sua in campo Thaneos.

Et convertit in sanguinem flumina eorum : et imbres eorum, ne biberent.

Misit in eos cynomyiam, et comedit eos : et ranam, et disperdidit eos.

Et dedit ærugini fructus eorum : et labores eorum locustæ.

Et occidit in grandine vineas eorum : et moros eorum in pruina.

Et tradidit grandini jumenta eorum : et possessionem eorum igni.

Misit in eos iram indignationis suæ : indignationem et iram, et tribulationem ; immissiones per angelos malos.

Viam fecit semitæ iræ suæ, et non pepercit a morte animarum eorum :

Digitized by Google

et jumenta eorum in morte conclusit.

Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

Et abstulit sicut oves populum suum: et perduxit eos tanquam gregem in deserto.

Et eduxit eos in spe, et non timuerunt: et inimicos eorum operuit mare.

Et induxit eos in montem sanctificationis suæ: montem, quem acquisivit dextera ejus.

Et ejecit a facie eorum Gentes: et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.

Et habitare fecit in tabernaculis eorum: tribus Israël.

Et tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum: et testimonia ejus non custodierunt.

Et averterunt se, et non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.

In iram concitaverunt eum in collibus suis: et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.

Audivit Deus et sprevit: et ad nihilum redegit valde Israël.

Et repulit tabernaculum Silo: tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus.

Et tradidit in captivitatem virtutem eorum: et pulchritudinem eorum in manus inimici.

Et conclusit in gladio populum suum: et hæreditatem suam sprevit.

Juvenes eorum comedit ignis: et virgines eorum non sunt lamentatæ.

Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: et viduæ eorum non plorabantur.

Et excitatus est tanquam dormiens Dñs: tanquam potens crapulatus a vino.

Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.

Et repulit tabernaculum Joseph: et tribum Ephraim non elegit:

Sed elegit tribum Juda: montem Sion quem dilexit.

Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum: in terra quam fundavit in sæcula.

Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum,

Pascere Jacob servum suum: et Israël hæreditatem suam:

Et pavit eos in innocentia cordis sui: et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

Gloria Patri. *A.* Tu es Deus, qui facis mirabilia.

Psalmus lxxviij.

Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum; posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem: et non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo Dñe irascêris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt: et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt:

Quia comederunt Jacob: et locum ejus desolaverunt

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui Dñe libera nos: et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum:

Ne forte dicant in Gentibus, Ubi est Deus eorum? et innotescat in nationibus coram oculis nostris,

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est: introëat in conspec-

Digitized by Google

tu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui : posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum : improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus et oves pascuæ tuæ : confitebimur tibi in sæculum.

In generatione et generationem : annuntiabimus laudem tuam.

Psalmus lxxix.

Qui regis Israël, intende : qui deducis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Cherubin : manifestare coram Ephraïm, Benjamin, et Manasse.

Excita potentiam tuam, et veni : ut salvos facias nos.

Deus converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Dñe Deus virtutum : quousque irascêris super orationem servi tui?

Cibabis nos pane lachrymarum : et potum dabis nobis in lachrymis in mensura?

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris : et inimici nostri subsannaverunt nos.

Deus virtutum converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Vineam de Ægypto transtulisti : ejecisti Gentes, et plantasti eam.

Dux itineris fuisti in conspectu ejus : et plantasti radices ejus, et implevit terram.

Operuit montes umbra ejus : et arbusta ejus cedros Dei.

Extendit palmites suos usque ad mare : et usque ad flumen propagines ejus.

Ut quid destruxisti maceriam ejus : et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?

Exterminavit eam aper de silva : et singularis ferus depastus est eam.

Deus virtutum convertere : respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam.

Et perfice eam quam plantavit dextera tua : et super filium hominis quem confirmasti tibi.

Incensa igni et suffossa : ab increpatione vultus tui peribunt.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ : et super filium hominis quem confirmasti tibi.

Et non discedimus a te ; vivificabis nos : et nomen tuum invocabimus.

Dñe Deus virtutum converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Gloria Patri. *A.* Propitius esto peccatis nostris, Domine.

℣ Gaudebunt labia mea dum cantavero tibi. ℟ Et anima mea quam redemisti.

ANTE LAUDES ℣. Fiat mis. (p. 38.)

In Laudibus A. Tibi soli peccavi : Dñe miserere mei. *Ps.* Miserere mei Deus. (*ibid.*)

Psalmus lxxxix.

Domine, refugium factus es nobis : a generatione in generationem.

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis : a sæculo et usque in sæculum tu es Deus.

Ne avertas hominem in humilitatem : et dixisti, convertimini filii hominum.

Quoniam mille anni ante oculos tuos : tanquam dies hesterna, quæ præteriit,

Et custodia in nocte : quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat : vespere decidat, induret, et arescat.

Quia defecimus in ira tua : et in furore tuo turbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo : sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

Quoniam omnes dies nostri defecerunt : et in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur : dies annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni.

Digitized by Google

Si autem in potentatibus octoginta anni : et amplius eorum labor et dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo : et corripiemur.

Quis novit potestatem iræ tuæ : et præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Dexteram tuam sic notam fac : et eruditos corde in sapientia.

Convertere Dñe usquequo : et deprecabilis esto super servos tuos.

Repleti sumus mane misericordia tua : et exultavimus et delectati sumus omnibus diebus nostris.

Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti : annis quibus vidimus mala.

Respice in servos tuos et in opera tua : et dirige filios eorum.

Et sit splendor Dñi Dei nostri super nos; et opera manuum nostrarum dirige super nos : et opus manuum nostrarum dirige.

Gloria Patri. *A.* Dñe refugium factus es nobis.

A. In matutinis, Dñe, meditabor in te. *Ps.* Deus Deus meus. (p. 12.)

Canticum Moysi : Exodi xv.

Cantemus Dño; gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem projecit in mare.

Fortitudo mea et laus mea Dñs : et factus est mihi in salutem.

Iste Deus meus, et glorificabo eum : Deus patris mei, et exaltabo eum.

Dñs quasi vir pugnator; Omnipotens nomen ejus : currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare.

Electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro : abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.

Dextera tua Dñe magnificata est in fortitudine, dextera tua Dñe percussit inimicum : et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos.

Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam : et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ.

Stetit unda fluens : congregatæ sunt abyssi in medio mari.

Dixit inimicus, Persequar et comprehendam : dividam spolia; implebitur anima mea.

Evaginabo gladium meum : et interficiet eos manus mea.

Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare : submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

Quis similis tui in fortibus Dñe? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia?

Extendisti manum tuam : et devoravit eos terra.

Dux fuisti in misericordia tua : populo quem redemisti.

Et portasti eum in fortitudine tua : ad habitaculum sanctum tuum.

Ascenderunt populi, et irati sunt : dolores obtinuerunt habitatores Philistiim.

Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor : obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

Irruat super eos formido et pavor : in magnitudine brachii tui.

Fiant immobiles quasi lapis : donec pertranseat populus tuus Dñe; donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.

Introduces eos et plantabis in monte hæreditatis tuæ : firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Dñe.

Sanctuarium tuum Dñe, quod firmaverunt manus tuæ : Dñs regnabit in æternum et ultra.

Ingressus est enim eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare : et reduxit super eos Dñs aquas maris.

Filii autem Israël ambulaverunt per siccum : in medio ejus.

Gloria Patri. *A.* In æternum Dñs regnabit et ultra.

Digitized by Google

℟. In sanctis ejus laudate Deum. *Ps.* Laudate Dñm de cœlis. (p. 13.)

Cap. Vigilate. (p. 39.)

(1) *A* Dñe ne in ira *usque ad* XL, *quando de v feriâ agitur, dicitur ad Laudes sequens Hymnus.*

Lux ecce surgit aurea :
Pallens fatiscat cæcitas,
Quæ nosmet in præceps diu
Errore traxit devio.

Hæc lux serenum conferat,
Purosque nos præstet sibi :
Nihil loquamur subdolum ;
Volvamus obscurum nihil.

Sic tota discurrat dies ;
Ne lingua mendax, nec manus,
Oculi nec peccent lubrici,
Nec noxa corpus inquinet.

Spectator astat desuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actusque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.

Deo Patri. (p. 39.)

℣. In matutinis. (*ibid.*)

(2) *Per Æstatem Hymnus* Ecce jam noctis. (p. 15.) ℣. In matutinis. ℟. In sanctitate serviamus Dño, et liberabit nos ab inimicis nostris. *Ps.* Benedictus. (p. 15.)

FERIA SEXTA.

Ad Matutinas.

Invitatorium : Dominum qui fecit nos ; Venite adoremus. *Ps.* Venite exultemus.

A Dñe ne in ira *usque ad* XL, *quando de vj feriâ agitur, dicitur ad Matutinas sequens Hymnus.*

Tu Trinitatis Unitas,
Orbem potenter qui regis,
Attende laudum cantica,
Quæ excubantes psallimus.

Jam lectulo consurgimus
Noctis quieto tempore,
Ut flagitemus vulnerum,
A te medelam omnium.

Quo fraude quicquid dæmonum
In noctibus deliquimus ;
Abstergat illud cœlitus
Tuæ potestas gloriæ.

Ne corpus assit sordidum,
Nec torpor instet cordium,
Nec criminis contagio
Tepescat ardor spiritus.

Ob hoc Redemptor quæsumus,
Nos reple tuo lumine,
Per quod dierum circulis,
Nullis ruamus actibus.

[Gloria tibi, Dñe (p. 1.) *vel*] Præsta, Pater. (*ibid.*)

Per Æstatem Hymnus Nocte surgentes. (*ibid.*)

Psalmus lxxx.

Exultate Deo adjutori nostro : jubilate Deo Jacob.

Sumite psalmum, et date tympanum : psalterium jucundum cum cithara.

Buccinate in neomenia tuba : in insigni die solennitatis vestræ :

Quia præceptum in Israël est : et judicium Deo Jacob.

Testimonium in Joseph posuit illud, cùm exiret de terra Ægypti : linguam quam non noverat audivit.

Divertit ab oneribus dorsum ejus : manus ejus in cophino servierunt.

In tribulatione invocasti me, et liberavi te : exaudivi te in abscondito tempestatis ; probavi te apud aquam contradictionis.

Audi populus meus et contestabor te : Israël si audieris me, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum.

Ego enim sum Dñs Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti : dilata os tuum et implebo illud.

Et non audivit populus meus vocem meam : et Israël non intendit mihi.

Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum : ibunt in adinventionibus suis.

Si populus meus audisset me : Israël si in viis meis ambulasset :

Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem : et super tribulantes eos misissem manum meam.

Digitized by Google

Inimici Dñi mentiti sunt ei: et erit tempus eorum in sæcula.

Et cibavit eos ex adipe frumenti: et de petra melle saturavit eos.

Psalmus lxxxj.

Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat.

Usquequo judicatis iniquitatem: et facies peccatorum sumitis?

Judicate egeno et pupillo: humilem et pauperem justificate.

Eripite pauperem: et egenum de manu peccatoris liberate.

Nescierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.

Ego dixi, Dii estis: et filii Excelsi omnes.

Vos autem sicut homines moriemini: et sicut unus de principibus cadetis.

Surge Deus, judica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus Gentibus.

Gloria Patri. *A.* Exultate Deo adjutori nostro.

Psalmus lxxxij.

Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus.

Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: et qui oderunt te extulerunt caput.

Super populum tuum malignaverunt consilium: et cogitaverunt adversus sanctos tuos.

Dixerunt, Venite et disperdamus eos de gente: et non memoretur nomen Israël ultra.

Quoniam cogitaverunt unanimiter simul adversus te: testamentum disposuerunt, tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ:

Moab et Agareni, Gebal, et Ammon, et Amalec: alienigenæ cum tantibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adjutorium filiis Lot.

Fac illis sicut Madian et Sisaræ: sicut Jabin in torrente Cison.

Disperierunt in Endor: facti sunt ut stercus terræ.

Pone principes eorum sicut Oreb et Zeb: et Zebee et Salmana.

Omnes principes eorum qui dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.

Deus meus pone illos ut rotam: et sicut stipulam ante faciem venti.

Sicut ignis qui comburit silvam: et sicut flamma comburens montes:

Ita persequêris illos in tempestate tua: et in ira tua turbabis eos.

Imple facies eorum ignominia: et quærent nomen tuum, Dñe.

Erubescant, et conturbentur in sæculum sæculi: et confundantur, et pereant.

Et cognoscant quia nomen tibi Dñs: tu solus Altissimus in omni terra.

Psalmus lxxxiij.

Quam dilecta tabernacula tua Dñe virtutum: concupiscit et deficit anima mea in atria Dñi.

Cor meum et caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invênit sibi domum et turtur nidum sibi: ubi reponat pullos suos:

Altaria tua, Dñe virtutum: Rex meus, et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Dñe: in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Dñe Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui:

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei

Digitized by Google

mei : magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus : gratiam et gloriam dabit Dñs.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia : Dñe virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria Patri. *A.* Tu solus Altissimus super omnem terram.

Psalmus lxxxiiij.

Benedixisti Dñe terram tuam : avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ : operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam : avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus salutaris noster : et averte iram tuam a nobis.

Nunquid in æternum irascèris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem.

Deus tu conversus vivificabis nos : et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Dñe misericordiam tuam : et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dñs Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam :

Et super sanctos suos : et in eos qui convertuntur ad cor.

Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius : ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi : justitia et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est : et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dñs dabit benignitatem : et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit : et ponet in via gressus suos.

Psalmus lxxxv.

Inclina Dñe aurem tuam, et exaudi me : quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Dñe, quoniam ad te clamavi tota die; lætifica animam servi tui : quoniam ad te Dñe animam meam levavi.

Quoniam tu Dñe suavis, et mitis; et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Dñe orationem meam : intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te : quia exaudisti me,

Non est similis tui in diis Dñe : et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te Dñe : et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia : tu es Deus solus.

Deduc me Dñe in via tua, et ingrediar in veritate tua : lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Dñe Deus meus in toto corde meo : et glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me : et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam : et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Dñe Deus miserator et misericors : patiens, et multæ misericordiæ et verax,

Respice in me et miserere mei; da imperium tuum puero tuo : et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bono, ut videant qui oderunt me, et confundantur : quoniam tu Dñe adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri. *A.* Benedixisti Dñe terram tuam.

Psalmus lxxxvj.

Fundamenta ejus in montibus sanctis : diligit Dñs portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te : civitas Dei.

Digitized by Google

Memor ero Rahab et Babylonis : scientium me.

Ecce alienigenæ et Tyrus et populus Æthiopum : hi fuerunt illic.

Nunquid Sion dicet, Homo, et homo natus est in ea : et ipse fundavit eam Altissimus?

Dñs narrabit in scripturis populorum : et principum horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium : habitatio est in te.

Psalmus lxxxvij.

Domine Deus salutis meæ : in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam :

Quia repleta est malis anima mea : et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati, dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius : et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori : in tenebrosis et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus : et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me : posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum et non egrediebar : oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te Dñe : tota die expandi ad te manus meas.

Nunquid mortuis facies mirabilia : aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam : et veritatem tuam in perditione?

Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua : et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te Dñe clamavi : et mane oratio mea præveniet te.

Ut quid Dñe repellis orationem meam : avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea : exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ : et terrores tui conturbaverunt me.

Circundederunt me sicut aqua tota die : circundederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum : et notos meos a miseria.

Gloria Patri. *A.* Fundamenta ejus in montibus sanctis.

Psalmus lxxxviij.

Misericordias Dñi : in æternum cantabo.

In generatione et generationem : annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Quoniam dixisti, in æternum misericordia ædificabitur in cœlis : præparabitur veritas tua in eis.

Disposui testamentum electis meis : juravi David servo meo, Usque in æternum præparabo semen tuum.

Et ædificabo in generatione et generationem : sedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabilia tua Dñe : etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Dño : similis erit Dño in filiis Dei?

Deus qui glorificatur in consilio sanctorum : magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.

Dñe Deus virtutum quis similis tibi? potens es Dñe, et veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris potestati maris : motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum : in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est terra : orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti; aquilonem et mare tu creasti.

Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt : tuum brachium cum potentia.

Digitized by Google

Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua : justitia et judicium præparatio sedis tuæ.

Misericordia et veritas præcedent faciem tuam : beatus populus, qui scit jubilationem.

Dñe, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die : et in justitia tua exaltabuntur.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es : et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Quia Dñi est assumptio nostra : et sancti Israël Regis nostri.

Tunc locutus es in visione sanctis tuis : et dixisti, Posui adjutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea.

Inveni David servum meum : oleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliabitur ei : et brachium meum confortabit eum.

Nihil proficiet inimicus in eo : et filius iniquitatis non apponet nocere ei.

Et concidam a facie ipsius inimicos ejus : et odientes eum in fugam convertam.

Et veritas mea et misericordia mea cum ipso : et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus : et in fluminibus dexteram ejus.

Ipse invocavit me, Pater meus es tu : Deus meus, et susceptor salutis meæ.

Et ego primogenitum ponam illum : excelsum præ regibus terræ.

In æternum servabo illi misericordiam meam : et testamentum meum fidele ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus : et thronum ejus sicut dies cœli.

Si autem dereliquerint filii ejus legem meam : et in judiciis meis non ambulaverint.

Si justitias meas profanaverint : et mandata mea non custodierint.

Visitabo in virga iniquitates eorum : et in verberibus peccata eorum.

Misericordiam autem meam non dispergam ab eo : neque nocebo in veritate mea?

Neque profanabo testamentum meum : et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.

Semel juravi in sancto meo, si David mentiar : semen ejus in æternum manebit.

Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo : et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.

Tu vero repulisti et despexisti : distulisti Christum tuum.

Evertisti testamentum servi tui : profanasti in terra sanctuarium ejus.

Destruxisti omnes sepes ejus : posuisti firmamentum ejus formidinem.

Diripuerunt eum omnes transeuntes viam : factus est opprobrium vicinis suis.

Exaltasti dexteram deprimentium eum : lætificasti omnes inimicos ejus.

Avertisti adjutorium gladii ejus : et non es auxiliatus ei in bello.

Destruxisti eum ab emundatione : et sedem ejus in terram collisisti.

Minorasti dies temporis ejus : perfudisti eum confusione.

Usquequo Dñe avertis in finem : exardescet sicut ignis ira tua?

Memorare quæ mea substantia : nunquid enim vane constituisti omnes filios hominum?

Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem : eruet animam suam de manu inferi?

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Dñe : sicut jurasti David in veritate tua?

Memor esto Dñe opprobrii servorum tuorum : quod continui in sinu meo multarum gentium.

Quod exprobraverunt inimici tui Dñe : quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

Digitized by Google

Benedictus Dñs in æternum : fiat, fiat.

Non dicitur ad Nocturnos iste Ps. lxxxix. Dñe, refugium *etc.* (p. 65.)

Non dicitur ad Noct. iste Ps. xc. Qui habitat in adjutorio *etc.* (p. 100.)

Non dicitur ad Noct. iste Ps. xcj. Bonum est confiteri. (p. 83.)

Non dicitur ad Noct. iste Ps. xcij Dñs regnavit, decorem. (p. 12.)

Psalmus xciij.

Deus ultionum Dñs : Deus ultionum libere egit.

Exaltare qui judicas terram : redde retributionem superbis.

Usquequo peccatores Dñe : usquequo peccatores gloriabuntur :

Effabuntur, et loquentur iniquitatem : loquentur omnes, qui operantur injustitiam?

Populum tuum Dñe humiliaverunt : et hæreditatem tuam vexaverunt.

Viduam et advenam interfecerunt : et pupillos occiderunt.

Et dixerunt, Non videbit Dñs : nec intelliget Deus Jacob.

Intelligite insipientes in populo : et stulti aliquando sapite.

Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?

Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam?

Dñs scit cogitationes hominum : quoniam vanæ sunt.

Beatus homo quem tu erudieris Dñe : et de lege tua docueris eum.

Ut mitiges ei a diebus malis : donec fodiatur peccatori fovea.

Quia non repellet Dñs plebem suam : et hæreditatem suam non derelinquet.

Quoadusque justitia convertatur in judicium : et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem.

Nisi quia Dñs adjuvit me : paulominùs habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam, Motus est pes meus : misericordia tua Dñe adjuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo : consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis : qui fingis laborem in præcepto?

Captabunt in animam justi : et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dñs in refugium : et Deus meus in adjutorium spei meæ.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos : disperdet illos Dñs Deus noster.

Non dicitur ad Nocturnos

Iste Psalmus xciiij.

Venite exultemus Dño : jubilemus Deo salutari nostro.

Præoccupemus faciem ejus in confessione : et in psalmis jubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dñs : et rex magnus super omnes deos.

Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ : et altitudines montium ipsius sunt.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud : et siccam manus ejus formaverunt.

Venite adoremus et procidamus et ploremus ante Dñm qui fecit nos : quia ipse est Deus noster :

Et nos populus pascuæ ejus : et oves manus ejus.

Hodie si vocem ejus audieritis : nolite obdurare corda vestra.

Sicut in irritatione : secundum diem tentationis in deserto.

Ubi tentaverunt me patres vestri : probaverunt et viderunt opera mea.

Quadraginta annis offensus fui generationi illi : et dixi semper hi errant corde.

Et isti non cognoverunt vias meas : ut juravi in ira mea si introibunt in requiem meam.

Digitized by Google

Gloria Patri. *A.* Benedictus Dñs in æternum.

Psalmus xcv.

Cantate Dño canticum novum : cantate Dño omnis terra.

Cantate Dño, et benedicite nomini ejus : annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus : in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dñs, et laudabilis nimis : terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia : Dñs autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Dño patriæ Gentium, afferte Dño gloriam et honorem : afferte Dño gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus : adorate Dñm in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra : dicite in Gentibus quia Dñs regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, et exultet terra ; commoveatur mare, et plenitudo ejus : gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Dñi, quia venit : quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate : et populos in veritate sua.

Psalmus xcvj.

Dominus regnavit, exultet terra : lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus : justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet : et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Alluxerunt fulgura ejus orbi terræ : vidit et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Dñi : a facie Dñi omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus : et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes qui adorant sculptilia : et qui gloriantur in simulachris suis.

Adorate eum omnes angeli ejus : audivit et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ : propter judicia tua Dñe.

Quoniam tu Dñs altissimus super omnem terram : nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dñm, odite malum : custodit Dñs animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo : et rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Dño : et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Gloria Patri. *A.* Cantate Dño, et benedicite nomini ejus.

℣. Intret oratio mea in conspectu tuo Dñe. ℟. Inclina aurem tuam ad precem meam.

Ante Laudes ℣. Fiat mis. (p. 38.)

In Laudibus A. Spiritu principali confirma cor meum Deus. *Ps.* Miserere mei Deus. (*ibid.*)

Psalmus cxlij.

Domine exaudi orationem meam ; auribus percipe obsecrationem meam : in veritate tua exaudi me, in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam : humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi : et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus

Digitized by Google

tuis : in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te : anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Dñe : defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me : et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam : quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem : quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Dñe; ad te confugi : doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : propter nomen tuum Dñe vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam : et in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam : quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri. *A.* In veritate tua exaudi me Dñe.

A. Illumina Dñe vultum tuum super nos. *Ps.* Deus Deus meus. (p. 12.)

Canticum Abacuc iij.

Domine audivi auditionem tuam : et timui.

Dñe opus tuum : in medio annorum vivifica illud.

In medio annorum notum facies : cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

Deus ab Austro veniet : et Sanctus de monte Pharan.

Operuit cœlos gloria ejus : et laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit : cornua in manibus ejus.

Ibi abscondita est fortitudo ejus : ante faciem ejus ibit mors.

Egredietur diabolus ante pedes ejus : stetit et mensus est terram.

Aspexit et dissolvit Gentes : et contriti sunt montes sæculi.

Incurvati sunt colles mundi : ab itineribus æternitatis ejus.

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ : turbabuntur pelles terræ Madian.

Nunquid in fluminibus iratus es Dñe : aut in fluminibus furor tuus; vel in mari indignatio tua?

Qui ascendes super equos tuos : et quadrigæ tuæ salvatio.

Suscitans suscitabis arcum tuum : juramenta tribubus quæ locutus es.

Fluvios scindes terræ; viderunt te et doluerunt montes : gurges aquarum transiit.

Dedit abyssus vocem suam : altitudo manus suas levavit.

Sol et luna steterunt in habitaculo suo : in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

In fremitu conculcabis terram : in furore obstupefacies Gentes.

Egressus es in salutem populi tui : in salutem cum Christo tuo.

Percussisti caput de domo impii : denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus : venientibus ut turbo ad dispergendum me.

Exultatio eorum : sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito.

Viam fecisti in mari equis tuis : in luto aquarum multarum.

Audivi et conturbatus est venter meus : a voce contremuerunt labia mea.

Ingrediatur putredo in ossibus meis : et subter me scateat.

Ut requiescam in die tribulationis : ut ascendam ad populum accinctum nostrum.

Ficus enim non florebit : et non erit germen in vineis.

Mentietur opus olivæ : et arva non afferent cibum.

Abscindetur de ovili pecus : et non erit armentum in præsepibus.

Ego autem in Dño gaudebo : et exultabo in Deo Jesu meo.

Deus Dñs fortitudo mea : et po-

Digitized by Google

net pedes meos quasi cervorum.

Et super excelsa mea deducet me victor : in psalmis canentem.

Gloria Patri. *A.* Dñe audivi auditum tuum et timui.

A. In tympano et choro, in chordis et organo laudate Deum. *Ps.* Laudate. (p. 13.)

Cap. Vigilate. (p. 39.)

A Dñe ne in ira *usque ad* XL, *quando de vj feriâ agitur, dicitur ad Laudes sequens Hymnus.*

Æterna Cœli gloria,
Beata spes mortalium,
Celsi Tonantis Unice
Castæque proles Virginis,
Da dexteram surgentibus,
Exurgat et mens sobria,
Flagransque in laudem Dei
Grates rependat debitas.
Ortus refulget lucifer,
Sparsamque lucem nuntiat :
Cadit caligo noctium :
Lux sancta nos illuminet.
Manensque nostris sensibus,
Noctem repellat sæculi;
Omnique fine diei
Purgata servet pectora.
Quæsita jam primum Fides
Radicet altis sensibus;
Secunda spes congaudeat,
Quo major extet charitas.
Deo Patri. (p. 39.)

℣. In matutinis. (*ibid.*)

Per Æst. Hymnus Ecce jam noctis. (p. 15.) ℣. In matutinis.

A. Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos Oriens ex alto. *Ps.* Benedictus (p. 15.)

[*Preces etc. ut supra* (p. 39 *et seqq.*). *Oratio ut decet.*]

SABBATO.

Ad Matutinas.

Invitatorium : Dñm Deum nostrum : Venite adoremus. *Ps.* Venite, exultemus.

Sequens Hymnus solum dicitur ad Mat. in Sabbato proximo ante Dominicam primam XL, *quando in præ-dicto Sabb. de feriâ agitur. Hymnus.*

Summæ Deus clementiæ,
Mundique factor machinæ,
Unus potentialiter,
Trinusque personaliter :
Nostros pius cum canticis
Fletus benigne suscipe;
Quo corde puro sordibus
Te perfruamur largius.
Lumbos, jecurque morbidum
Adure igne congruo;
Accincti ut sint perpetim,
Luxu remoto pessimo.
Ut quique horas noctium
Nunc concinendo rumpimus,
Donis beatæ patriæ,
Ditemur omnes affatim.
[Gloria tibi, Dñe. (p. 1.) *vel*]
Præsta Pater. (*ibid.*)

Per Æst. Hymnus Nocte surgentes. (*ibid.*)

Psalmus xcvij.

Cantate Dño canticum novum: quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus : et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dns salutare suum : in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ : et veritatis suæ domui Israël.

Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri : jubilate Deo omnis terra; cantate et exultate et psallite.

Psallite Dño in cithara, in cithara et voce psalmi : in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Dñi : moveatur mare et plenitudo ejus : orbis terrarum et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Dñi : quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia : et populos in æquitate.

Psalmus xcviij.

Dominus regnavit, irascantur populi : qui sedes super Cherubin, moveatur terra.

Digitized by Google

Dñs in Sion magnus : et excelsus super omnes populos.

Confiteantur nomini tuo magno ; quoniam terribile et sanctum est : et honor regis judicium diligit.

Tu parasti directiones : judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

Exaltate Dñm Deum nostrum et adorate scabellum pedum ejus : quoniam sanctum est.

Moyses et Aaron in Sacerdotibus ejus : et Samuël inter eos qui invocant nomen ejus.

Invocabant Dñm, et ipse exaudiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos.

Custodiebant testimonia ejus : et præceptum quod dedit illis.

Dñe Deus noster, tu exaudiebas eos ; Deus tu propitius fuisti eis : et ulciscens in omnes adinventiones eorum.

Exaltate Dñm Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus : quoniam sanctus Dñs Deus noster.

Gloria Patri. *A.* Quia mirabilia fecit Dñs.

Psalmus xcix.

Jubilate Deo omnis terra : servite Dño in lætitia.

Introite in conspectu ejus : in exultatione.

Scitote quoniam Dñs ipse est Deus : ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Populus ejus et oves pascuæ ejus, introite portas ejus in confessione : atria ejus in hymnis ; confitemini illi.

Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dñs ; in æternum misericordia ejus : et usque in generatione et generationem veritas ejus.

Psalmus c.

Misericordiam et judicium : cantabo tibi Dñe.

Psallam et intelligam in via immaculata : quando venies ad me.

Perambulabam in innocentia cordis mei : in medio domus meæ.

Non proponebam ante oculos meos rem injustam : facientes prævaricationes odivi.

Non adhæsit mihi cor pravum : declinantem a me malignum non cognoscebam.

Detrahentem secreto proximo suo : hunc persequebar.

Superbo oculo et insatiabili corde : cum hoc non edebam.

Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum : ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam : qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ : ut disperderem de civitate Dñi omnes operantes iniquitatem.

Gloria Patri. *A.* Jubilate Deo omnis terra.

Psalmus cj.

Domine exaudi orationem meam : et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me : in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te : velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei : et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum : quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei : adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pelicano solitudinis : factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi : et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei : et qui laudabant me adversum me jurabant,

Quia cinerem tanquam panem manducabam : et potum meum cum fletu miscebam.

Digitized by Google

A facie iræ indignationis tuæ : quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt : et ego sicut fœnum arui.

Tu autem Dñe in æternum permanes : et memoriale tuum in generatione et generationem.

Tu exurgens Dñe misereberis Sion : quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus : et terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum Dñe : et omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dñs Sion : et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium : et non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera : et populus qui creabitur laudabit Dñm.

Quia prospexit de excelso sancto suo : Dñs de cœlo in terram aspexit;

Ut audiret gemitus compeditorum : ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Dñi : et laudem ejus in Hierusalem.

In conveniendo populos in unum : et reges ut serviant Dño.

Respondit ei in via virtutis suæ : Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum : in generatione et generationem anni tui.

Initio tu Dñe terram fundasti : et opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes : et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt : et semen eorum in sæculum dirigetur.

Psalmus ciij.

Benedic anima mea Dño : et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Dño : et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam : quia coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum : renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Faciens misericordias Dñs : et judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi : filiis Israël voluntates suas.

Miserator et misericors Dñs : longanimis et multum misericors.

Non in perpetuum irascetur : neque in æternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem cœli a terra : corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente : longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dñs timentibus se : quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam pulvis sumus : homo sicut fœnum dies ejus; tanquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet : et non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Dñi ab æterno : et usque in æternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum : his qui servant testamentum ejus;

Et memores sunt mandatorum ipsius : ad faciendum ea.

Digitized by Google

Dñs in cœlo paravit sedem suam : et regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Dño omnes angeli ejus : potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Dño omnes virtutes ejus : ministri ejus qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Dño omnia opera ejus : in omni loco dominationis ejus ; benedic anima mea Dño.

Gloria Patri. *A.* Clamor meus ad te veniat Deus.

Psalmus ciij.

Benedic anima mea Dño : Dñe Deus meus, magnificatus es vehementer.

Confessionem et decorem induisti : amictus lumine sicut vestimento.

Extendens cœlum sicut pellem : qui tegis aquis superiora ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum : qui ambulas super pennas ventorum.

Qui facis angelos tuos spiritus : et ministros tuos ignem urentem.

Qui fundasti terram super stabilitatem suam : non inclinabitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus : super montes stabunt aquæ.

Ab increpatione tua fugient : a voce tonitrui tui formidabunt.

Ascendunt montes ; et descendunt campi : in locum quem fundasti eis.

Terminum posuisti, quem non transgredientur : neque convertentur operire terram.

Qui emittis fontes in convallibus : inter medium montium pertransibunt aquæ.

Potabunt omnes bestiæ agri : expectabunt onagri in siti sua.

Super ea volucres cœli habitabunt : de medio petrarum dabunt voces.

Rigans montes de superioribus suis : de fructu operum tuorum satiabitur terra.

Producens fœnum jumentis : et herbam servituti hominum.

Ut educas panem de terra : et vinum lætificet cor hominis.

Ut exhilaret faciem in oleo : et panis cor hominis confirmet.

Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani quas plantavit : illic passeres nidificabunt.

Herodii domus dux est eorum : montes excelsi cervis ; petra refugium herinaciis.

Fecit lunam in tempora : sol cognovit occasum suum.

Posuisti tenebras, et facta est nox : in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant : et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregati sunt : et in cubilibus suis collocabuntur.

Exibit homo ad opus suum : et ad operationem suam usque ad vesperam.

Quam magnificata sunt opera tua Dñe : omnia in sapientia fecisti ; impleta est terra possessione tua.

Hoc mare magnum et spatiosum manibus : illic reptilia quorum non est numerus.

Animalia pusilla cum magnis : illic naves pertransibunt.

Draco iste quem formasti ad illudendum ei : omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore.

Dante te illis, colligent : aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.

Avertente autem te faciem, turbabuntur : auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur.

Emitte spiritum tuum et creabuntur : et renovabis faciem terræ.

Sit gloria Dñi in sæculum : lætabitur Dñs in operibus suis.

Qui respicit terram, et facit eam

Digitized by Google

tremere : qui tangit montes et fumigant.

Cantabo Dño in vita mea : psallam Deo meo quamdiu sum.

Jucundum sit ei eloquium meum : ego vero delectabor in Dño.

Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint : benedic anima mea Dño. *Psalmus ciiij.*

Confitemini Dño et invocate nomen ejus : annuntiate inter Gentes opera ejus.

Cantate ei et psallite ei : narrate omnia mirabilia ejus; laudamini in nomine sancto ejus.

Lætetur cor quærentium Dñm; quærite Dñm et confirmamini : quærite faciem ejus semper.

Mementote mirabilium ejus quæ fecit : prodigia ejus et judicia oris ejus.

Semen Abraham servi ejus : filii Jacob electi ejus.

Ipse Dñs Deus noster : in universa terra judicia ejus.

Memor fuit in sæculum testamenti sui : verbi quod mandavit in mille generationes.

Quod disposuit ad Abraham : et juramenti sui ad Isaac.

Et statuit illud Jacob in præceptum : et Israël in testamentum æternum.

Dicens, Tibi dabo terram Chanaan : funiculum hæreditatis vestræ.

Cum essent numero brevi : paucissimi, et incolæ ejus.

Et pertransierunt de gente in gentem : et de regno ad populum alterum.

Non reliquit hominem nocere eis : et corripuit pro eis reges.

Nolite tangere christos meos : et in prophetis meis nolite malignari.

Et vocavit famem super terram : et omne firmamentum panis contrivit.

Misit ante eos virum : in servum venundatus est Joseph.

Humiliaverunt in compedibus pedes ejus : ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus.

Eloquium Dñi inflammavit eum : misit rex et solvit eum; princeps populorum et dimisit eum.

Constituit eum dominum domus suæ : et principem omnis possessionis suæ.

Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum : et senes ejus prudentiam doceret.

Et intravit Israël in Ægyptum : et Jacob accola fuit in terra Cham.

Et auxit populum suum vehementer : et firmavit eum super inimicos ejus.

Convertit cor eorum ut odirent populum ejus : et dolum facerent in servos ejus.

Misit Moysen servum suum : Aaron quem elegit ipsum.

Posuit in eis verba signorum suorum : et prodigiorum in terra Cham.

Misit tenebras et obscuravit : et non exacerbavit sermones suos.

Convertit aquas eorum in sanguinem : et occidit pisces eorum.

Et dedit terra eorum ranas : in penetralibus regum ipsorum.

Dixit et venit cynomyia et ciniphes : in omnibus finibus eorum.

Posuit pluvias eorum grandinem : ignem comburentem in terra ipsorum.

Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum : et contrivit lignum finium eorum.

Dixit et venit locusta et bruchus : cujus non erat numerus.

Et comedit omne fœnum in terra eorum : et comedit omnem fructum terræ eorum.

Et percussit omne primogenitum in terra eorum : primitias omnis laboris eorum.

Et eduxit eos cum argento et auro : et non erat in tribubus eorum infirmus.

Lætata est Ægyptus in profec-

Digitized by Google

tione eorum : quia incubuit timor eorum super eos.

Expandit nubem in protectionem eorum : et ignem ut luceret eis per noctem.

Petierunt, et venit coturnix : et pane cœli saturavit eos.

Dirupit petram et fluxerunt aquæ : abierunt in sicco flumina :

Quoniam memor fuit verbi sancti sui : quod habuit ad Abraham puerum suum.

Et eduxit populum suum in exultatione : et electos suos in lætitia.

Et dedit illis regiones Gentium : et labores populorum possederunt :

Ut custodiant justificationes ejus : et legem ejus exquirant.

Gloria Patri. *A.* Benedic anima mea Dño.

Psalmus cv.

Confitemini Dño, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Quis loquetur potentias Dñi : auditas faciet omnes laudes ejus?

Beati qui custodiunt judicium et faciunt justitiam : in omni tempore.

Memento nostri Dñe in beneplacito populi tui : visita nos in salutari tuo.

Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ : ut lauderis cum hæreditate tua.

Peccavimus cum patribus nostris : injuste egimus, iniquitatem fecimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua : non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

Et irritaverunt ascendentes in mare : mare Rubrum.

Et salvavit eos propter nomen suum : ut notam faceret potentiam suam.

Et increpuit mare Rubrum, et exiccatum est : et deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

Et salvavit eos de manu odientium : et redemit eos de manu inimici.

Et operuit aqua tribulantes eos : unus ex eis non remansit.

Et crediderunt verbis ejus : et laudaverunt laudem ejus.

Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus : et non sustinuerunt consilium ejus.

Et concupierunt concupiscentiam in deserto : et tentaverunt Deum in inaquoso.

Et dedit eis petitionem ipsorum : et misit saturitatem in animas eorum.

Et irritaverunt Moysen in castris : Aaron sanctum Dñi.

Aperta est terra, et deglutivit Dathan : et operuit super congregationem Abiron.

Et exarsit ignis in synagoga eorum : flamma combussit peccatores.

Et fecerunt vitulum in Horeb : et adoraverunt sculptile.

Et mutaverunt gloriam suam : in similitudinem vituli comedentis fœnum.

Obliti sunt Deum qui salvavit eos : qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.

Et dixit ut disperderet eos : si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.

Ut averteret iram ejus, ne disperderet eos : et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.

Non crediderunt verbo ejus, et murmuraverunt in tabernaculis suis : non exaudierunt vocem Dñi.

Et elevavit manum suam super eos : ut prosterneret eos in deserto :

Et ut dejiceret semen eorum in nationibus : et disperderet eos in regionibus.

Et initiati sunt Beëlphegor : et comederunt sacrificia mortuorum.

Et irritaverunt eum in adinventionibus suis : et multiplicata est in eis ruina.

Digitized by Google

Et stetit Phinees, et placavit : et cessavit quassatio.

Et reputatum est ei in justitiam : in generatione et generationem, usque in sempiternum.

Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis : et vexatus est Moyses propter eos; quia exacerbaverunt spiritum ejus.

Et distinxit in labiis suis : non disperdiderunt Gentes quas dixit Dus illis.

Et commixti sunt inter Gentes, et didicerunt opera eorum; et servierunt sculptilibus eorum : et factum est illis in scandalum.

Et immolaverunt filios suos : et filias suas dæmoniis.

Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum : quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.

Et infecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum : et fornicati sunt in adinventionibus suis.

Et iratus est furore Dūs in populum suum : et abominatus est hæreditatem suam.

Et tradidit eos in manus Gentium : et dominati sunt eorum qui oderunt eos.

Et tribulaverunt eos inimici eorum : et humiliati sunt sub manibus eorum; sæpe liberavit eos.

Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo : et humiliati sunt in iniquitatibus suis.

Et vidit cùm tribularentur : et audivit orationem eorum.

Et memor fuit testamenti sui : et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

Et dedit eos in misericordias : in conspectu omnium qui ceperant eos.

Salvos fac nos Dñe Deus noster : et congrega nos de nationibus :

Ut confiteamur nomini sancto tuo : et gloriemur in laude tua.

Benedictus Dūs Deus Israël a sæculo et usque in sæculum : et dicet omnis populus, Fiat, fiat.

Psalmus cvj.

Confitemini Dño, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant qui redempti sunt a Dño: quos redemit de manu inimici; de regionibus congregavit eos.

A solis ortu et occasu : ab Aquilone et mari.

Erraverunt in solitudine, in inaquoso : viam civitatis habitaculi non invenerunt.

Esurientes et sitientes : anima eorum in ipsis defecit.

Et clamaverunt ad Dūm cùm tribularentur : et de necessitatibus eorum eripuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam : ut irent in civitatem habitationis.

Confiteantur Dño misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum.

Quia satiavit animam inanem : et animam esurientem satiavit bonis.

Sedentes in tenebris et umbra mortis : vinctos in mendicitate et ferro.

Quia exacerbaverunt eloquia Dei : et consilium Altissimi irritaverunt.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum : infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.

Et clamaverunt ad Dūm cùm tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis : et vincula eorum disrupit.

Confiteantur Dño misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum.

Quia contrivit portas æreas : et vectes ferreos confregit.

Suscepit eos de via iniquitatis eorum : propter injustitias enim suas humiliati sunt.

Omnem escam abominata est anima eorum : et appropinquaverunt usque ad portas mortis.

Digitized by Google

Et clamaverunt ad Dñm cùm tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Misit verbum suum, et sanavit eos : et eripuit eos de interitionibus eorum.

Confiteantur Dño misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum.

Et sacrificent sacrificium laudis : et annuntient opera ejus in exultatione.

Qui descendunt mare in navibus : facientes operationem in aquis multis.

Ipsi viderunt opera Dñi : et mirabilia ejus in profundo.

Dixit, et stetit spiritus procellæ : et exaltati sunt fluctus ejus.

Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos : anima eorum in malis tabescebat.

Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius : et omnis sapientia eorum devorata est.

Et clamaverunt ad Dñm cùm tribularentur : et de necessitatibus eorum eduxit eos.

Et statuit procellam ejus in auram : et siluerunt fluctus ejus.

Et lætati sunt quia siluerunt : et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Dño misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum.

Et exaltent eum in ecclesia plebis : et in cathedra seniorum laudent eum.

Posuit flumina in desertum : et exitus aquarum in sitim.

Terram fructiferam in salsuginem : a malitia inhabitantium in ea.

Posuit desertum in stagna aquarum : et terram sine aqua in exitus aquarum.

Et collocavit illic esurientes : et constituerunt civitatem habitationis.

Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas : et fecerunt fructum nativitatis.

Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis : et jumenta eorum non minoravit.

Et pauci facti sunt : et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.

Effusa est contemptio super principes : et errare fecit eos in invio, et non in via.

Et adjuvit pauperem de inopia : et posuit sicut oves familias.

Videbunt recti, et lætabuntur : et omnis iniquitas oppilabit os suum.

Quis sapiens, et custodiet hæc : et intelliget misericordias Dñi?

Gloria Patri. *A.* Visita nos Dñe in salutari tuo.

Psalmus cvij.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum : cantabo et psallam in gloria mea.

Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara : exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Dñe : et psallam tibi in nationibus.

Quia magna est super cœlos misericordia tua : et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua : ut liberentur dilecti tui.

Salvum fac dextera tua, et exaudi me : Deus locutus est in sancto suo.

Exultabo et dividam Sichimam : et convallem tabernaculorum dimetiar.

Meus est Galaad, et meus est Manasses : et Ephraïm susceptio capitis mei.

Juda rex meus : Moab lebes spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ amici facti sunt.

Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?

Nonne tu Deus, qui repulisti nos: et non exibis Deus in virtutibus nostris.

Da nobis auxilium de tribula-

Digitized by Google

tione : quia vana salus hominis.
In Deo faciemus virtutem : et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

Psalmus cviij.

Deus laudem meam ne tacueris : quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est.

Locuti sunt adversum me lingua dolosa : et sermonibus odii circumderunt me, et expugnaverunt me gratis.

Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi : ego autem orabam.

Et posuerunt adversum me mala pro bonis : et odium pro dilectione mea.

Constitue super eum peccatorem : et diabolus stet a dextris ejus.

Cùm judicatur, exeat condemnatus : et oratio ejus fiat in peccatum.

Fiant dies ejus pauci : et episcopatum ejus accipiat alter.

Fiant filii ejus orphani : et uxor ejus vidua.

Nutantes transferantur filii ejus et mendicent : et ejiciantur de habitationibus suis.

Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus : et diripiant alieni labores ejus.

Non sit illi adjutor : nec sit qui misereatur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in interitum : in generatione una deleatur nomen ejus.

In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Dñi : et peccatum matris ejus non deleatur.

Fiant contra Dñm semper, et dispereat de terra memoria eorum : pro eo quod non est recordatus facere misericordiam :

Et persecutus est hominem inopem et mendicum : et compunctum corde mortificare.

Et dilexit maledictionem, et veniet ei : et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum : et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus.

Fiat ei sicut vestimentum quo operitur : et sicut zona qua semper præcingitur.

Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dñm : et qui loquuntur mala adversus animam meam.

Et tu Dñe Dñe, fac mecum propter nomen tuum : quia suavis est misericordia tua.

Libera me, quia egenus et pauper ego sum : et cor meum conturbatum est intra me.

Sicut umbra cùm declinat ablatus sum : et excussus sum sicut locustæ.

Genua mea infirmata sunt a jejunio : et caro mea immutata est propter oleum.

Et ego factus sum opprobrium illis : viderunt me, et moverunt capita sua.

Adjuva me Dñe Deus meus : salvum me fac secundum misericordiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc : et tu Dñe fecisti eam.

Maledicent illi, et tu benedices : qui insurgunt in me confundantur ; servus autem tuus lætabitur.

Induantur qui detrahunt mihi pudore : et operiantur sicut diploide confusione sua.

Confitebor Dño nimis in ore meo : et in medio multorum laudabo eum.

Qui astitit a dextris pauperis : ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

Gloria Patri. *A.* Confitebor Dño nimis in ore meo.

℣. Dñe exaudi orationem meam.
℟. Et clamor [meus ad te veniat].

Ante Laudes ℣. Fiat mis. (p. 38.)
In Laudibus A. Benigne fac in bona voluntate tua Dñe. *Ps.* Miserere mei. (*ibid.*)

Psalmus xcj.

Bonum est confiteri Dño : et psallere nomini tuo, Altissime.

Digitized by Google

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam : et veritatem tuam per noctem.

In decachordo psalterio : cum cantico, in cithara.

Quia delectasti me Dñe in factura tua : et in operibus manuum tuarum exultabo.

Quam magnificata sunt opera tua Dñe : nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insipiens non cognoscet : et stultus non intelliget hæc.

Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum : et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem :

Ut intereant in sæculum sæculi : tu autem Altissimus in æternum Dñe.

Quoniam ecce inimici tui Dñe, quoniam ecce inimici tui peribunt : et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum : et senectus mea in misericordia uberi.

Et despexit oculus meus inimicos meos : et insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

Justus ut palma florebit : sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Plantati in domo Dñi : in atriis domus Dei nostri florebunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi : et bene patientes erunt, ut annuntient,

Quoniam rectus Dñs Deus noster : et non est iniquitas in eo.

Gloria Patri. *A.* Bonum est confiteri Dño.

A. Metuant Dñm omnes fines terræ. *Ps.* Deus Deus meus. (p. 12.)

Canticum Moysi. Deut xxxij.

Audite cœli quæ loquor : audiat terra verba oris mei.

Concrescat ut pluvia doctrina mea : fluat ut ros eloquium meum.

Quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina : quia nomen Dñi invocabo :

Date magnificentiam Deo nostro : Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia.

Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus et rectus : peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus.

Generatio prava atque perversa : hæccine reddis Dño, populo stulto et insipiens?

Nunquid non ipse est pater tuus : qui possedit te, et fecit et creavit te?

Memento dierum antiquorum : cogita generationes singulas :

Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi : majores tuos, et dicent tibi.

Quando dividebat Altissimus Gentes : quando separabat filios Adam,

Constituit terminos populorum : juxta numerum filiorum Israël.

Pars autem Dñi, populus ejus : Jacob funiculus hæreditatis ejus.

Invenit eum in terra deserta : in loco horroris et vastæ solitudinis :

Circunduxit eum et docuit : et custodivit quasi pupillam oculi sui.

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos : et super eos volitans;

Expandit alas suas et assumpsit eum : atque portavit in humeris suis.

Dñs solus dux ejus fuit : et non erat cum eo Deus alienus.

Constituit eum super excelsam terram : ut comederet fructus agrorum.

Ut sugeret mel de petra : oleumque de saxo durissimo :

Butyrum de armento, et lac de ovibus : cum adipe agnorum et arietum filiorum Basan :

Et hircos cum medulla tritici : et sanguinem uvæ biberet meracissimum.

Incrassatus est dilectus, et recalcitravit : incrassatus, impinguatus, dilatatus.

Dereliquit Deum factorem suum : et recessit a Deo salutari suo.

Digitized by Google

Provocaverunt eum in diis alienis : et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

Immolaverunt dæmoniis, et non Deo : diis quos ignorabant.

Novi recentesque venerunt : quos non coluerunt patres eorum.

Deum qui te genuit, dereliquisti : et oblitus es Dñi Creatoris tui.

Vidit Dñs, et ad iracundiam concitatus est : quia provocaverunt eum filii sui et filiæ.

Et ait, Abscondam faciem meam ab eis ; et considerabo novissima eorum.

Generatio enim perversa est : et infideles filii.

Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus : et irritaverunt in vanitatibus suis :

Et ego provocabo eos in eo qui non est populus : et in gente stulta irritabo illos.

Ignis succensus est in furore meo : et ardebit usque ad inferni novissima :

Devorabitque terram cum germine suo : et montium fundamenta comburet.

Congregabo super eos mala : et sagittas meas complebo in eis.

Consumentur fame : et devorabunt eos aves morsu amarissimo.

Dentes bestiarum immittam in eos : cum furore trahentium super terram atque serpentium.

Foris vastabit eos gladius : et intus pavor.

Juvenem simul ac virginem : lactentem cum homine sene.

Et dixi, Ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

Sed propter iram inimicorum distuli : ne forte superbirent hostes eorum ;

Et dicerent, Manus nostra excelsa : et non Dñs fecit hæc omnia.

Gens absque consilio est, et sine prudentia : utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent.

Quomodo persequebatur unus mille : et duo fugarent decem millia?

Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos : et Dñs conclusit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eorum : et inimici nostri sunt judices.

De vinea Sodomorum, vinea eorum : et de suburbanis Gomorrhæ.

Uva eorum uva fellis : et botri amarissimi.

Fel draconum vinum eorum : et venenum aspidum insanabile.

Nonne hæc condita sunt apud me : et signata in thesauris meis?

Mea est ultio, et ego retribuam in tempore : ut labatur pes eorum.

Juxta est dies perditionis : et adesse festinant tempora.

Judicabit Dñs populum suum : et in servis suis miserebitur :

Videbit quod infirmata sit manus ejus : et clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.

Et dicet, Ubi sunt dii eorum : in quibus habebant fiduciam?

De quorum victimis comedebant adipes : et bibebant vinum libaminum?

Surgant et opitulentur vobis : et in necessitate vos protegant.

Videte quod ego sim solus : et non sit alius Deus præter me.

Ego occidam et ego vivere faciam ; percutiam et ego sanabo : et non est qui de manu mea possit eruere.

Levabo ad cœlum manum meam et dicam : Vivo ego in æternum :

Si acuero ut fulgur gladium meum : et arripuerit judicium manus mea,

Reddam ultionem hostibus meis : et his qui oderunt me retribuam.

Inebriabo sagittas meas sanguine : et gladius meus devorabit carnes :

De cruore occisorum : et de captivitate nudati inimicorum capitis.

Laudate Gentes populum ejus :

Digitized by Google

quia sanguinem servorum suorum ulciscetur.

Et vindictam retribuet in hostes eorum : et propitius erit terræ populi sui.

Gloria Patri. *A.* Et in servis suis Dñs miserebitur.

A. In cymbalis benesonantibus laudate Dñm. *Ps.* Laudate. (p. 13.)

Cap. Vigilate. (p. 39.)

Sequens Hymnus dicitur solum ad Laudes in Sabbato proximo ante Dominicam primam XL, *quando in prædicto Sabbato de feriâ agitur.*

Hymnus.

Aurora jam spargit polum,
Terris dies illabitur,
Lucis resultat spiculum :
Discedat omne lubricum.

Phantasma noctis decidat :
Mentis reatus subruat :
Quicquid tenebris horridum
Nox attulit culpæ, cadat.

Ut mane illud ultimum
Quod præstolamur cernui,
In lucem nobis effluat,
Dum hoc canore concrepat.

Deo Patri (p. 39.)

Per Æst. Hymn. Ecce jam. (p. 15.)

℣. In matutinis. (p. 39.)

A. In viam pacis dirige nos Dñe. *Ps.* Benedictus. (p. 15.)

Preces etc. ut supra (p. 39 *et seqq.*). *Oratio ut decet.*

DOMINICIS DIEBUS

Ad Vesperas.

Psalmus cix.

Dixit Dñs Dño meo : Sede a dextris meis :

Donec ponam inimicos tuos : scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dñs ex Sion : dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dñs, et non pœnitebit eum : Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dñs a dextris tuis : confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus ; implebit ruinas : conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.

Gloria Patri. *A.* Sede a dextris meis : dixit Dñs Dño meo.

Psalmus cx.

Confitebor tibi Dñe in toto corde meo : in consilio justorum, et congregatione.

Magna opera Dñi : exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum ; misericors et miserator Dñs : escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui : virtutem operum suorum annuntiabit populo suo :

Ut det illis hæreditatem gentium : opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus ; confirmata in sæculum sæculi : facta in veritate et æquitate.

Redemptionem misit Dñs populo suo : mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen ejus : initium sapientiæ timor Dñi.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum : laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Gloria Patri. *A.* Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi.

Psalmus cxj.

Beatus vir qui timet Dñm : in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiæ in domo ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Digitized by Google

Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, et miserator, et justus.

Jucundus homo qui miseretur et commodat; disponet sermones suos in judicio: quia in æternum non commovebitur.

In memoria æterna erit justus: ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Dño; confirmatum est cor ejus: non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit et irascetur; dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri. *A.* In mandatis ejus volet nimis.

Psalmus cxij.

Laudate pueri Dñm: laudate nomen Dñi.

Sit nomen Dñi benedictum: ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum: laudabile nomen Dñi.

Excelsus super omnes Gentes Dñs: et super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dñs Deus noster, qui in altis habitat: et humilia respicit in cœlo et in terra?

Suscitans a terra inopem: et de stercore erigens pauperem:

Ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri. *A.* Sit nomen Dñi benedictum in sæcula.

Psalmus cxiij.

In exitu Israël de Ægypto: domus Jacob de populo barbaro:

Facta est Judæa sanctificatio ejus: Israël potestas ejus.

Mare vidit, et fugit: Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes: et colles sicut agni ovium.

Quid est tibi mare quod fugisti: et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes exultastis sicut arietes: et colles sicut agni ovium.

A facie Dñi mota est terra: a facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum: et rupem in fontes aquarum.

Non nobis Dñe, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua et veritate tua: nequando dicant Gentes, Ubi est Deus eorum?

Deus autem noster in cœlo: omnia quæcunque voluit, fecit.

Simulachra Gentium argentum, et aurum: opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient: nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea: et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israël speravit in Dño: adjutor eorum et protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Dño: adjutor eorum et protector eorum est.

Qui timent Dñm, speraverunt in Dño: adjutor eorum et protector eorum est.

Dñs memor fuit nostri: et benedixit nobis.

Benedixit domui Israël: benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dñm: pusillis cum majoribus.

Adjiciat Dñs super vos: super vos, et super filios vestros.

Benedicti vos a Dño: qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœli Dño: terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te Dñe: neque omnes qui descendunt in infernum.

Digitized by Google

Sed nos qui vivimus, benedicimus Dño: ex hoc nunc et usque in sæculum.

Gloria Patri. *A.* Nos qui vivimus, benedicimus Dño.

Capitulum : ij Thess. iij.

Dominus autem dirigat corda et corpora nostra in charitate Dei et patientia Christi. [℟. Deo gratias.]

Hoc Cap. dicitur ad Vesp. in omnibus Dom. et feriis à Dñe ne in ira *usque ad* LXX, *et à* Deus omnium *usque ad Adv. Dñi, quandocunque de temporali agitur. Dicitur etiam in feriis à* LXX *usque ad* XL, *quando de feriâ agitur.*

Et similiter sequens Hymnus dicitur ad Vesp. in omnibus Dom. à Dñe ne in ira *usque ad* XL, *et à* Deus omnium *usque ad Adv. tam in Dom. diebus quam in feriis, quando de temporali agitur.* *Hymnus.*

Lucis Creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novæ,
Mundi parans originem;
Qui mane junctum vesperi
Diem vocari præcipis:
Tetrum chaos illabitur;
Audi preces cum fletibus.
Ne mens gravata crimine,
Vitæ sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seseque culpis illigat.
Cœlorum pulset intimum:
Vitale tollat præmium:
Vitemus omne noxium:
Purgemus omne pessimum.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.
(*Usque ad Purif. dicitur*
Gloria tibi Domine,
Qui natus es [de Virgine,
Cum Patre et Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.])

℣. Dirigatur Dñe ad te oratio mea.
℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Iste ℣. dicitur ad Vesp. in omnibus Dom. diebus et feriis à Dñe ne in ira *usque ad* XL, *et à* Deus omnium *usque ad Adv. quando de temporali agitur.*

FERIA SECUNDA

Ad Vesperas.

Psalmus cxiiij.

Dilexi, quoniam exaudiet Dñs: vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem suam mihi: et in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me dolores mortis: et pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem et dolorem inveni: et nomen Dñi invocavi.

O Dñe, libera animam meam; misericors Dñs, et justus: et Deus noster miseretur.

Custodiens parvulos Dñs: humiliatus sum, et liberavit me.

Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dñs benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lachrymis: pedes meos a lapsu.

Placebo Dño: in regione vivorum.

Gloria Patri. *A.* Inclinavit Dñs aurem suam mihi.

Psalmus cxv.

Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.

Quid retribuam Dño: pro omnibus quæ retribuit mihi.

Calicem salutaris accipiam: et nomen Dñi invocabo.

Vota mea Dño reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Dñi mors sanctorum ejus.

O Dñe, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis: et nomen Dñi invocabo.

Vota mea Dño reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis

Digitized by Google

domus Dñi, in medio tui Hierusalem.

Gloria Patri. *A.* Credidi, propter quod locutus sum.

Psalmus cxvj.

Laudate Dñm omnes Gentes: laudate eum omnes populi:

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: et veritas Dñi manet in æternum.

Gloria Patri. *A.* Laudate Dñm omnes Gentes.

Psalmus cxix.

Ad Dñm cùm tribularer clamavi: et exaudivit me.

Dñe libera animam meam a labiis iniquis: et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri. *A.* Clamavi, et exaudivit me.

Psalmus cxx.

Levavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Dño: qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet: qui custodit Israël.

Dñs custodit te, Dñs protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: neque luna per noctem.

Dñs custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dñs.

Dñs custodiat introitum tuum, et exitum tuum: ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Gloria Patri. *A.* Auxilium meum a Dño.

Cap. Dñs autem dirigat. (p. 88.)

A Dñe ne in ira *usque ad* XL, *quando de iij feriâ agitur, tunc ad Vesp. feria ij dicitur sequens*

Hymnus.

Immense cœli conditor,
Qui mixta ne confunderent,
Aquæ fluenta dividens,
Cœlum dedisti limitem:
Firmans locum cœlestibus,
Simulque terræ rivulis;
Ut unda flammas temperet,
Terræ solum ne dissipent:
Infunde nunc, piissime,
Donum perennis gratiæ;
Fraudis novæ ne casibus
Nos error atterat vetus.
Lucem Fides inveniat:
Sic luminis jubar ferat:
Hæc vana cuncta terreat,
Hanc falsa nulla comprimant.
Præsta, Pater piissime. (p. 88.)

℣. Dirigatur Dñe. (*ibid.*)

Per Æstatem Hymnus Lucis creator. (*ib.*) ℣. Dirigatur Dñe.

Ant. Magnificet te semper anima mea, Deus meus. *Ps.* Magnificat. (p. 99.)

Preces ut supra [*ad Matutinas in ij feriâ* (p. 39 *et seqq.*)]. *Oratio ut decet. Memoria de S. Maria et cæteræ Memoriæ ut supra ad Mat. in ij feriâ.*

FERIA TERTIA

Ad Vesperas.

Psalmus cxxj.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Dñi ibimus.

Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Hierusalem.

Hierusalem quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum:

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Dñi: testimonium Israël, ad confitendum nomini Dñi.

Quia illic sederunt sedes in judi-

Digitized by Google

clo: sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem: et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos et proximos meos: loquebar pacem de te:

Propter domum Dñi Dei nostri: quæsivi bona tibi.

Gloria Patri. *A.* In domum Dñi lætantes ibimus.

Psalmus cxxij.

Ad te levavi oculos meos: qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum: in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dñm Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri Dñe, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione:

Quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus: et despectio superbis.

Gloria Patri. *A.* Qui habitas in cœlis, miserere nobis.

Psalmus cxxiij.

Nisi quia Dñs erat in nobis, dicat nunc Israël: nisi quia Dñs erat in nobis:

Cùm exurgerent homines in nos: forte vivos deglutissent nos:

Cùm irasceretur furor eorum in nos: forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dñs, qui non dedit nos: in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est: de laqueo venantium:

Laqueus contritus est: et nos liberati sumus.

Adjutorium nostrum in nomine Dñi: qui fecit cœlum et terram.

Gloria Patri. *A.* Adjutorium nostrum in nomine Dñi.

Psalmus cxxiiij.

Qui confidunt in Dño, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum qui habitat in Hierusalem.

Montes in circuitu ejus, et Dñs in circuitu populi sui: ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Quia non relinquet Dñs virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac Dñe: bonis et rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dñs cum operantibus iniquitatem: pax super Israël.

Gloria Patri. *A.* Benefac Dñe, bonis et rectis corde.

Psalmus cxxv.

In convertendo Dñs captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter Gentes: Magnificavit Dñs facere cum eis.

Magnificavit Dñs facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Convertere, Dñe, captivitatem nostram: sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lachrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant: mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.

Gloria Patri. *A.* Facti sumus sicut consolati.

Cap. Dñs autem. (p. 88.)

A Dñe ne in ira *usque ad* XL,

Hymnus.

Telluris ingens Conditor,
Mundi solum qui eruens,
Pulsis aquæ molestiis,
Terram dedisti immobilem:
Ut germen aptum proferens,
Fulvis decora floribus,
Fœcunda fructu sisteret,
Pastumque gratum redderet:

Digitized by Google

Mentis perustæ vulnera
Munda viroris gratia;
Ut facta fletu diluat,
Motusque pravos atterat:
Jussis tuis obtemperet;
Nullis malis approximet;
Bonis repleri gaudeat,
Et mortis actum nesciat.
Præsta, Pater. (p. 88.)
℣. Dirigatur Dñe. (*ibid.*)
Per Æst. Hymnus Lucis Creator.(*ib.*) ℣. Dirigatur.
A. Exultavit spiritus meus in Dño Deo salutari meo. *Ps.* Magnificat. (p. 99.)
Preces etc. ut supra. (p. 39 *et seqq.*) *Oratio ut decet.*

FERIA QUARTA

Ad Vesperas.

Psalmus cxxvj.

Nisi Dñs ædificaverit domum : in vanum laboraverunt qui ædificant eam.
Nisi Dñs custodierit civitatem : frustra vigilat qui custodit eam.
Vanum est vobis ante lucem surgere : surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.
Cùm dederit dilectis suis somnum : ecce hæreditas Dñi filii; merces fructus ventris.
Sicut sagittæ in manu potentis : ita filii excussorum.
Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis : non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta.
Gloria Patri. *A.* Beatus vir qui implevit desiderium suum.

Psalmus cxxvij.

Beati omnes qui timent Dñm : qui ambulant in viis ejus.
Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, et bene tibi erit.
Uxor tua sicut vitis abundans : in lateribus domus tuæ.
Filii tui sicut novellæ olivarum : in circuitu mensæ tuæ.
Ecce sic benedicetur homo : qui timet Dñm.
Benedicat tibi Dñs ex Sion : et videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorum : pacem super Israël.
Gloria Patri. *A.* Beati omnes qui timent Dñm.

Psalmus cxxviij.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea : dicat nunc Israël.
Sæpe expugnaverunt me a juventute mea : etenim non potuerunt mihi.
Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores : prolongaverunt iniquitatem suam.
Dñs justus concidet cervices peccatorum : confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.
Fiant sicut fœnum tectorum : quod priusquam evellatur exaruit.
De quo non implevit manum suam qui metet : et sinum suum qui manipulos colligit :
Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Dñi super vos : benedximus vobis in nomine Dñi.
Gloria Patri. *A.* Benediximus vobis in nomine Dñi.

Psalmus cxxix.

De profundis clamavi ad te Dñe : Dñe exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes : in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates observaveris Dñe : Dñe quis sustinebit?
Quia apud te propitiatio est : et propter legem tuam sustinui te Dñe.
Sustinuit anima mea in verbo ejus : speravit anima mea in Dño.
A custodia matutina usque ad noctem : speret Israël in Dño.
Quia apud Dñm misericordia : et copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israël : ex omnibus iniquitatibus ejus.

Digitized by Google

Gloria Patri. *A.* De profundis clamavi ad te Dñe.

Psalmus cxxx.

Domine non est exaltatum cor meum : neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis : neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam : sed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus est super matre sua : ita retributio in anima mea.

Speret Israël in Dño : ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Gloria Patri. *A.* Speret Israël in Domino.

Cap. Dñs autem. (p. 88.)

A Dñe ne in ira *usque ad* XL,

Hymnus.

Cœli Deus sanctissime,
Qui lucidum centrum poli
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine :
Quarto die qui flammeam
Solis rotam constituens;
Lunæ ministrans ordini
Vagos recursus siderum :
Ut noctibus, vel lumini,
Direptionis terminum,
Primordiis et mensium
Signum dares notissimum :
Illumina cor hominum;
Absterge sordes mentium;
Resolve culpæ vinculum;
Everte moles criminum.
Præsta, Pater. (p. 88.)

℣. Dirigatur Dñe. (*ibid.*)

Per Æst. Hymnus Lucis Creator.(*ib.*) ℣. Dirigatur.

A. Respexisti humilitatem meam, Dñe Deus meus. *Ps.* Magnificat. (p. 99.)

Preces [*etc.*] *ut supra* (p. 39 *et seqq.*).

FERIA QUINTA

Ad Vesperas.

Psalmus cxxxj.

Memento Dñe David : et omnis mansuetudinis ejus.

Sicut juravit Dño : votum vovit Deo Jacob :

Si introiero in tabernaculum domus meæ : si ascendero in lectum strati mei :

Si dedero somnum oculis meis : et palpebris meis dormitationem;

Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Dño : tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata : invenimus eam in campis silvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus : adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.

Surge Dñe in requiem tuam : tu et arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur justitiam : et sancti tui exultent.

Propter David servum tuum : non avertas faciem Christi tui.

Juravit Dñs David veritatem, et non frustrabitur eam : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum : et testimonia mea hæc quæ docebo eos :

Et filii eorum usque in sæculum : sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dñs Sion : elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi : hìc habitabo; quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam : pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari : et sancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David : paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Gloria Patri. *A.* Et omnis mansuetudinis ejus.

Psalmus cxxxij.

Ecce quam bonum et quam jucundum : habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite : quod descendit in barbam, barbam Aaron:

Quod descendit in oram vesti-

Digitized by Google

menti ejus : sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dñs benedictionem : et vitam usque in sæculum.

Gloria Patri. *A.* Ecce quam bonum, et quam jucundum.

Non dicitur ad Vesperas iste Psalmus cxxxiij.

Ecce nunc benedicite Dñm : omnes servi Dñi.

Qui statis in domo Dñi : in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta : et benedicite Dñm.

Benedicat te Dñs ex Sion : qui fecit cœlum et terram.

Psalmus cxxxiiij.

Laudate nomen Dñi : laudate sèrvi Dñm.

Qui statis in domo Dñi : in atriis domus Dei nostri.

Laudate Dñm, quia bonus Dñs : psallite nomini ejus, quoniam suave.

Quoniam Jacob elegit sibi Dñs : Israël in possessionem sibi.

Quia ego cognovi quod magnus est Dñs : et Deus noster præ omnibus diis.

Omnia quæcunque voluit Dñs, fecit in cœlo et in terra : in mari et in omnibus abyssis.

Educens nubes ab extremo terræ : fulgura in pluviam fecit.

Qui producit ventos de thesauris suis : qui percussit primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus.

Et misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte : in Pharaonem et in omnes servos ejus.

Qui percussit gentes multas : et occidit reges fortes.

Sehon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan : et omnia regna Chanaan.

Et dedit terram eorum hæreditatem : hæreditatem Israël populo suo.

Dñe nomen tuum in æternum : Dñe memoriale tuum in generatione et generationem.

Quia judicabit Dñs populum suum : et in servis suis deprecabitur.

Simulachra Gentium argentum et aurum : opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur : oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient : neque enim est spiritus in ore ipsorum.

Similes illis fiant qui faciunt ea : et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israël benedicite Dñm : domus Aaron benedicite Dñm.

Domus Levi benedicite Dñm : qui timetis Dñm, benedicite Dñm.

Benedictus Dñs ex Sion : qui habitat in Hierusalem.

Gloria Patri. *A.* Omnia quæcunque voluit Dñs, fecit.

Psalmus cxxxv.

Confitemini Dño, quoniam bonus : quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini : Deo deorum.

Confitemini : Domino dominorum.

Qui facit : mirabilia magna solus.

Qui fecit cœlos : in intellectu.

Qui firmavit terram : super aquas.

Qui fecit : luminaria magna.

Solem : in potestatem diei.

Lunam et stellas : in potestatem noctis.

Qui percussit Ægyptum : cum primogenitis eorum.

Qui eduxit Israël : de medio eorum.

In manu potenti : et brachio excelso.

Qui divisit mare Rubrum : in divisiones.

Et eduxit Israël : per medium ejus.

Et excussit Pharaonem et virtutem ejus : in mari Rubro.

Qui traduxit populum suum : per desertum.

Qui percussit : reges magnos.

Et occidit : reges fortes.

Sehon : regem Amorrhæorum.

Et Og : regem Basan.

Et dedit terram eorum : hæreditatem.

Hæreditatem Israël : servo suo.

Digitized by Google

Qui in humilitate nostra : memor fuit nostri.

Et redemit nos: ab inimicis nostris.

Qui dat escam : omni carni.

Confitemini : Deo cœli.

Confitemini Domino dominorum : quoniam in æternum misericordia ejus.

Gloria Patri. *A.* Quoniam in æternum misericordia ejus.

Psalmus cxxxvj,

Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus : dum recordaremur tui, Sion.

In salicibus in medio ejus : suspendimus organa nostra.

Quia illic interrogaverunt nos : qui captivos duxerunt nos, verba cantionum :

Et qui abduxerunt nos : Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Quomodo cantabimus canticum Dñi : in terra aliena?

Si oblitus fuero tui, Hierusalem : oblivioni detur dextera mea.

Adhæreat lingua mea faucibus meis : si non meminero tui :

Si non proposuero Hierusalem : in principio lætitiæ meæ.

Memor esto Dñe filiorum Edom : in die Hierusalem;

Qui dicunt, Exinanite, exinanite : usque ad fundamentum in ea.

Filia Babylonis misera : beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

Beatus qui tenebit : et allidet parvulos tuos ad petram.

Gloria Patri. *A.* Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Cap. Dñs autem dirigat. (p. 88.)

A Dñe ne in ira *usque ad* XL,

Hymnus.

Magnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim levas in aëra;
Demersa lymphis imprimens,
Subvecta cœlis irrigans,
Ut stirpe una prodita,
Diversa rapiant loca.
Largire cunctis servulis,
Quos mundat unda sanguinis,
Nescire lapsus criminum,
Nec ferre mortis tædium.
Ut culpa nullum deprimat,
Nullum levet jactantia :
Elisa mens ne concidat;
Elata mens ne corruat.
Præsta, Pater. (p. 88.)

℣. Dirigatur Dñe. (*ibid.*)

Per Æst. Hymnus Lucis Creator. (*ib.*) ℣ Dirigatur Dñe.

A. Deposuit potentes sanctos persequentes, et exaltavit humiles Christum confitentes. *Ps.* Magnificat. (p. 99.)

Preces etc. ut supra (p. 39.), *et Memoriæ feriales ut in ij feriâ ad Matutinas* (p. 40 *et seqq.*) *patet.*

FERIA SEXTA

Ad Vesperas.

Psalmus cxxxvij.

Confitebor tibi Dñe in toto corde meo : quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu angelorum psallam tibi : adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua et veritate tua : quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacunque die invocavero te, exaudi me : multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Dñe omnes reges terræ : quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dñi : quoniam magna est gloria Dñi.

Quoniam excelsus Dñs, et humilia respicit : et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me : et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dñs retribuet pro me; Dñe mise-

Digitized by Google

ricordia tua in sæculum : opera manuum tuarum ne despicias.

Gloria Patri. *A.* In conspectu angelorum psallam tibi Deus meus.

Psalmus cxxxviij.

Domine probasti me, et cognovisti me : tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longe : semitam meam et funiculum meum investigasti.

Et omnes vias meas prævidisti : quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Dñe tu cognovisti omnia, novissima et antiqua : tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.

Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?

Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo : et habitavero in extremis maris;

Etenim illuc manus tua deducet me : et tenebit me dextera tua.

Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me : et nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos : suscepisti me de utero matris meæ.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es : mirabilia opera tua, et anima mea cognoscet nimis.

Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto : et substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus : nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur : exurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occideris Deus peccatores : viri sanguinum declinate a me.

Quia dicitis in cogitatione : Accipient in vanitate civitates suas.

Nonne qui oderunt te Dñe, oderam : et super inimicos tuos tabescebam?

Perfecto odio oderam illos : inimici facti sunt mihi.

Proba me Deus, et scito cor meum : interroga me, et cognosce semitas meas.

Et vide, si via iniquitatis in me est : et deduc me in via æterna.

Gloria Patri. *A.* Domine probasti me, et cognovisti me.

Psalmus cxxxix.

Eripe me Dñe ab homine malo : a viro iniquo eripe me.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde : tota die constituebant prælia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentis : venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me Dñe de manu peccatoris : et ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos : absconderunt superbi laqueum mihi.

Et funes extenderunt in laqueum : juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Dño, Deus meus es tu : exaudi Dñe vocem deprecationis meæ.

Dñe Dñe virtus salutis meæ : obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me Dñe a desiderio meo peccatori : cogitaverunt contra me; ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

Caput circuitus eorum : labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos : in miseriis non subsistent.

Vir linguosus non dirigetur in

Digitized by Google

terra : virum injustum mala capient in interitu.

Cognovi quia faciet Dñs judicium inopis : et vindictam pauperum.

Veruntamen justi confitebuntur nomini tuo : et habitabunt recti cum vultu tuo.

Gloria Patri. *A.* A viro iniquo libera me Dñe.

Psalmus cxl.

Domine clamavi ad te, exaudi me : intende voci meæ, cum clamavero ad te.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone Dñe custodiam ori meo : et ostium circumstantiæ labiis meis.

Non declines cor meum in verba malitiæ : ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem : et non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum : absorpti sunt juncti petræ judices eorum.

Audient verba mea, quoniam potuerunt : sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Dissipata sunt omnia ossa nostra secus infernum : quia ad te, Dñe Dñe, oculi mei; in te speravi, non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi : et a scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo ejus peccatores : singulariter sum ego donec transeam.

Gloria Patri. *A.* Dñe, clamavi ad te : exaudi me.

Psalmus cxlj.

Voce mea ad Dñm clamavi : voce mea ad Dñm deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam : et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum : et tu cognovisti semitas meas.

In via hac qua ambulabam : absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam : et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me : et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te Dñe; dixi, Tu es spes mea : portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam : quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me : quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo : me expectant justi, donec retribuas mihi.

Gloria Patri. *A.* Portio mea Dñe sit in terra viventium.

Cap. Dñs autem dirigat. (p. 88.)

Sequens Hymnus dicitur solum ad Vesperas feriâ vj proximâ ante Dom. primam XL, *quando in prædictâ feriâ vj agitur de feriâ.* ***Hymnus.***

Plasmator hominis Deus,
Qui cuncta solus ordinans,
Humum jubes producere
Reptantis et feræ genus :

Qui magna rerum corpora,
Dictu jubentis vivida,
Ut serviant per ordinem,
Subdens dedisti homini :

Repelle a servis tuis
Quicquid per immunditiam
Aut moribus se suggerit,
Aut actibus se interserit.

Da gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera,
Dissolve litis vincula,
Astringe pacis fœdera.

Præsta, Pater. (p. 88.)

℣. Dirigatur. (*ibid.*)

Per Æst. ***Hymnus*** Lucis Creator.(*ib.*) ℣. Dirigatur.

A. Suscepit Deus Israël puerum

Digitized by Google

suum, sicut locutus est Abraham et semini ejus; et exaltavit humiles usque in sæculum. *Ps.* Magnificat. (p. 99.)

Preces etc. ut supra in ij feriâ ad Matutinas (p. 39 *et seqq.*).

Non dicitur ad Vesperas iste Psalmus cxlij. Dñe exaudi orationem meam : auribus percipe *etc.*

SABBATO

Ad Vesperas.

Psalmus cxliij.

Benedictus Dñs Deus meus, qui docet manus meas ad prælium : et digitos meos ad bellum.

Misericordia mea et refugium meum : susceptor meus et liberator meus.

Protector meus, et in ipso speravi : qui subdit populum meum sub me.

Dñe, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

Homo vanitati similis factus est : dies ejus sicut umbra prætereunt.

Dñe inclina cœlos tuos, et descende : tange montes, et fumigabunt.

Fulgura coruscationem, et dissipabis eos : emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.

Emitte manum tuam de alto; eripe me et libera me de aquis multis : et de manu filiorum alienorum.

Quorum os locutum est vanitatem : et dextera eorum dextera iniquitatis.

Deus, canticum novum cantabo tibi : in psalterio decachordo psallam tibi.

Qui das salutem regibus : qui redemisti David servum tuum de gladio maligno, eripe me :

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem : et dextera eorum dextera iniquitatis.

Quorum filii sicut novellæ plantationes : in juventute sua.

Filiæ eorum compositæ : circumornatæ ut similitudo templi.

Promptuaria eorum plena : eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis : boves eorum crassæ.

Non est ruina maceriæ, neque transitus : neque clamor in plateis eorum.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt : beatus populus cujus Dñs Deus ejus.

Gloria Patri. *A.* Benedictus Dñs Deus meus.

Psalmus cxliiij.

Exaltabo te Deus meus Rex : et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi : et laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magnus Dñs, et laudabilis nimis : et magnitudinis ejus non est finis.

Generatio et generatio laudabit opera tua : et potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur : et mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent : et magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt : et justitia tua exultabunt.

Miserator et misericors Dñs : patiens et multum misericors.

Suavis Dñs universis : et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Confiteantur tibi Dñe omnia opera tua : et sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent : et potentiam tuam loquentur.

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam : et gloriam magnificentiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum omnium sæculorum : et dominatio tua in omni generatione et generationem.

Fidelis Dñs in omnibus verbis

Digitized by Google

suis : et sanctus in omnibus operibus suis.

Allevat Dñs omnes qui corruunt : et erigit omnes elisos.

Oculi omnium in te sperant, Dñe : et tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam : et imples omne animal benedictione.

Justus Dñs in omnibus viis suis : et sanctus in omnibus operibus suis.

Prope est Dñs omnibus invocantibus eum : omnibus invocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet : et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.

Custodit Dñs omnes diligentes se : et omnes peccatores disperdet.

Laudationem Dñi loquetur os meum : et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi.

Gloria Patri. *A.* In æternum et in sæculum sæculi.

Psalmus cxlv.

Lauda anima mea Dñm ; laudabo Dñm in vita mea : psallam Deo meo quandiu fuero.

Nolite confidere in principibus : in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Dño Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram : mare et omnia quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum ; facit judicium injuriam patientibus : dat escam esurientibus.

Dñs solvit compeditos : Dñs illuminat cæcos.

Dñs erigit elisos : Dñs diligit justos.

Dñs custodit advenas ; pupillum et viduam suscipiet : et vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dñs in sæcula ; Deus tuus Sion : in generatione et generationem.

Gloria Patri. *A.* Laudabo Deum meum in vita mea.

Psalmus cxlvj.

Laudate Dñm, quoniam bonus est psalmus : Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio.

Ædificans Hierusalem Dñs : dispersiones Israëlis congregabit.

Qui sanat contritos corde : et alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum : et omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dñs noster, et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dñs : humilians autem peccatores usque ad terram.

Præcinite Dño in confessione : psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cœlum nubibus : et parat terræ pluviam.

Qui producit in montibus fœnum : et herbam servituti hominum.

Qui dat jumentis escam ipsorum : et pullis corvorum invocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit : nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est Dño super timentes eum : et in eis qui sperant super misericordia ejus.

Gloria Patri. *A.* Deo nostro jucunda sit laudatio.

Psalmus cxlvij.

Lauda Hierusalem Dñm : lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum : benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem : et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ : velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buc-

Digitized by Google

cellas : ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea : flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob : justitias et judicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi : et judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri. *A.* Lauda Hierusalem Dominum.

Cap : ij ad Cor. j.

Benedictus Deus et pater Dñi nostri Jesu Christi; Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis; qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Deo gratias.

Hoc Cap. dicitur in Sabbatis ad Vesp. à Dñe ne in ira *usque ad* LXX, *et à* Deus omnium *usque ad Adv. Dñi, quando de Dom. agitur.*

Hic sequens Hymnus dicitur ad Vesp. in Sabbatis à Dñe ne in ira *usque ad* XL, *quando de Dom. agitur.*

Hymnus.

Deus Creator omnium,
Polique Rector, vestiens
Diem decoro lumine,
Noctem soporis gratia;
Artus solutos ut quies
Reddat laboris usui,
Mentesque fessas allevet,
Luctusque solvat anxios:
Grates peracto jam die,
Et noctis exortu preces,
Votis reos ut adjuves,
Hymnum canentes solvimus.
Te cordis ima concinant,
Te vox canora concrepet,
Te diligat castus amor,
Te mens adoret sobria.
Ut cum profunda clauserit
Diem caligo noctium,
Fides tenebras nesciat,
Et nox fidei luceat.
Dormire mentem ne sinas;
Dormire culpa noverit :
Castos fides refrigerans
Somni vaporem temperet.
Exuta sensu lubrico
Te cordis alta somnient;
Ne hostis invidi dolo
Pavor quietos suscitet.
Christum rogemus et Patrem,
Christi Patrisque Spiritum:
Unum potens per omnia
Fove precantes Trinitas. Amen.

℣. Vespertina oratio ascendat ad te Dñe. ℟. Et descendat super nos misericordia tua.

Sequens Hymnus dicitur in Sabbatis ad Vesperas à Deus omnium *usque ad Adv. quando de Dom. agitur.*

Hymnus.

O Lux beata Trinitas,
Et principalis Unitas :
Jam Sol recedit igneus:
Infunde lumen cordibus.
Te mane laudum carmine,
Te deprecemur vesperi;
Te nostra supplex gloria
Per cuncta laudet sæcula.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

℣. Vespertina oratio.

Et dicitur Añ̃a ut decet.

Psalmus. Lucæ j.

Magnificat : anima mea Dñm. Et exultavit spiritus meus : in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est : et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies : timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede : et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis : et divites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum : recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros : Abraham, et semini ejus in sæcula.

Gloria Patri. Sicut erat.

Digitized by Google

AD COMPLETORIUM,

Dicto Pater noster *et* Ave Maria,

Incipiat Sacerdos:

Converte nos Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis.

Deus in adjutorium meum intende. Dñe ad adjuvandum me festina.

[Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen; Alleluia, *vel* Laus tibi Dñe, Rex æternæ gloriæ, *pro temporis diversitate.*]

¶ *Completorium j.*

Psalmus iiij.

Cùm invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei: et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dñs sanctum suum: Dñs exaudiet me cùm clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Dño: multi dicunt, Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Dñe: dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui: multiplicati sunt.

In pace in idipsum: dormiam et requiescam.

Quoniam tu Dñe singulariter in spe: constituisti me.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Psalmus xxx.

In te Dñe speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii: ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu: et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me, Dñe Deus veritatis.

Gloria Patri.

Psalmus xc.

Qui habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Dño, Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circundabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu, et dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Veruntamen oculis tuis considerabis: et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Dñe spes mea: Altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem et draconem.

Digitized by Google

Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamavit ad me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: et ostendam illi salutare meum.

Psalmus cxxxiij.

Ecce nunc benedicite Dñm: omnes servi Dñi.

Qui statis in domo Dñi: in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta: et benedicite Dñm.

Benedicat te Dns ex Sion: qui fecit cœlum et terram.

Gloria Patri. *A.* Miserere mihi Dñe, et exaudi orationem meam.

Hæc prædicta aña dicitur super hos Psalmos per totum Adv. et à crastino Oct. Epiph. usque ad XL., *et à Dom. in Passione usque ad Cœnam Dñi, et à crastino S. Trinitatis usque ad Adv. nisi in festis et in Oct. B. Mariæ, et in festis Reliquiarum et Omnium Sanctorum.*

Capitulum. Hier. xiiij.

Tu in nobis es, Dñe: et nomen sanctum tuum invocatum est super nos: ne derelinquas nos, Dñe Deus noster. *Hoc Cap. dicitur ad Compl. per totum annum, nisi à Cœna Dñi usque ad Oct. Paschæ.*

Hymnus.

Te lucis ante terminum,
Rerum Creator, poscimus;
Ut solita clementia
Sis præsul ad custodiam.

Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata;
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Præsta, Pater omnipotens,
Per Jesum Christum Dominum;
Qui tecum in perpetuum
Regnat cum Sancto Spiritu. Amen.

℣. Custodi nos Dñe. ℟. Ut pupillam oculi sub umbra alarum tuarum protege nos.

Canticum Simeonis. Lucæ ij.

Nunc dimittis servum tuum Dñe: secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei: salutare tuum.

Quod parasti: ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium: et gloriam plebis tuæ Israël.

Gloria Patri. *A.* Veni Dñe visitare nos in pace; ut lætemur coram te corde perfecto.

Kyrie el. *etc. Sequantur Preces.*

Hoc Completorium non mutatur in Adventu, nisi in festis duplicibus infra Adv. contingentibus: tunc enim mutatur Hymnus solummodo, et dicitur Hymnus Salvator [*ut infra*]. *Et nisi in Conceptione Beatæ Mariæ cum infra Adv. celebrata fuerit: tunc enim in fine Hymni dicitur*

Gloria tibi Domine,
Qui natus es [de Virgine,
Cum Patre et Sancto Spiritu,
Per sempiterna sæcula. Amen.]

¶ *Compl. ij.*

In Vigil. Nativ. Dñi ad Compl. super Psalmos A. Estote parati, similes hominibus expectantibus Dñm, quando revertatur a nuptiis. *Ps.* Cùm invocarem, *et cæteri Psalmi consueti. Cap.* Tu in nobis es.

Hymnus.

Salvator mundi Domine,
Qui nos salvasti hodie:
In hac nocte nos protege,
Et salva omni tempore.

Adesto nunc propitius,
Et parce supplicantibus:
Tu dele nostra crimina,
Tu tenebras illumina.

Ne mentem somnus opprimat,
Nec hostis nos surripiat:
Nec ullis caro (petimus)
Commaculetur sordibus.

Te Reformator sensuum,
Votis precamur cordium;
Ut puri castis mentibus
Surgamus a cubilibus.

Deo Patri sit gloria,

Digitized by Google

Ejusque soli Filio :
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

℣. Custodi. *Hic Hymnus dicitur ad Compl. quotidie usque ad Oct. Epiph. et in ipsis Oct. Et in omnibus festis dupl. ab Oct. Epiph. usque ad j Dom.* XL, *et in omnibus festis dupl. à Pent. usque ad Vig. Nativ. Dñi. Dicitur etiam in Vig. Pent. et per ipsius hebdom. scil. in v et in vj feriâ et Sabb. Et quotidie per Oct. et in Oct. Assumptionis et Nativ. B. Mariæ et Dedicationis Ecclesiæ, sive de Oct. fit servitium, sive de aliquo Sancto ix lect. Et per Oct. Corporis Christi ubi fiunt cum regimine chori.*

Añа. Vigilate omnes et orate; nescitis enim quando tempus sit : vigilate ergo; nescitis enim quando Dñs veniet; sero, an media nocte, an galli cantu, an mane : ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. *Ps.* Nunc dimittis.

Preces etc. quæ ad Compl. pertinent expleantur.

¶ *Compl. iij.*

In die Nativ. Dñi ad Compl. super Psalmos A. Natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dñs, in civitate David. *Ps.* Cùm invocarem.

Cap. Tu in nobis es. *Hymnus* Salvator. ℣. Custodi.

A. Alleluia, Verbum caro factum est, Alleluia : et habitavit in nobis, Alleluia, alleluia. *Ps.* Nunc dimittis.

Preces etc. ut supra.

Hoc Compl. non mutatur usque ad Circumcisionem. Añа vero super Nunc dimittis *dicitur usque ad Vigiliam Epiph.*

¶ *Compl. iiij.*

In die Circumcisionis Dñi ad Compl. A. Nato Dño angelorum chori canebant dicentes, Salus Deo nostro sedenti super thronum et agno. *Ps.* Cùm invocarem.

Cap. Tu in nobis. *Hymnus* Salvator. ℣. Custodi.

A. Alleluia : Verbum caro. *Ps.* Nunc dimittis.

Preces etc. quæ ad Compl. pertinent expleantur.

Hoc Compl. non mutatur usque ad Vigil. Epiph.

¶ *Compl. v.*

In Vigil. Epiph. ad Compl. super Psalmos A. Lux de luce apparuisti Christe, cui Magi munera offerunt, Alleluia, alleluia, alleluia. *Ps.* Cùm invocarem.

Cap. Tu in nobis. *Hymnus* Salvator. ℣ Custodi nos.

A. Alleluia : omnes de Saba venient, Alleluia : aurum et thus deferentes, Alleluia, alleluia. *Ps.* Nunc dimittis.

Hoc Compl. non mutatur per totam Octavam.

¶ *Compl. vj.*

In crastino Epiph. ad Compl. A. Miserere. *Ps.* Cùm invocarem.

Cap. Tu in nobis. *Hymnus* Te lucis. ℣. Custodi nos.

A. Salva nos Dñe vigilantes : custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace. *Ps.* Nunc dimittis.

Preces etc. quæ ad Compl. pertinent expleantur.

Hoc Compl. dicitur à crastino Oct. Epiph. usque ad XL, *et à crastino S. Trinitatis usque ad Adv. Dñi, nisi in festis dupl. et per Oct. Visitationis, Assumptionis, et Nativ. B. Mariæ et Dedicationis Ecclesiæ, et nisi in Compl. B. Mariæ.*

¶ *Compl. vij.*

Dominica prima XL *ad Compl. super Psalmos A.* Signatum est super nos lumen vultus tui Dñe : dedisti lætitiam in corde meo. *Ps.* Cùm invocarem.

Cap. Tu in nobis. *Clericus* ℟. In pace : *Chorus prosequatur :* in idipsum dormiam et requiescam. *Cler.* ℣. Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem. *Ch.* Dormiam et requiescam. *Cl.*

Digitized by Google

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. *Ch.* In pace [in idipsum *etc.*]

Hymnus.

Christe qui lux es et dies,
Noctis tenebras detegis,
Lucisque lumen crederis,
Lumen beatum prædicans:
Precamur sancte Dñe,
Defende nos in hac nocte:
Sit nobis in te requies;
Quietam noctem tribue.
Ne gravis somnus irruat,
Nec hostis nos surripiat:
Nec caro illi consentiens,
Nos tibi reos statuat.
Oculi somnum capiant,
Cor ad te semper vigilet:
Dextera tua protegat
Famulos qui te diligunt.
Defensor noster aspice,
Insidiantes reprime:
Guberna tuos famulos,
Quos sanguine mercatus es.
Memento nostri Dñe,
In gravi isto corpore:
Qui es defensor animæ,
Adesto nobis Dñe.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito:
Et nunc et in perpetuum. Amen.

℣. Custodi nos.

A. Cum videris nudum, operi eum; et carnem tuam ne despexeris: tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et gloria Dñi colliget te. *Ps.* Nunc dimittis.

Hæc prædicta A.viz. Signatum est. *et* ℟. In pace. *et Hymnus* Christe qui lux es. *dicantur quotidie ad Compl. usque ad Passionem Dñi, de quocunque fit servitium. Añа verò super* Nunc dimittis, *per quindecim dies.*

¶ *Compl. viij.*

Dom. iij XL *ad Compl. A.* Signatum est. *Ps.* Cùm invocarem.

Cap. Tu in nobis. ℟. In pace. *Hymnus* Christe qui lux. ℣. Custodi.

Ps. Nunc dimittis. *A.* Media vita in morte sumus: quem quærimus adjutorem nisi te Dñe? qui pro peccatis nostris juste irasceris. Sancte Deus: Sancte fortis: Sancte et misericors Salvator: amaræ morti ne tradas nos. ℣. Ne projicias nos in tempore senectutis: cùm defecerit virtus nostra, ne derelinquas nos Dñe. Sancte Deus: [Sancte fortis: Sancte et misericors Salvator: amaræ morti ne tradas nos.] ℣. Noli claudere aures tuas ad preces nostras. Sancte fortis: [Sancte et misericors Salvator: amaræ morti ne tradas nos.] ℣. Qui cognoscis occulta cordis, parce peccatis nostris. Sancte et misericors [Salvator: amaræ morti ne tradas nos].

Hæc A. dicitur super Ps. Nunc dimittis *per xv dies. Versus verò non dicuntur nisi in Sabb. et in Dom. et in festis ix lect. In festis duplicibus ad utrumque Compl. in superiori gradu dicantur, loco nec habitu mutato.*

¶ *Compl. ix.*

Dom. in Passione ad Compl. A. Miserere. *Ps.* Cùm invocarem.

Cap. Tu in nobis. *Clericus* ℟. In manus tuas: *Chorus prosequatur:* Dñe, commendo spiritum meum. *Cler.* ℣. Redemisti me Dñe Deus veritatis. *Ch.* Commendo [sp. meum]. *Non dicitur* Gloria Patri, *sed reincipiat Cl.* In manus [tuas, Dñe, *etc.*]

Hymnus.

Cultor Dei memento
Te fontis et lavachri
Rorem subisse sanctum;
Te chrismate innovatum.
Fac cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen:
Fugiunt crucem tenebræ:
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
Procul, procul, vagantum
Portenta somniorum:
Procul esto pervicaci
Præstigiator astu.

Digitized by Google

O tortuose serpens,
Qui mille per mæandros
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda.
Discede; Christus hìc est:
Christus hìc est; liquesce:
Signum quod ipse nósti
Damnat tuam catervam.
Corpus licet fatiscens
Jaceat reclive paulum:
Christum tamen sub ipso
Meditatur sopore.
Gloria æterno Patri,
Et Christo vero Regi,
Paraclitoque Sancto:
Et nunc et in perpetuum. Amen.

℣. Custodi nos.

Ps. Nunc dimittis. *A.* O rex gloriose inter Sanctos tuos, qui semper es laudabilis, et tamen ineffabilis: tu in nobis es Dñe, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos: ne derelinquas nos Deus noster; ut in die judicii nos collocare digneris, Inter sanctos et electos tuos, Rex benedicte. ℣. Rex benedicte, tuos per prospera dirige servos. Inter. *et dicitur usque ad finem añæ. Alius* ℣. Ut tergant miseras pia per jejunia culpas. Rex benedicte. *Alius* ℣. Atque colant pure solennia mystica Paschæ. Inter Sanctos et electos tuos, Rex benedicte. *usque ad finem añæ.*

Hoc Compl. dicitur quotidie usque ad Cœnam Dñi supradicto modo, de quocunque fit servitium, excepto quod in feriis non dicuntur versus post Ps. Nunc dimittis.

¶ *Compl. x.*

Feriâ v in Cœna Dñi ad Compl. in primis inchoetur ab executore officii añæ Christus factus est *sine nota. Psalmi*, Cùm invocarem. In te Dñe. Ecce nunc. Nunc dimittis. *sine* Gloria Patri. *Post Psalmos dicitur tota A.* Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem: mortem autem crucis.

Deinde dicat Sacerdos Dñs vobiscum. Et cum spiritu tuo. *Oratio.*

Respice quæsumus Dñe super hanc familiam tuam, pro qua Dñs noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. *quæ terminetur sic,* Qui tecum vivit *etc.*

Dñs vobiscum. Et cum sp. tuo.

Benedicamus Dño. Deo gratias.

¶ *Compl. xj.*

Feriâ vj in die Parasceues ad Compl. incipiat Sacerdos añam sine nota: Christus factus est. *Et interim fiat genuflexio in choro.*

Añæ et cætera omnia fiant sicut in die Cœnæ, sine Dñs vob. *et sine* Oremus: *et post Psalmos et añam dicitur* Pater noster *et* Ave Maria, *et Ps.* Miserere, *sine* Gloria Patri, *cum prostratione.*

Et finiatur Compl. Sacerdote dicente Orationem Respice quæsumus Dñe, *sine* Dñs vob. *et sine* Oremus, *et sine* Qui tecum, *et sine* Benedicamus, *et sic compleatur.*

¶ *Compl. xij.*

Sabbato sancto in Vigil. Paschæ, pulsatis campanis duobus signis dupliciter vel tripliciter, incipiat Sacerdos, Deus in adj. meum. [Dñe ad.] Gloria Patri. *et cætera more solito, sine* Converte nos.

Añæ incipiatur in superiori gradu. Alleluia, all'a, all'a, all'a. *Psalmi,* Cùm invocarem. In te. Ecce nunc. Nunc dimittis. *Et dicuntur hi Psalmi supradicti sub unâ voce, nullum Psalmum exaltando, quod etiam observetur quotidie usque ad Oct. Paschæ ad Compl. Finitis Psalmis cum* Gloria Patri *tota dicitur añæ.*

Deinde dicitur Dñs vob. [Et cum.] *et* Oremus. *Oratio.*

Spiritum nobis Dñe tuæ charitatis infunde, ut quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dñm [nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat] in unitate ejusdem [Spiritus Sancti Deus, per

Digitized by Google

omnia sæcula sæculorum. Amen.] *cum* Dñs vob. *et* Benedicamus. *sine* All'a. *ab executore officii.*

Et sciendum est quod hæc Oratio dicitur quotidie ad Compl. usque ad Oct. Paschæ.

¶ *Compl. xiij.*

In die Paschæ ad Compl. Deus in adjutorium. *A. et Psalmi sicut in Sabb.*

Repetitâ añâ post Psalmos, statim incipiatur à cantore ℟. Hæc dies quam fecit Dñs: exultemus et lætemur in ea. *sine neumate. Deinde dicat Sacerdos* ℣. In resurrectione tua Christe. ℟. Cœli et terra lætentur, Alleluia. Dñs vob. [Et.] Oremus.

Or. Spiritum nobis. *cum* Dñs vob. *et* Benedicamus. *sine* All'a. *Hoc eodem modo dicitur Compl. per totam hebd. usque ad Sabbatum.*

¶ *Compl. xiiij.*

Dominicâ in Oct. Paschæ ad Compl. Converte nos. *et* Deus in adjutorium. [Gloria Patri *etc.*]

Añа. Alleluia, all'a, all'a, all'a. *Psalmi* Cùm invocarem. In te Dñe speravi. Qui habitat. Ecce nunc.

Cap. Tu in nobis. *Hymnus.*

Jesu Salvator sæculi,
Verbum Patris altissimi;
Lux lucis invisibilis,
Custos tuorum pervigil:
Tu fabricator omnium,
Discretor atque temporum;
Fessa labore corpora
Noctis quiete recrea.
Ut dum gravi in corpore
Brevi manemus tempore,
Sic caro nostra dormiat,
Ut mens in Christo vigilet.
Te deprecamur supplices
Ut nos ab hoste liberes:
Ne valeat seducere
Tuo redemptos sanguine.
Quæsumus, Auctor omnium,
In hoc Paschali gaudio:
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis:
Cum Patre et Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Custodi nos.

Añа. Alleluia: Resurrexit Dñs, All'a: sicut dixit vobis, All'a, all'a. *Ps.* Nunc dimittis.

Preces et cætera quæ ad Compl. pertinent expleantur.

Hoc Compl. non mutatur usque ad Asc. Dñi, de quocunque fit servitium, nisi quando dicitur de S. Maria; tunc enim dicitur in fine Hymni Quæsumus auctor. *cum versu*

Gloria tibi, Domine,
Qui natus [es de Virgine,
Cum Patre et Sancto Spiritu.
In sempiterna sæcula. Amen.]:

ita tamen quod añа super Psalmos dicatur ad festum S. Trinitatis.

¶ *Compl. xv.*

In Vig. Ascensionis Dñi ad Compl. [*añа*] *super Psalmos ut in Oct. Paschæ.*

Cap. Tu in nobis es Dñe. *Hymnus.*

Jesu nostra redemptio,
Amor et desiderium;
Deus Creator omnium,
Homo in fine temporum:
Quæ te vicit clementia,
Ut ferres nostra crimina;
Crudelem mortem patiens,
Ut nos a morte tolleres?
Inferni claustra penetrans,
Tuos captivos redimens:
Victor triumpho nobili
Ad dextram Patris residens.
Ipsa te cogat pietas,
Ut mala nostra superes
Parcendo, et voti compotes
Nos tuo vultu saties.
Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper sæcula.
Gloria tibi, Domine,
Qui scandis supra sidera,
Cum Patre et Sancto Spiritu:
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Custodi.

Añа. Alleluia, ascendens Christus

Digitized by Google

in altum, All'a, captivam duxit captivitatem, All'a, all'a. *Ps.* Nunc dimittis.

Hoc eodem modo dicitur Compl. quotidie usque ad Pent. de quocunque fit servitium, nisi quando dicitur de Commemoratione B. Mariæ, tunc enim post ℣. Tu esto. *dicitur* ℟.

Gloria tibi, Domine.

Qui natus [*etc. ut* p. 105.]

¶ *Compl. xvj.*

In Vig. Pentecostes ad Compl. aña. Alleluia *iiij* [*quater*], *ut supra in Oct. Paschæ.*

Cap. Tu in nobis. *Hymnus* Salvator. ℣. Custodi.

Aña. All'a, Spiritus Paraclitus, All'a, docebit vos omnia, All'a, all'a. *Ps.* Nunc dimittis.

Preces et cætera quæ ad Compl. pertinent expleantur.

¶ *Compl. xvij.*

In die Pentecostes ad Compl. aña. Alleluia *iij ut supra. Ps.* Cùm invocarem. *Cap.* Tu in nobis.

Hac die et tribus diebus sequentibus pro Hymno dicitur ista Sequentia.

Alma chorus Domini nunc pangat nomina summi.

Messias, Soter, Emmanuel, Sabaoth, Adonai,

Est unigenitus, via, vita, manus, homoüsion,

Principium, primogenitus, sapientia, virtus,

Alpha, caput finisque simul vocitatur, et est oo.

Fons et origo boni, Paraclitus ac Mediator,

Agnus, ovis, vitulus, serpens, aries, leo, vermis,

Os, verbum, splendor, sol, gloria, lux, et imago,

Panis, flos, vitis, mons, janua, petra, lapisque,

Angelus, et Sponsus, Pastorque, Propheta, Sacerdos,

Athanatos, Kyrios, Theos, et Panton-craton, Iesus.

Salvificet nos:

Sit cui sæcla

Per omnia doxa. Amen.

℣. Custodi nos.

Reliquis vero diebus dicitur Hymnus Salvator (p. 101).

Aña Alleluia, Sp. Paracl. (*ut supra in Vig.*) *Ps.* Nunc dimittis.

¶ *Compl. xviij.*

In festo S. Trinitatis ad Compl. A. Miserere. *Ps.* Cùm invocarem.

Cap. Tu in nobis. *Hymnus* Salvator. ℣. Custodi nos.

A. Lucem tuam Dñe nobis concede; ut destitutis cordium tenebris, pervenire possimus ad lumen quod est Christus. *Ps.* Nunc dimittis.

Hoc Compl. dicitur omnibus duplicibus festis ab hac die usque ad Adv. Dñi. Et ab Oct. Epiph. usque ad Dom. j XL, *nisi in festis et per Oct. B. Mariæ, et in festis Reliquiarum et Omnium Sanctorum. Dicetur etiam in festo et in Oct. Dedicationis Ecclesiæ, de quocunque fit servitium, si extra Adv. et* XL *et tempus Paschale evenerit, et si per Æstatem contigerit, vel alias quando Octavas cum regimine chori habere poterit sicut habetur in eodem festo.*

¶ *Compl. xix.*

In festo Reliquiarum et Omnium Sanctorum ad Compl. super Ps. A. Sanctorum precibus cunctorum, redde salutem corporis ac animæ, Christe, tuis famulis. *Ps.* Cùm invocarem.

Cap. Tu in nobis. *Hymnus* Salvator. ℣. Custodi.

A. Lucem tuam. *Ps.* Nunc dimittis.

¶ *Compl. xx.*

In Purificatione B. Mariæ ad Compl. super Ps. A. Virgo Verbo concepit, Virgo permansit, Virgo peperit Regem omnium regum. *Ps.* Cùm invocarem.

Cap. Tu in nobis. *Hymnus* Salvator. ℣. Custodi.

A. Glorificamus. (p. 107.) *Ps.* Nunc dimittis.

Digitized by Google

¶ *Compl. xxj.*

In Visitatione et Assumptione ejusdem ad Compl. super Ps. A. Sancta Maria Virgo, intercede pro toto mundo, quia genuisti regem orbis. *Ps.* Cùm invocarem.

Cap. Tu in nobis. *Hymnus* Salvator. ℣. Custodi.

A. Glorificamus (*ut infra*). *Ps.* Nunc dimittis.

¶ *Compl. xxij.*

In Nativitate ejusdem ad Compl. super Ps. A. Beata mater et innupta virgo, gloriosa Regina mundi; intercede pro nobis ad Dñm. *Ps.* Cùm invocarem.

Cap. Tu in nobis. *Hymnus* Salvator. ℣. Custodi.

A. Glorificamus te, Dei genitrix; quia ex te natus est Christus : salva omnes qui te glorificant. *Ps.* Nunc dimittis.

Kyrie eleison. *iij.*

Christe eleison. *iij.*

Kyrie eleison. *iij.*

Prædicta A. viz. Glorificamus *dicitur in omnibus festis et per Oct. B. Mariæ et in Comm. ejusdem per totum annum nisi in Adv. et in Annunciatione et in tempore Paschali.*

Sequuntur Preces.

Pater noster. Ave Maria.

Et ne nos. Sed libera.

In pace in idipsum : Dormiam et requiescam.

Credo in Deum. Carnis resurrectionem. Et vitam æternam. Amen.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Dñe in firmamento cœli. Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in sæcula.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dñs. Amen.

Confiteor, Misereatur, *et* Absolutionem *tam ad Primam quam ad Compl. per totum annum quando* Confiteor *dicitur, et dicitur privatim ut vix audiatur à choro, hoc modo.*

Sacerdos respiciens ad altare : Confiteor Deo, Beatæ Mariæ, omnibus Sanctis, *Vertens se ad chorum,* et vobis : peccavi nimis cogitatione, locutione, et opere : mea culpa. *Respiciens ad altare,* Precor Sanctam Mariam et omnes Sanctos Dei, *Respiciens ad chorum,* et vos orare pro me.

Chorus respondeat ad eum conversus : Misereatur [tui *etc. ut infra.*] *Postea, primo ad altare conversus,* Confiteor [*etc. ut supra.*] *: deinde ad Sacerdotem conversus, ut prius Sacerdos se habuit.*

Deinde dicat Sacerdos ad chorum : Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimittat vobis omnia peccata vestra : liberet vos ab omni malo; conservet et confirmet in bono; et ad vitam perducat æternam. Amen.

Absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium veræ pœnitentiæ, emendationem vitæ, gratiam et consolationem Sancti Spiritus, tribuat vobis omnipotens et misericors Dñs. Am.

Deus tu conversus vivificabis nos. Et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Dñe misericordiam tuam. Et salutare tuum da nobis.

Dignare Dñe nocte ista. Sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Dñe. Miserere nostri.

Fiat misericordia tua Dñe super nos. Quemadmodum speravimus in te.

Dñe Deus virtutum converte nos. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Dñe exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Dñs vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Hæ Preces prædictæ dicuntur supradicto modo per totum annum ad Compl. tam in festis duplicibus quam in simpl. etiam sine regimine chori. Et in feriis, nisi à Cœna Dñi

Digitized by Google

usque ad Oct. Paschæ, ita tamen quod in omnibus feriis per Adv. et à Dñe ne in ira *usque ad Cœnam Dñi, et à* Deus omnium *usque ad Adv. Dñi, quando de feriâ agitur, post* ℣. Fiat misericordia *etc. statim sequatur* Exaudi Dñe vocem meam qua clamavi ad te. Miserere mei et exaudi me. *Sequatur Ps.* Miserere : *totus Ps. dicitur cum* Gloria *et* Sicut erat *sine notâ. Et tunc omnia fiant in prostratione ab inceptione j* Kyrie eleison *usque post Orationem et* Confiteor *et* Misereatur *et* Absolutionem : *ita tamen quod immediate post Psalmum erigat se Sacerdos solus sic dicens :*

Exurge Dñe adjuva nos. Et libera nos propter nomen tuum.

Dñe Deus virtutum converte nos. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Dñe exaudi. Et clamor.

Dñs vob. [Et cum.] Oremus.

Illumina, quæsumus Dñe Deus, tenebras nostras : et totius hujus noctis insidias tu a nobis repelle propitius. Per Dñm [postrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat] in unitate [Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen].

Dñs vobiscum. [Et cum sp. tuo.] Benedicamus Dño. [Deo gratias.]

Hæc Oratio prædicta cum. Cap. et ℣. Custodi nos *dicatur ad Compl. per totum annum, nisi à Cœna Dñi usque ad Oct. Paschæ.*

Omni die per annum post Compl. de die, et post Mat. de die, præterquam in duplicibus festis, et per Oct. Corporis Christi et Visitationis, Assumptionis, et Nativitatis B. Mariæ, et Dedicationis Ecclesiæ, et Nominis Jesu, et in die Animarum, et in Vigilia Nativitatis Dñi, et abhinc usque ad inceptionem historiæ Dñe ne in ira *et à iiij feriâ ante Pascham usque ad inceptionem historiæ* Deus omnium, *dicitur pro pace Ecclesiæ cum genuflexione sine notâ iste Ps.*

Ad te levavi oculos meos : qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum : in manibus dominorum suorum :

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dñm Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri Dñe, miserere nostri : quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra : opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

Gloria Patri.

Finito Psalmo sequitur :

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Et ne nos. Sed libera.

Exurge Dñe adjuva nos. Et libera nos propter nomen tuum.

Dñe Deus virtutum converte nos. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Dñe exaudi. Et clamor.

Dñs vob. [Et cum.] *Oratio.*

Ecclesiæ tuæ Dñe preces placatus admitte : ut destructis adversitatibus et erroribus universis, securâ tibi serviat libertate; et pacem tuam nostris concede temporibus. Per Christum [Dominum nostrum. Am.]

His dictis surgat Sacerdos et omnes Clerici à prostratione osculantes formulas.

PSALMI POENITENTIALES.

Contra iram. Psalmus [vj].

Domine, ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Dñe, quoniam infirmus sum : sana me Dñe, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde : sed tu Dñe usquequo?

Convertere Dñe, et eripe animam meam : salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi?

Digitized by Google

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum : lachrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dñs vocem fletus mei.

Exaudivit Dñs deprecationem meam : Dñs orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri.

Contra superbiam. Psalmus [*xxxj*].

Beati quorum remissæ sunt iniquitates : et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui non imputavit Dñs peccatum : nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea : dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua : conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci : et injustitiam meam non abscondi.

Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Dño : et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus : in tempore opportuno.

Veruntamen in diluvio aquarum multarum : ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione quæ circundedit me : exultatio mea; erue me a circundantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradièris : firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus : quibus non est intellectus.

In chamo et fræno maxillas eorum constringe : qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris : sperantem autem in Dño misericordia circundabit.

Lætamini in Dño et exultate justi : et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri.

Contra gulam. Psalmus [*xxxvij*].

Domine ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi : et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ : a facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem : tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus : et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis : rugiebam a gemitu cordis mei.

Dñe, ante te omne desiderium meum : et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea : et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei : adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant de longe steterunt : et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates : et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam : et sicut mutus non aperiens os suum.

Digitized by Google

Et factus sum sicut homo non audiens : et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Dñe speravi : tu exaudies me, Dñe Deus meus.

Quia dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei : et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum : et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo : et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt et confirmati sunt super me : et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi : quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Dñe Deus meus : ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum : Dñe Deus salutis meæ.

Gloria Patri.

Contra luxuriam. Psalmus [*I*].

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam *etc.* (p. 38.)

Contra avaritiam. Psalmus [*cj*].

Domine exaudi orationem meam : et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me : in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te : velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei : et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum : quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei : adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pelicano solitudinis : factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi : et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei : et qui laudabant me adversum me jurabant,

Quia cinerem tanquam panem manducabam : et potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ indignationis tuæ : quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt : et ego sicut fœnum arui.

Tu autem Dñe in æternum permanes : et memoriale tuum in generatione et generationem.

Tu exurgens Dñe misereberis Sion : quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus : et terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum Dñe : et omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dñs Sion : et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium : et non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera : et populus qui creabitur laudabit Dñm.

Quia prospexit de excelso sancto suo : Dñs de cœlo in terram aspexit;

Ut audiret gemitus compeditorum : ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Dñi : et laudem ejus in Hierusalem.

In conveniendo populos in unum : et reges ut serviant Dño.

Respondit ei in via virtutis suæ : Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum : in generatione et generationem anni tui.

Initio tu Dñe terram fundasti : et opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes : et omnes sicut vestimentum veterascent;

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem

Digitized by Google

ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt : et semen eorum in sæculum dirigetur.

Gloria Patri.

Contra invidiam. Psalmus [*cxxix*].

De profundis clamavi. *Require supra.* (p. 91.)

Contra acediam. Psalmus [*cxlij*].

Domine exaudi orationem meam; auribus percipe obsecrationem meam : in veritate tua exaudi me, in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam : humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi : et anxiatus est super me spiritus meus; in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum; meditatus sum in omnibus operibus tuis : in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te : anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Dñe : defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me : et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam : quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem : quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Dñe; ad te confugi : doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : propter nomen tuum Dñe vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam : et in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam : quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri.

Añia. Ne reminiscaris Dñe delicta nostra vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris. *Non dicitur ulterius quando dicitur in choro.* Parce Dñe, parce populo tuo quem redemisti pretioso sanguine tuo; ne in æternum irascaris nobis; et ne des hæreditatem tuam in perditionem : ne in æternum obliviscaris nobis.

NOTANDUM *quod omni feriali die per totam* XL *dicitur Letania sicut in secundâ feriâ usque ad ordinem martyrum.* Propitius esto. *usque ad finem. Et quicquid Sacerdos dicit de Letania, chorus idem repetat plene et integre usque ad prolationem* Ut pacem nobis dones. *tunc respondeat chorus.* Te rogamus audi nos *tantum : et sic de singulis usque ad* Fili Dei, te rogamus audi nos. *tunc respondeat chorus idem : et sic de singulis usque ad* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Feriâ secundâ. *Letania.*

Kyrie eleison. Christe eleison.
Christe audi nos.
Pater de cœlis Deus,
miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
miserere nobis.
Spiritus sancte Deus,
miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus,
miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, or.
Sancta Virgo virginum, or.
Sancte Michael, or.
Sancte Gabriel, or.
Sancte Raphael, or.
Omnes sancti Angeli et Archangeli Dei, orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Johannes Baptista,
ora pro nobis.
Omnes sancti patriarchæ et prophetæ, orate pro nobis.

Digitized by Google

Sancte Petre, ora pro nobis.
Sancte Paule, or.
Sancte Andrea, or.
Sancte Johannes, or.
Sancte Jacobe, or.
Sancte Thoma, or.
Sancte Philippe, or.
Sancte Jacobe, or.
Sancte Matthæe, or.
Sancte Bartholomæe, or.
Sancte Simon, or.
Sancte Thaddæe, or.
Sancte Matthia, or.
Sancte Barnaba, or.
Sancte Marce, or.
Sancte Luca, or.
Omnes sancti Apostoli et Euangelistæ, orate pro nobis.
Omnes sancti discipuli Domini et innocentes, orate pro nobis.
Hucusque dicitur in singulis Letaniis. Feriâ ij in Quadragesimâ.
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Line, or.
Sancte Clete, or.
Sancte Clemens, or.
Sancte Fabiane, or.
Sancte Sebastiane, or.
Sancte Cosma, or.
Sancte Damiane, or.
Sancte Prime, or.
Sancte Feliciane, or.
Sancte Dionysi cum sociis tuis, ora pro nobis.
Sancte Victor cum sociis tuis, ora pro nobis.
Omnes sancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Sylvester, ora pro nobis.
Sancte Leo, or.
Sancte Hieronyme, or.
Sancte Augustine, or.
Sancte Isidore, or.
Sancte Juliane, or.
Sancte Gildarde, or.
Sancte Medarde, or.
Sancte Albine, or.
Sancte Eusebi, or.
Sancte Swithune, or.
Sancte Birine, or.

Omnes sancti Confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis.
Sancta Maria Ægyptiaca, or.
Sancta Margareta, or.
Sancta Scholastica, or.
Sancta Petronilla, or.
Sancta Genovefa, or.
Sancta Praxedis, or.
Sancta Soteris, or.
Sancta Prisca, or.
Sancta Thecla, or.
Sancta Afra, or.
Sancta Editha, or.
Omnes sanctæ Virgines, orate pro nobis.
Omnes Sancti, orate pro nobis.
Propitius esto: Parce nobis Domine.
Ab omni malo, Libera nos Dñe.
Ab insidiis diaboli, Lib.
A damnatione perpetua, Lib.
Ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, Lib.
Ab infestationibus dæmonum, Lib.
A spiritu fornicationis, Lib.
Ab appetitu inanis gloriæ, Lib.
Ab omni immunditia mentis et corporis, Lib.
Ab ira et odio, et omni mala voluntate, Lib.
Ab immundis cogitationibus, Lib.
A cæcitate cordis, Lib.
A fulgure et tempestate, Lib.
A subitanea et improvisa morte, Lib.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, Lib.
Per Nativitatem tuam, Lib.
Per sanctam Circuncisionem tuam, Lib.
Per Baptismum tuum, Lib.
Per Jejunium tuum, Lib.
Per Crucem et Passionem tuam, Lib.
Per pretiosam Mortem tuam, Lib.
Per gloriosam Resurrectionem tuam, Lib.
Per admirabilem Ascensionem tuam, Lib.

Digitized by Google

Per gratiam Sancti Spiritus Paracliti, Lib.
In hora mortis, Succurre nobis Dñe.
In die judicii, Libera nos Dñe.
Peccatores, te rogamus audi nos.
Ut pacem nobis dones, te rog.
Ut misericordia et pietas tua nos custodiat, te rog.
Ut Ecclesiam tuam regere et defensare digneris, te rog.
Ut domnum Apostolicum et omnes gradus Ecclesiæ in sancta religione conservare digneris, te rog.
Ut Episcopos et Abbates nostros in sancta religione conservare digneris, te rog.
Ut Regi nostro et Principibus nostris pacem et veram concordiam atque victoriam donare digneris, te rog.
Ut congregationes omnium sanctorum in tuo servitio conservare digneris, te rog.
Ut cunctum populum Christianum pretioso Sanguine tuo redemptum conservare digneris, te rog.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rog.
Ut animas nostras et parentum nostrorum ab æterna damnatione eripias, te rog.
Ut fructus terræ dare et conservare digneris, te rog.
Ut oculos misericordiæ tuæ super nos reducere digneris, te rog.
Ut obsequium servitutis nostræ rationabile facias, te rog.
Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rog.
Ut miserias pauperum et captivorum intueri et relevare digneris, te rog.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam dones, te rog.
Ut nos exaudire digneris, te rog.
Fili Dei, te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Dñe.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Dñe.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.
Ostende nobis Dñe misericordiam tuam. Et salutare tuum da nobis.
Et veniat super nos misericordia tua Dñe. Salutare tuum secundum eloquium tuum.
Peccavimus cum patribus nostris. Injuste egimus, iniquitatem fecimus.
Dñe non secundum peccata nostra facias nobis. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.
Oremus pro omni gradu Ecclesiæ. Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exultent.
Pro fratribus et sororibus nostris. Salvos fac servos tuos et ancillas tuas, Deus meus, sperantes in te.
Pro cuncto populo Christiano. Salvum fac populum tuum, Dñe, et benedic hæreditati tuæ: et rege eos, et extolle illos, usque in æternum.
Dñe, fiat pax in virtute tua. Et abundantia in turribus tuis.
Animæ famulorum famularumque tuarum requiescant in pace. Amen.
Dñe exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.
Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere; suscipe deprecationem nostram; ut quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per Christum Dñm nostrum. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus: prætende super famulos tuos Pontifices et super cunctas congregationes illis commissas spiritum gratiæ salutaris; et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

Digitized by Google

Oratio.

Deus, qui charitatis dona per gratiam Sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infundis : da famulis et famulabus tuis, fratribus et sororibus nostris pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis; ut te tota virtute diligant, et quæ tibi placita sunt tota dilectione perficiant. *Oratio.*

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera: da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem : ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et, hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Oratio.

Ineffabilem misericordiam tuam nobis, quæsumus, Dñe, clementer ostende : ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a pœnis quas pro his meremur benignus eripias.

Oratio.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus omnium fidelium defunctorum remissionem cunctorum tribue peccatorum : ut indulgentiam quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. *Oratio.*

Pietate tua, quæsumus, Dñe, nostrorum solve vincula omnium delictorum; et intercedente beata et gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria cum omnibus Sanctis, nos famulos tuos et omnem populum Catholicum in omni sanctitate custodi; omnesque consanguinitate ac familiaritate vel confessione nobis junctos, seu omnes Christianos, a vitiis purga, virtutibus illustra; pacem et salutem nobis tribue, hostes visibiles et invisibiles remove, pestem repelle; amicis et inimicis nostris charitatem largire, et omnibus fidelibus vivis ac defunctis in terra viventium vitam et requiem æternam concede. Per eundem Christum Dñm nostrum. Amen.

Feriâ tertiâ in Quadragesima

Ordo martyrum etc.

Sancte Thoma, ora pro nobis.
Sancte Sixte, or.
Sancte Corneli, or.
Sancte Cypriane, or.
Sancte Johannes, or.
Sancte Paule, or.
Sancte Marcelline, or.
Sancte Petre, or.
Sancte Vite, or.
Sancte Modeste, or.
Sancte Adriane, or.
Sancte Nicasi cum sociis tuis, or.
Sancte Eustachi cum sociis tuis, or.
Omnes sancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Gregori, ora pro nobis.
Sancte Augustine, or.
Sancte Ambrosi, or.
Sancte Remigi, or.
Sancte Donatiane, or.
Sancte Eligi, or.
Sancte Audomare, or.
Sancte Sulpici, or.
Sancte Paterne, or.
Sancte Patrici, or.
Sancte Dunstane, or.
Sancte Grimbalde, or.
Omnes sancti Confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate pro nobis.
Sancta Felicitas, ora pro nobis.
Sancta Perpetua, or.
Sancta Columba, or.
Sancta Christina, or.
Sancta Eulalia, or.
Sancta Euphemia, or.
Sancta Eugenia, or.
Sancta Gertrudis, or.
Sancta Ragenfledis, or.
Sancta Batildis, or.
Sancta Anastasia, or.
Sancta Etheldreda, or.
Omnes sanctæ Virgines, orate pro nobis.
Omnes Sancti, orate pro nobis.
Propitius esto : Parce nobis Dñe,
Ab omni malo, Libera nos Dñe.

Digitized by Google

Ab insidiis diaboli, Libera nos Dñe.
A damnatione perpetua, Lib.
Ab imminentibus peccatorum nostrorum *etc. ut supra.*

Feriâ quartâ in XL.

Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Tyburti, or.
Sancte Valeriane, or.
Sancte Prothe, or.
Sancte Hyacinthe, or.
Sancte Abdon, or.
Sancte Sennes, or.
Sancte Timothee, or.
Sancte Apollinaris, or.
Sancte Saturnine, or.
Sancte Maurici cum sociis tuis, or.
Sancte Gereon cum sociis tuis, or.
Omnes sancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Hilari, ora pro nobis.
Sancte Martine, or.
Sancte Bricci, or.
Sancte Amande, or.
Sancte Vedaste, or.
Sancte Germane, or.
Sancte Ausberte, or.
Sancte Volfrane, or.
Sancte Arnulphe, or.
Sancte Sylvine, or.
Sancte Taurine, or.
Sancte Cuthberte, or.
Omnes sancti Confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate pro nobis.
Sancta Agatha, ora pro nobis.
Sancta Susanna, or.
Sancta Brigida, or.
Sancta Barbara, or.
Sancta Marina, or.
Sancta Martina, or.
Sancta Felicula, or.
Sancta Julita, or.
Sancta Sapientia, or.
Sancta Fides, or.
Sancta Spes, or.
Sancta Charitas, or.
Omnes sanctæ Virgines, orate pro nobis.
Omnes Sancti, orate pro nobis.
Propitius esto : Parce nobis Dñe.
Ab omni malo, Libera nos Dñe. *etc. ut supra.*

Feriâ quintâ in XL.

Sancte Vincenti, ora pro nobis.
Sancte Gervasi, or.
Sancte Prothasi, or.
Sancte Timothee, or.
Sancte Simphoriane, or.
Sancte Felicissime, or.
Sancte Agapite, or.
Sancte Albane, or.
Sancte Gorgoni, or.
Sancte Achillee, or.
Sancte Hippolyte cum sociis tuis. or.
Sancte Luciane cum sociis tuis, or.
Omnes sancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Nicolae, ora pro nobis.
Sancte Audoene, or.
Sancte Romane, or.
Sancte Laude, or.
Sancte Machute, or.
Sancte Sanson, or.
Sancte Placide, or.
Sancte Columbane, or.
Sancte Antoni, or.
Sancte Macari, or.
Sancte Richarde, or.
Sancte Ethelwolde, or.
Omnes sancti Confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate pro nobis.
Sancta Cæcilia, or.
Sancta Fides, or.
Sancta Austreberta, or.
Sancta Emerentiana, or.
Sancta Potentiana, or.
Sancta Opportuna, or.
Sancta Sophia, or.
Sancta Juliana, or.
Sancta Beatrix, or.
Sancta Crescentia, or.
Sancta Walburgis, or.
Sancta Ermenildis, or.
Omnes sanctæ Virgines, orate pro nobis.
Omnes Sancti, orate pro nobis.
Propitius esto : Parce *etc. ut supra.*

Digitized by Google

Ferâ sextâ in XL.

Sancte Quintine, ora pro nobis.
Sancte Christophore, or.
Sancte Lamberte, or.
Sancte Georgi, or.
Sancte Marcelle, or.
Sancte Theodore, or.
Sancte Valentine, or.
Sancte Chrysogone, or.
Sancte Felix, or.
Sancte Adaucte, or.
Sancte Bonifaci cum sociis tuis, or.
Sancte Kyliane cum sociis tuis, or.
Omnes sancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Sancte Maure, or.
Sancte Maiole, or.
Sancte Ægidi, or.
Sancte Wandregisille, or.
Sancte Wolmare, or.
Sancte Philiberte, or.
Sancte Bertine, or.
Sancte Winnoce, or.
Sancte Judoce, or.
Sancte Petroce, or.
Sancte Botulphe, or.
Omnes sancti Confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate pro nobis.
Sancta Lucia, ora pro nobis.
Sancta Catharina, or.
Sancta Sabina, or.
Sancta Justina, or.
Sancta Eufraxia, or.
Sancta Fausta, or.
Sancta Monegundis, or.
Sancta Aldegundis, or.
Sancta Radegundis, or.
Sancta Pientia, or.
Sancta Benigna, or.
Sancta Walburgis, or.
Omnes sanctæ Virgines, orate pro nobis.
Omnes Sancti, orate pro nobis.
Propitius esto: Parce *etc. ut supra.*

Sabbato in XL.

Sancte Calixte, ora pro nobis.
Sancte Urbane, or.
Sancte Magne, or.
Sancte Menna, or.
Sancte Rufe, or.
Sancte Valeri, or.
Sancte Processe, or.
Sancte Martiniane, or.
Sancte Marce, or.
Sancte Marcelline, or.
Sancte Gordiane cum sociis tuis, or.
Sancte Pancrati cum sociis tuis, or.
Omnes sancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Aldelme, ora pro nobis.
Sancte Aniane, or.
Sancte Euurci, or.
Sancte Basili, or.
Sancte Maurili, or.
Sancte Germane, or.
Sancte Ausberte, or.
Sancte Mammerte, or.
Sancte Wilbrorde, or.
Sancte Leonarde, or.
Sancte Athanasi, or.
Sancte Oswalde, or.
Omnes sancti Confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate pro nobis.
Sancta Agnes, ora pro nobis.
Sancta Benedicta, or.
Sancta Martha, or.
Sancta Helena, or.
Sancta Euprepia, or.
Sancta Candida, or.
Sancta Basilissa, or.
Sancta Balbina, or.
Sancta Ursula, or.
Sancta Victoria, or.
Sancta Corona, or.
Sancta Sexburgis, or.
Omnes sanctæ Virgines, orate pro nobis.
Omnes Sancti, orate pro nobis.
Propitius esto: Parce *etc. ut supra.*

Finit Psalterium ad usum Sarum.

Digitized by Google

In Vigiliis Mortuorum:

AD VESPERAS:

Añia. Placebo Dño in regione vivorum. *Ps.* (114.) Dilexi quoniam exaudiet Dñs. *Ultimus versus hujus Psalmi, sc.* Placebo, *non psallatur; sed statim loco antiphonæ cantetur secundum usum Sarum.*

A. Heu me quia incolatus meus prolongatus est. *Ps.* (119.) Ad Dñm cùm tribularer. *A.* Dñs custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dñs. *Ps.*(120.)Levavi oculos meos. *A.* Si iniquitates observaveris Dñe, Dñe quis sustinebit? *Ps.*(129.) De profundis clamavi ad te. *A.* Opera manuum tuarum Dñe ne despicias. *Ps.* (137.) Confitebor tibi.

℣. A porta inferi. [℟. Erue Dñe animas eorum.]

A. Audivi vocem de cœlo dicentem: beati mortui qui in Dño moriuntur. *Ps.* Magnificat (*Luc.* 1,46). Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster *et* Ave Maria. *Deinde, sine pronuntiatione* Et ne nos inducas. *dicatur Ps.*(145) Lauda anima mea Dñm.

Finito Ps. dicat executor officii ℣. Requiem æternam dona eis Dñe. ℟. Et lux perpetua luceat eis.

A porta inferi. Erue Dñe [animas eorum]. Credo videre bona Dñi. In terra viventium.

Dñs vob. Et cum sp. tuo.

Pro corpore præsenti cujuscunque fuerit dicitur ista Oratio tam ad Placebo *quam ad* Dirige. *Oratio major.*

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere; te supplices deprecamur pro anima famuli tui (*vel* famulæ tuæ), quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti; ut non tradas eam in manus inimici, nec obliviscaris in finem; sed jubeas illam ab angelis sanctis suscipi, atque ad regionem vivorum perduci; et quia in te speravit et credidit, sanctorum tuorum mereatur societate lætari. Per [Dñm nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, Per omnia sæcula sæculorum].

In die tricennali pro quocunque fuerit dicitur ista Oratio ad Placebo. *Oratio [minor].*

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere; propitiare animæ famuli tui (*vel* famulæ tuæ), et omnia ejus peccata dimitte; ut mortis vinculis absolutus (*vel* absoluta) transire mereatur ad vitam. Per.

In anniversario de quocunque fuerit dicitur ista Oratio ad Placebo.

Or. Deus, indulgentiarum Dñe, da animæ famuli tui (*vel* famulæ tuæ) cujus anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem.

Pro Episcopis defunctis dicitur ista Oratio ad Placebo. *Oratio.*

Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali fecisti dignitate censeri; præsta quæsumus ut quorum vicem ad horam gerebant in terris, eorum perpetuo consortio lætentur in cœlis.

Pro fratribus et sororibus dicitur ista Oratio ad Placebo. *Oratio.*

Deus, veniæ largitor et humanæ salutis auctor; quæsumus clementiam tuam, ut nostrarum congregationum fratres et sorores, qui ex hoc sæculo transierunt, intercedente beata Maria semper virgine, et beato Michaële Archangelo, cum omnibus Sanctis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Oratio generalis ad Placebo.

Fidelium Deus omnium Conditor

Digitized by Google

et Redemptor, animabus omnium fidelium defunctorum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur. Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, Per omnia sæcula sæculorum. Am.

Non dicatur Dñs vob. *neque* Requiescant in pace *quando immediatè sequitur* Dirige.

AD MATUTINAS.

[*In primo Nocturno.*]

Añа. Dirige Dñe Deus meus in conspectu tuo viam meam. *Ps.* (5) Verba mea. *A.* Convertere Dñe, et eripe animam meam; quoniam non est in morte qui memor sit tui. *Ps.* (6.) Dñe ne in furore *j*. *A.* Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat. *Ps.* (7.) Dñe Deus meus.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Dñe animas eorum.

Pater noster [*secretò*].

Et ne nos. Sed libera.

Non dicatur Jube.

Lectio prima. Job. vij. (16.)

Parce mihi Dñe; nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum; aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, et subito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam? Peccavi: quid faciam tibi, ô custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormio; et si mane me quæsieris non subsistam. *Non dicatur* Tu autem.

℟ 1. Credo quod Redemptor meus vivit: et in novissimo die de terra surrecturus sum: Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. ℣. Quem visurus sum ego ipse et non alius: et oculi mei conspecturi sunt. Et in carne mea [videbo Deum Salvatorem meum].

Lectio secunda. Job. x. (1.)

Tædet animam meam vitæ meæ: dimittam adversum me eloquium meum. Loquar in amaritudine animæ meæ: dicam Deo, Noli me condemnare. Indica mihi cur me ita judices. Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris et opprimas me opus manuum tuarum: et consilium impiorum adjuves? Nunquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo et tu vides? Nunquid sicut dies hominis dies tui: et anni tui sicut humana sunt tempora? Ut quæras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris: et scias quia nihil impium fecerim. Cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.

℟ 2. Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum: Tu eis Dñe dona requiem et locum indulgentiæ. ℣. Qui venturus es judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem: Tu eis Dñe [dona requiem et locum indulgentiæ.]

Lectio tertia. Job. x. (8.)

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu: et sic repente præcipitas me? Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me: et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me: et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me: ossibus et nervis compegisti me. Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum.

℟ 3. Dñe quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu iræ tuæ? Quia peccavi nimis in vita mea. ℣. Commissa mea pavesco, et ante te erubesco: dum veneris judicare, noli me condemnare. Quia peccavi nimis [in vita mea].

Sciendum est quod quando corpus adest præsens cujuscunque fuerit, et in anniversariis episcoporum tantum, repetatur iij, vj, et ix Resp.

Digitized by Google

In secundo Nocturno.

Ant. In loco pascuæ ibi me collocavit. *Ps.* (22.) Dns regit me. *A.* Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris Dne. *Ps.* (24.) Ad te Dne levavi. *A.* Credo videre bona Dni in terra viventium. *Ps.* (26.) Dns illuminatio.

℣. In memoria æterna erit justus. ℟. Ab auditione mala non timebit.

Lectio quarta. Job. xiij. (23.)

Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea atque delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam: et stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas; et vestigia pedum meorum considerasti. Qui quasi putredo consumendus sum: et quasi vestimentum quod comeditur a tinea.

℟. 4. Heu mihi Dne, quia peccavi nimis in vita mea: quid faciam miser? ubi fugiam, nisi ad te Deus meus? miserere mei: Dum veneris in novissimo die. ℣. Anima mea turbata est valde, sed tu Dne succurre ei. Dum veneris [in novissimo die].

Lectio quinta. Job. xiiij. (1.)

Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur; et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos; et adducere eum tecum in judicium? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hominis sunt: numerus mensium ejus apud te est. Constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt. Recede ergo paululum ab eo, ut quiescat donec optata veniat, et sicut mercenarii, dies ejus.

℟. 5. Ne recorderis peccata mea Dne. Dum veneris judicare sæculum per ignem. ℣. Dirige Dne Deus meus in conspectu tuo viam meam. Dum veneris [judicare sæculum per ignem].

Lectio sexta. Job. xiiij. (13.)

Quis mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me, et abscondas me donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus in quo recorderis mei? Putasne mortuus homo rursum vivat? Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, et ego respondebo tibi. Operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti: sed parce peccatis meis.

℟. 6. Dne secundum actum meum noli me judicare: nihil dignum in conspectu tuo egi. Ideo deprecor majestatem tuam, ut tu Deus deleas iniquitatem meam. ℣. Amplius lava me Dne ab injustitia mea, et a delicto meo munda me; quia tibi soli peccavi. Ideo deprecor [majestatem tuam, ut tu Deus deleas iniquitatem meam].

In tertio Nocturno.

Ant. Complaceat tibi Dne ut eripias me: Dne ad adjuvandum me respice. *Ps.* (39.) Expectans. *A.* Sana Dne animam meam, quia peccavi tibi. *Ps.* (40.) Beatus qui intelligit. *A.* Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dni? *Ps.* (41.) Quemadmodum.

℣. Requiem [æternam dona eis Dne. ℟. Et lux perpetua luceat eis].

Lectio septima. Job. xvij. (1.)

Spiritus meus attenuabitur; dies mei breviabuntur; et solum mihi superest sepulchrum. Non peccavi: et in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Dne, et pone me juxta me: et cujusvis manus pu-

Digitized by Google

gnet contra me.(11) Dies mei transierunt : cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem : et rursum post tenebras spero lucem. Si sustinuero, infernus domus mea est : et in tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi, Pater meus es : Mater mea et soror mea, vermibus. Ubi est ergo nunc præstolatio mea et patientia mea? Tu es Dñe Deus meus.

℟. 7. Peccantem me quotidie et non pœnitentem, timor mortis conturbat me. Quia in inferno nulla est redemptio: miserere mei Deus, et salva me. ℣. Deus in nomine tuo salvum me fac, Dñe; et in virtute tua libera me. Quia in inferno [nulla est redemptio: miserere mei Deus, et salva me].

Lectio octava. Job. xix. (20.)

Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum; et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei; quia manus Dñi tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus : et carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo : aut plumbi lamina vel celte sculpantur in silice? Scio enim quia Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circundabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. 8. Requiem æternam dona eis Dñe. Et lux perpetua luceat eis. ℣. Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum, tu eis Dñe dona requiem. Et lux perpetua luceat eis.

Lectio nona. Job. x. (18.)

Quare de vulva eduxisti me? Qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar; ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine; terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo; sed sempiternus horror inhabitat.

℟. 9. Libera me Dñe de morte æterna in die illa tremenda. Quando cœli movendi sunt et terra. Dum veneris judicare sæculum per ignem. ℣. Dies illa dies iræ, calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde. Quando cœli movendi sunt [et terra. Dum veneris judicare sæculum per ignem.] ℣. Quid ergo miserrimus, quid dicam vel quid faciam, dum nil boni perferam ante tantum judicem? Dum veneris [judicare sæculum per ignem.] ℣. Nunc Christe, te petimus : miserere, quæsumus: qui venisti redimere perditos, noli damnare redemptos. Dum veneris [judicare sæculum per ignem].

Deinde repetatur ℟. Libera. *quod per totum annum observetur quandocunque dicitur hoc* ℟. Libera.

¶ *In omnibus iij et vj feriis per annum quando fiunt Vigiliæ Mortuorum cum ix Pss. et iij lect. tantum, tunc erit iij* ℟. Libera me Dñe de viis inferni. Qui portas æreas confregisti, et visitasti infernum, et dedisti eis lumen, ut viderent te qui erant in pœnis tenebrarum. ℣. Clamantes et dicentes advenisti Redemptor noster. Qui portas *etc. Non repetatur hoc* ℟.

Ante Laudes ℣. Requiescant in pace. Amen.

In Laudibus A. 1. Exultabunt Dño ossa humiliata. *Ps.*(50.) Miserere. *A.* 2. Exaudi Dñe orationem meam : ad te omnis caro veniet. *Ps.* (64.) Te decet. *A.* 3. Me suscepit dextera tua Dñe. *Ps.* (62 : 66.) Deus Deus meus. *A.* 4. A porta inferi erue Dñe animam

Digitized by Google

meam. *Ps.* Ego dixi (Esa. 38, 10). *A.* 5. Omnis spiritus laudet Dñm. *Ps.* (148, 149, 150.) Laudate.

℣. Requiem æternam dona eis Dñe. [℟. Et lux perpetua luceat eis].

A. Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum. *Ps.* Benedictus (*Luc.* 1, 68).

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster *sine pronuntiatione* Et ne nos.

Deinde dicatur Ps.(144.) Exaltabo. *Quo finito dicatur* Requiem [*etc. ut supra*]. A porta inferi. Erue [Dñe animas eorum]. Credo videre bona Dñi. In terra viventium.

Dñs vob. Et cum. Oremus.

Pro corpore præsenti ad Laudes dicitur hæc Oratio. Deus cui proprium. *major.*

In anniversariis v dicuntur Orationes. Deus cui proprium. *minor. In trigintalibus v dicuntur Orationes. Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animæ famuli tui (*vel* famulæ tuæ); ut qui (*vel* quæ) de hac vita in tui nominis confessione decessit, sanctorum tuorum numero facias aggregari.

Pro Episcopis defunctis ad Laudes: Oratio.

Deus cujus misericordiæ non est numerus, suscipe pro animabus famulorum tuorum Pontificum preces nostras, et lucis eis lætitiæque regionem in sanctorum tuorum societate concede.

Pro fratribus et sororibus ad Laudes: Oratio.

Inclina Dñe aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur; ut animas famulorum famularumque tuarum quas de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et sanctorum tuorum jubeas esse consortes. Per Christum Dñm [nostrum]. Oremus.

Deinde dicatur Oratio pro familiaribus privatim ad placitum; quibus dictis sequatur Oratio generalis in audientia.

Animabus quæsumus Dñe omnium fidelium defunctorum oratio proficiat supplicantium; ut eas et a peccatis omnibus exuas, et tuæ redemptionis faciasesse participes. Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto *etc.*

Expliciunt Vigiliæ Mortuorum.

Formulæ quædam Communes:

Folii hujus parte reliqua, Formulas quasdam usitatissimas, quarum nullibi in ipso Psalterio plusquam prima verba comparent, plenè imprimere visum est.

✠ (In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.)

Oratio Dominica.

Pater noster, qui es in cœlis; sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo, Amen.

Salutatio Angelica.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. [Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostræ.] Amen.

Digitized by Google

Psalmus Venite :

Ut ante Nocturnos cantari vel recitari debet, unà cum Invitatorio et Invitatorii dimidio Dominicis post Festum SS. Trin. usque ad Dom. Calendis Sept. proximam inservientibus, suis locis insertis.

Inv. Laudemus Jesum Christum : Quia ipse est Redemptor omnium sæculorum. *Psalmus.*

Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro : præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.

Laudemus Jesum Christum : quia ipse est Redemptor omnium sæculorum.

Quoniam Deus magnus Dñs, et Rex magnus super omnes deos : quoniam non repellet Dñs plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipse conspicit.

Quia ipse est Redemptor omnium sæculorum.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud; et aridam fundaverunt manus ejus : venite adoremus et procidamus ante Deum, ploremus coram Dño, qui fecit nos; quia ipse est Dñs Deus noster, nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus.

Laudemus Jesum Christum : quia ipse est Redemptor omnium sæculorum.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione, secundum diem tentationis in deserto : ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, et viderunt opera mea.

Quia ipse est Redemptor omnium sæculorum.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi, Semper hi errant corde : ipsi vero non cognoverunt vias meas: quibus juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.

Laudemus Jesum Christum : quia ipse est Redemptor omnium sæculorum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

Quia ipse est Redemptor omnium sæculorum.

Laudemus Jesum Christum: quia ipse est Redemptor omnium sæculorum.

¶ *Diebus Dominicis et Festis Invitatorium et Antiphonæ ad* Benedictus *et* Magnificat, *Sabbato Añ a ad* Magn., *semper in* Proprio de Tempore *vel* de Sanctis, *vel in* Communi Sanctorum, *quærenda sunt. Ferialibus autem diebus, quando non habentur propria, quæ semper in* Proprio de Tempore *quærenda sunt, dicuntur ea quæ in Psalterio suis locis inveniuntur. Oratio verò propria, et Lectiones cum Responsoriis suis, semper in* Proprio de Tempore *vel* de Sanctis, *vel in* Communi Sanctorum, *quærenda sunt.*

Symbolum Apostolicum.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum : qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus : descendit ad inferna : tertia die resurrexit a mortuis : ascendit ad cœlos : sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis : inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum; sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, et vitam æternam, Amen.

Digitized by Google

In Nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis.

INCIPIT ORDO
BREVIARII SEU PORTIFORII
SECUNDUM MOREM ET CONSUETUDINEM
ECCLESIÆ SARISBURIENSIS ANGLICANÆ:
UNA CUM ORDINALI SUO:
QUOD USITATO VOCABULO DICITUR
PICA:
SIVE DIRECTORIUM SACERDOTUM.

Pars Hyemalis.

Pica de Dominica Prima Adventus.

LITERA DOMINICALIS A.—Tertia Decembris tota cantetur historia *Aspiciens*. Secundæ Vesperæ erunt de Sancto Osmundo, cum pleno servitio in crastino; et solennis memoria de octava, et de Dominica, et de Sancta Maria cum antiphona *Ave Maria*. — Feria 2 de S. Osmundo: ix lectiones: omnia de Communi unius Confessoris et Pontificis. Sec. vesp. erunt de commemoratione, et mem. de Sancto, de octava, de Adventu, et de S. Maria, cum ant. *Ave Maria*.—Feria 3, 5, et sabbato, de commemorationibus, et Responsoria ferialia prætermittantur; et Missa de oct. S. Andreæ dicitur in capitulo.

LIT. DOM. B.—Quinto Cal. Dec. tota cantetur hist. *Aspiciens*, et mem. de S. Maria.—Fer. 2, 6, et sabb. de commem.—Fer. 3 de feria, et nihil de martyribus nisi mem. ad vesp. et ad matutinas de S. Maria. Missa de vigilia.—Fer. 4. de Apostolo, et solen. mem. de Adv. et de S. Maria.—Fer. 5 de fer. cum Resp. ferialibus, et mem. de oct. et Missa de 4 fer.

LIT. DOM. C.—Quarto Cal. Dec. tota cantetur hist.—Fer 4, 5, et 6. de commem. — Fer. 2 de fer. et nihil de sanctis nisi mem. ad vesp. et ad mat. de S. Maria. Missa de vigil.—Sabb. de S. Osmundo: ix lect.: omnia de Communi unius Conf. et Pont., et mem. de oct. et de Adv. et de S. Maria.

LIT. DOM. D.—Tertio Cal. Dec. tota cantetur hist. Missa de vig. dicitur in capitulo; et nihil de sanctis nisi mem. ad vesp. et ad mat. de S. Maria. Sec. vesp. erunt de Apostolo, et sol. mem. de Dom. et de S. Maria cum ant. *Ave Maria*.—Fer. 3, 5, et sabb. de commem. — Fer. 4 de fer. cum Resp. ferialibus.—Fer. 6 de S. Osmundo: ix lect.: omnia de Comm. unius Conf. et Pont.: et mem. de oct. et de Adv. et de S. Maria.

LIT. DOM. E.— Pridie Cal. Dec. tota cantetur hist., et sol. mem. de S. Maria; et festum Apostoli differatur in crast. licet festum loci fuerit. Sec. vesp. erunt de Apost. cum oratione *Majestatem*, et mem. de Dom. et de S. Maria solenniter, cum ant. *Ave Maria*.—Fer. 2 de Apost.—Fer. 3, 4, et 6 de commem.—Fer. 5 de S. Osmundo: ix lect.: omnia de Communi.

LIT. DOM. F.—Prima die Dec. tota cantetur hist. et ad j vesp. quæ erunt de Dom. licet fest. Apost. fuerit festum loci, sol. mem. de Ap. et de S. Maria. Sec. vesp. in Dom. erunt de commem. et mem. de oct. de Dom. et de

Digitized by Google

S. Maria, cum ant. *Ave Maria.*—Fer. 2, 3, et sabb. de commem. nisi ubi fest. Ap. est fest. loci : quia ibi, licet infra oct. non fiat de eo nisi mem. in Adv. tamen in octava die fiant ix lect. cum invitatorio triplici, et commem. Beatæ Mariæ fiat alia fer. viz. hac hebdomada fer. 5 præcedenti.—Fer. 4 de S. Osmundo : omnia de Comm. unius Conf. et Pont.—Fer. 5 de fer. cum Resp. fer. et Missa de 4 fer. Et Missa de oct. dicitur in capitulo in sabb.

Lit. Dom. G.—Secunda die Dec. tota cantetur hist. : mem de Ap. et de S. Maria. Sec. vesp. in Dom. erunt de commem. et mem. de oct. et de Dom. et de S. Maria cum ant. *Ave Maria.* — Fer. 2 et 6 de commem. — Fer. 3 de S. Osmundo : ix lect. : omnia de Comm. : et Resp. ferialia prætermittantur.

DOMINICA PRIMA IN ADVENTU.

Ad Vesperas, *Antiphonæ super Psalmos feriales:* [*vide Psalterium:*] *scil.* [*Ant.*] Benedictus. *Psalmus Ipsum. A.* In æternum. *Ps.* Exaltabo. *A.* Laudabo. *Ps.* Lauda anima mea. *A.* Deo nostro. *Ps.* Laudate Dñm, quoniam bonus. *A.* Lauda Hierusalem. *Ps. Ipsum.*

Capitulum. Esaiæ ij. A.

Erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Dñi in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. [Deo gratias.]

Responsorium. Ecce, dies veniunt, dicit Dñs, et suscitabo David germen justum; et regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dñs justus noster. *Versus.* In diebus illis salvabitur Juda, et Israël habitabit confidenter. Et hoc est [nomen quod vocabunt eum, Dñs justus noster]. Gloria Patri, [et Filio, et Spiritui Sancto.] Dñs justus noster. *Hymnus.*

Conditor alme siderum,
Æterna lux credentium,
Christe Redemptor omnium,
Exaudi preces supplicum.
Qui, condolens interitu
Mortis perire sæculum,
Salvasti mundum languidum,
Donans reis remedium :
Vergente mundi vespere,
Uti sponsus de thalamo,
Egressus honestissima
Virginis matris clausula.
Cujus fortis potentiæ
Genu curvantur omnia,
Cœlestia, terrestria,
Fatentur nutu subdita.
Te deprecamur, agie
Venture judex sæculi ;
Conserva nos in tempore
Hostis a telo perfidi.
Laus, honor, virtus, gloria,
Deo Patri et Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Rorate, cœli desuper. ℟. Et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

Eodem modo respondeatur ad omnes versus post hymnum, tam ad matutinas quam ad vesperas, et ad completorium, per totum annum, nisi in tribus proximis feriis ante pascha, et in servitio mortuorum : ita tamen quod in tempore paschali finiantur cum Alleluja, *et sub silentio.*

A. Ecce, nomen Dñi venit de longinquo, et claritas ejus replet orbem terrarum. *Ps.* Magnificat. *Oratio.*

Excita, quæsumus Dñe, potentiam tuam, et veni : ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. *terminando sic,* Qui vivis [et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.] *Cum* Dñs vobiscum. [℟.

Digitized by Google

Et cum spiritu tuo.] *et* Benedicamus Dño. [℟. Deo gratias.]

Nulla fiat processio ante crucem hoc sabbato ad vesperas, nec abhinc aliquo alio sabb. usque ad sabb. ante octavam paschæ, quod dicitur in Albis, et tunc inchoetur.

Hac die nulla fiat memoria nisi de Sancta Maria. Veruntamen si festum S. Andreæ Apostoli huic sabbato præcesserit, vel in ipso contigerit, de eo fiet memoria, quæ præcedet memoriam Beatæ Mariæ, et in ipso die, et quotidie infra octavam, et in octava; et tunc oratio ejusdem sic terminetur, Per Christum Dñm.

Et sciendum est, quod quando fit memoria vel processio ad vesp. vel ad mat. tunc ad omnes orationes post primum Benedicamus *quæ terminentur sic,* Qui vivis et regnas cum Deo Patre. *vel sic,* Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto. *vel sic,* Qui vivis et regnas Deus. *vel sic,* Qui tecum vivit et regnat. *semper dicitur usque in finem. Tamen ad orationes quæ finiuntur sic,* Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. *non dicitur ulterius, sed statim dicitur* Amen *a choro, et postea fiet processio vel memoria. Cum vero post primum* Benedicamus *sequatur aliqua mem. vel processio post aliquam orationem quæ terminetur sic,* Per Dñm. *vel sic,* Per eundem Dñm. *tunc concluditur sic,* Per Christum Dñm [nostrum.] *vel sic,* Per eundem Christum Dñm [nostrum.] *ut decet. Similiter fiat per omnia post illas orationes quæ dicuntur post processionem ante missam.*

Memoria de Sancta Maria. A. Ave Maria, gratia plena : Dñs tecum : benedicta tu in mulieribus, Alleluja. *Et dicitur hæc prædicta añа ad memoriam de S. Maria usque ad vigiliam Nativitatis Dñi in primis vesp. sanctorum ix lectionum et in sabbato.*

Finita añа dicat sacerdos versum, Egredietur virga de radice Jesse. ℟. Et flos de radice ejus ascendet. *Oratio.*

DEUS, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum angelo nuntiante carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Dei genitricem credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem.

¶ *His dictis, sine intervallo dicuntur vesperæ de Sancta Maria sine neuma hoc modo.*

Super Psalmos A. Prophetæ prædicaverunt nasci Salvatorem de Virgine Maria. *Ps.* Lætatus. *et cætera omnia prout inferius in servitio B. Mariæ sunt notata.*

AD COMPLETORIUM DE ADVENTU. *Post* Pater noster *et* Ave Maria, *hebdomadarius incipiat completorium hoc modo.*

Converte nos, Deus salutaris noster. *Chorus respondeat,* Et averte iram tuam a nobis. *Sacerdos,* Deus in adjutorium [*etc. ut in Psalterio:*] *ut supra ad vesp. Unus clericus de ij forma incipiat A.* Miserere mihi Dñe, et exaudi orationem meam. *Ps.* Cum invocarem. *et intonetur Ps. ab aliquo de superiori gradu. Ps.* In te Dñe speravi. *j; et dicatur usque ad v.* Odisti observantes : *tum Ps.* Qui habitat. *Ps.* Ecce nunc. *Hi prædicti psalmi dicantur quotidie ad compl. per totum annum, de quocunque fiat servitium, præterquam à Cœna Dñi usque ad octavam paschæ.*

Cap. Tu in nobis es, Dñe, [*etc.*] *Chorus respondeat,* Deo gratias.

Hym. Te lucis ante. *Hic hymnus dicatur ad compl. per totum annum, nisi in duplicibus festis, et in octavis cum regimine chori, et a* XL *usque in crast. Sanctæ Trinitatis.*

℣. Custodi nos, Dñe. ℟. Ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege nos.

A. Veni, Dñe, visitare nos in pace:

Digitized by Google

ut lætemur coram te corde perfecto. *Ps.* Nunc dimittis.

Sequuntur Preces. Kyrie eleison *iij*. Christe eleison *iij*. Kyrie eleison *iij*. Pater noster. Et ne nos. Sed libera. In pace in idipsum : Dormiam. *et cætera omnia prout inferius ad compl. post Psalterium sunt notata.*

Post. compl. dicitur sola Oratio, Fidelium animæ per Dei misericordiam in pace requiescant. Amen.

¶ *Non dicitur Ps.* De profundis *in* XL *post nonam nisi in festis ix lect.*

¶ *Ad Compl. de Sancta Maria, quod extra chorum dicitur, super psalmos A.* Beata es, Maria, quæ credidisti : perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Dño, Alleluja. *Ps.* Usquequo. *et cætera omnia prout inferius in servitio B. Mariæ sunt notata.*

AD MATUTINAS DE ADVENTU *dicat sacerdos* Pater noster *et* Ave Maria.

Postea sacerdos incipiat servitium hoc modo. Dñe, labia mea aperies. *Chorus respondeat,* Et os meum annuntiabit laudem tuam. *Sacerdos statim,* Deus in adjutorium [meum intende]. ℟. Dñe, ad adjuvandum [me festina]. Gloria Patri, [et Filio : et Spiritui Sancto.] Sicut erat [in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum, Amen; Alleluja].

Sequatur invitatorium hoc modo. Ecce, venit Rex : occurramus obviam Salvatori nostro. *Ps.* Venite. *Post j, ij et v versus psalmi repetatur totum invitatorium : post ij vero, iij, et vj versus psalmi repetatur solum hæc pars,* Occurramus, *et deinde reincipiatur totum invitatorium.*

Hic ordo servetur per totum annum de invit. cum suis psalmis dicendis, nisi a passione Dñi usque ad diem paschæ; ita tamen quod in festis duplicibus primo percantetur invitatorium a rectoribus chori qui dicturi sunt psalmum Venite, *et postea repetatur a choro.*

Hymnus.

VERBUM supernum prodiens,
A Patre olim exiens,
Qui natus orbi subvenis
Cursu declini temporis :
Illumina nunc pectora,
Tuoque amore concrema;
Audito ut præconio,
Sint pulsa tandem lubrica :
Judexque cum post aderis
Rimari facta pectoris,
Reddens vicem pro abditis,
Justisque regnum pro bonis :
Non demum arctemur malis,
Pro qualitate criminis;
Sed cum beatis compotes
Simus perennes cœlibes.
Laus, honor. (p. 1.)

¶ *Istæ iij antiphonæ sequentes incipiantur in secunda forma.*

In j nocturno A. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. *Ps.* Beatus vir [*ut in Psalterio, diebus Dom. ad Mat.*]. *Ps.* Quare fremuerunt. *Ps.* Dñe, quid multiplicati. *Ps.* Dñe, ne in furore. *j : et dicuntur sub una voce et sub uno* Gloria Patri, *nullum psalmum exaltando. Et notandum, quod per totum annum quandocunque plures psalmi habentur sub uno* Gloria Patri. *ad noct. vel ad horas, nullus eorum debet exaltari antequam perveniatur ad illum versum,* Gloria Patri.

A. Erit expectatio gentium, lavabitque vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum. *Pss.* Dñe Deus meus. Dñe Dns noster. Confitebor. In Dño confido. *sub una voce et sub uno* Gloria Patri. *nullum psalmum exaltando.*

A. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. *Pss.* Salvum me fac *j*. Usquequo. Dixit insipiens. *j*. Dñe quis habitabit. *sub una voce, sicut prædicti psalmi dicebantur.*

℣. Ex Sion species decoris ejus.

Digitized by Google

℟. Deus noster manifeste veniet.

Deinde dicitur Pater noster *et* Credo in Deum *a toto choro privatim. Et notandum est, quod nunquam in ecclesia Sarisburiensi incipitur* Pater noster *nec* Ave Maria *a sacerdote in audientia ad aliquod servitium, nisi ad missam tantum, ubi totaliter in audientia dicantur vel cantentur. Et postea dicat sacerdos in audientia,* Et ne nos [inducas in tentationem]. *Chorus,* Sed libera [nos a malo].

Clericus lector dicat, Jube Domine benedicere. *Sacerdos,* Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus. [℟. Amen.]

Et sciendum est, quod omnes benedictiones ad matutinas per totum annum modesta voce dicantur a sacerdote, interim sedente, nisi tantum ad primam, quartam, et septimam. Tamen in die Natalis Dñi tres ultimæ benedictiones stando dicantur.

Clericus primam lectionem legat hoc modo.

Lectio prima. Esajæ j. A.

Visio Esajæ filii Amos, quam vidit super Judam et Hierusalem, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, et Ezechiæ, regum Juda. Audite cœli, et auribus percipe terra; quoniam Dñs locutus est. Filios enutrivi et exaltavi: ipsi autem spreverunt me. *Et finiatur cum hac clausula,* Hæc dicit Dñs: convertimini ad me, et salvi eritis.

¶ *Per totum Adventum legantur lectiones de prophetia Esaiæ, quando de temporali agitur: nisi in secundis et tertiis nocturnis Dominicis diebus, et nisi in iiij et vj feria et in sabb. quatuor temporum.*

Et notandum, quod omnes lectiones de prophetia per totum annum terminantur cum hac clausula, Hæc dicit Dñs: [conv. *etc.*] *nisi in tribus noctibus ante pascha: reliquæ vero lectiones cum* Tu autem Dñe [miserere nostri] *finiantur quotidie per annum, nisi solummodo in vigiliis mortuorum, et nisi in tribus noctibus ante pascha.*

Finita lectione, non respondeat chorus Deo gratias *in audientia, sed statim absque intervallo responsorium incipiatur: quod per totum annum observetur.*

Hac die primum resp. incipiatur a tribus pueris in superpelliciis ad gradum chori conversis ad altare, et percantetur a choro: viz. duo pueri ex parte chori, cum tertio puero ex opposito [al. *ex parte cantoris*] *in medio eorum stante, simul incipiant* ℟ 1. Aspiciens a longe, ecce, video Dei potentiam venientem, et nebulam totam terram tegentem. Ite obviam ei, et dicite, Nuntia nobis, si tu es ipse, Qui regnaturus es In populo Israël.

Solus puer hebdomadarius, ex parte chori stans, dicat primum ℣. Quique, terrigenæ et filii hominum, simul in unum dives et pauper. *Chorus.* Ite obviam [ei, *etc.*] *Omnes repetitiones dicantur usque ad finem responsorii.*

Secundus puer, ex parte cantoris in medio stans, solus dicat ij ℣. Qui regis Israël, intende; qui deducis velut ovem Joseph. *Chorus.* Nuntia [nobis, *etc.*]

Tertius puer, ex parte decani, solus dicat iij ℣. Excita, Dñe, potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. *Chorus.* Qui regnaturus es [in populo Israël].

Deinde hi tres pueri simul dicant Gloria Patri, [et Filio, et Spiritui Sancto.] *Chorus.* In populo [Israël].

Chorus vero ab inceptione Gloria Patri *stare tenetur usque ad inceptionem secundæ lectionis.*

Item omnes hi tres pueri reincipiant ℟. Aspiciens, *et percantetur a choro.*

Lectio ij. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israël autem me non cognovit, et populus meus non in-

1.

Digitized by Google

tellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis : dereliquerunt Dñm; blasphemaverunt Sanctum Israël; abalienati sunt retrorsum. Hæc dicit Dñs: [convertimini ad me, et salvi eritis.]

℟. 2. Aspiciebam in visu noctis, et, ecce, in nubibus cœli filius hominis venit. Et datum est ei regnum et honor : et omnis populus, tribus, et linguæ servient ei. ℣. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. Et datum [est *etc.*]

Lectio iij. Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? omne caput languidum, et omne cor mœrens; a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas : vulnus et livor et plaga tumens : non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. [Hæc *etc.*]

℟. 3. Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum, et expavescit virgo de lumine : Ne timeas, Maria : invenisti gratiam apud Dñm : ecce concipies et paries : Et vocabitur Altissimi Filius. ℣. Dabit ei Dñs Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. Et vocabitur [Altissimi Filius]. Gloria [Patri, et Filio, et Spiritui Sancto]. Et vocabitur [Altissimi Filius].

℣ *In ij nocturno. A.* Bethleem, non es minima in principibus Juda : ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israël : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *Ps.* Conserva. *A.* Ecce, virgo concipiet et pariet filium : et vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Ps.* Exaudi Deus. *A.* Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis : et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei. *Ps.* Diligam te.

℣. Egredietur virga de radice Jesse.

℟. Et flos de radice ejus ascendet.

Tres mediæ lectiones de sermone beati Maximi episcopi; et legantur sine titulo, sed cum Jube Domine [benedicere] *incipiantur, et cum* Tu autem [Dñe miserere nostri] *finiantur.*

Lectio quarta.

IGITUR quoniam post tempus spiritualibus epulis reficere nos debemus, videamus quid euangelica lectio prosequatur. Ait enim Dñs (sicut audivimus) de adventus sui tempore : Sicut fulgur coruscans de sub cœlo, ita erit adventus filii hominis. Et addidit in consequentibus : In illa nocte erunt duo in lecto uno; unus assumetur, et alter relinquetur : duæ molentes in pistrino; una assumetur, et altera relinquetur. [Tu autem *etc.*]

℟. 4. Ave Maria, gratia plena : Dñs tecum. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : quod enim ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei. ℣. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei : Spiritus Sanctus superveniet [in te, *etc.*]

Lectio v. Movet fortasse nos, fratres, cur Dñs adventum suum indicans, noctis se tempore ostenderit adventurum. Utique ejus adventus magna cum claritate diei, magno cum timore et tremore suscipietur a cunctis. Frequenter audivimus sacris literis prædicatum, priusquam Dñs Jesus Christus adveniat, antichristum regnaturum. Qui ita tenebras humano generi suæ pravitatis infundet, ut lucem veritatis nemo pæne respiciet, et caligine propria operiens mentes hominum, cæcitatem quandam spiritualibus oculis exhibebit. [Tu *etc.*]

℟. 5. Suscipe verbum, Virgo Maria, quod tibi a Dño per angelum transmissum est : concipies per aurem; Deum paries et hominem : Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

Digitized by Google

℣. Paries quidem filium; sed virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida, et eris mater, semper intacta. Ut benedicta [dicaris *etc.*]

Lectio vj. Nec mirum si diabolus emittat iniquitatis tenebras; cum ipse sit nox omnium peccatorum. Ad hujus igitur noctis tetram caliginem depellendam, velut fulgur quoddam Christus adveniet. Et sicut lucescente die nox subvertitur, ita coruscante Salvatore antichristus effugabitur. Nec ulterius poterit disseminare iniquitatis suæ tenebras, cum lumen veritatis effulserit. [Tu *etc.*]

℟. 6. Salvatorem expectamus, Dñm Jesum Christum; Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, Configuratum corpori claritatis suæ. ℣. Sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo; expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei. Qui reformabit [corpus *etc.*] Gloria [Patri, et Filio, et Spiritui Sancto]. Configuratum [corpori claritatis suæ].

¶ *In iij nocturno. A.* Nox præcessit, dies autem appropinquabit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. *Ps.* Cœli enarrant. *A.* Hora est jam nos de somno surgere, et aperti sunt oculi nostri surgere ad Christum; quia lux vera est et fulgens in cœlo, *Ps.* Exaudiat te Dñs. *A.* Gaudete in Dño semper: modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dñs prope est: nihil solliciti sitis; sed in omni oratione petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Ps.* Dñe, in virtute.

℣. Egredietur Dñs de loco sancto suo. ℟. Venict, ut salvet populum suum a peccatis eorum.

¶ *Hæ prædictæ antiphonæ in nocturnis hujus Dominicæ cum suis Psalmis dicantur omnibus Dom. diebus per totum Adventum.*

¶ *Lectio septima de expositione euangelii hoc modo incipiatur, post acceptam benedictionem.*

Lectio sancti euangelii secundum Matthæum. (*Cap. xxj. A.*)

Gloria tibi, Domine.

In illo tempore, Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti, tunc misit duos discipulos suos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est; et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea. Solvite, et adducite mihi. Et reliqua.

Finitis verbis euangelii, dicat lector titulum de homelia sub eodem tono quo et lectio dicebatur: ita quod non dicetur de eadem lectione, scil. in fine, sed hoc modo hac die.

Homelia de diversis tractatibus.

Lectio vij. Bethphage domus buccæ sive domus maxillarum interpretatur; qui sacerdotum viculus erat, et confessionis portabat typum. Et erat situs in monte Oliveti, ubi lumen scientiæ, ubi laborum et dolorum requies est. Tunc misit duos discipulos suos. Non immerito possunt duo discipuli ad exhibenda Dño animalia destinati, duo prædicatorum ordines (unus, videlicet, in gentes, alter in circuncisionem directus) intelligi. Qui recte duo mittuntur, sive propter scientiam veritatis et operationis munditiam; sive propter geminæ dilectionis (Dei, videlicet, et proximi) sacramentum toto orbe prædicandum. [Tu autem *etc.*]

℟. 7. Audite verbum Dñi gentes, et annuntiate illud in finibus terræ; et in insulis quæ procul sunt dicite, Salvator noster adveniet. ℣. Annuntiate et auditum facite, loquimini et clamate. Salvator noster adveniet.

Lectio viij. Ite in castellum quod contra vos est. Contra enim apostolos erat, nec jugum doctrinarum volebat accipere. Missi isti discipuli doctores significant, quos ut indocta-

Digitized by Google

ac barbara totius orbis loca (quasi contra positi castelli mœnia) euangelizando penetrarent, destinavit. Et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea : solvite, et adducite mihi. Introeuntes mundum prædicatores sancti invenerunt pullum nationum perfidiæ vinculis irretitum. Funiculis enim peccatorum suorum unusquisque constrictus erat. Nec solum nationum, verum etiam Judæorum. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. [Tu *etc.*]

℟ 8. Ecce, virgo concipiet et pariet filium, dicit Dns : Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus fortis. ℣. Super solium David et super regnum ejus sedebit in æternum. Et vocabitur [*etc.*]

Lectio ix. Asina quippe quæ subjugalis fuit et edomita, synagogam quæ jugum legis traxerat, pullus asinæ lascivus et liber, populum nationum significat. Super quem nullus adhuc hominum sedit; quia nemo rationabilium doctorum frænum correctionis, quod vel linguam cohiberet a malo, vel in arctam vitæ viam ire cogeret; nemo indumenta salutis, quibus spiritualiter calefieret, populo gentium utilia suadendo contulerat. Sederet nanque super illum homo, si aliquis ratione utens, ejus stultitiam deprimendo corrigeret. [Tu *etc.*]

℟ 9. Lætentur cœli, et exultet terra : jubilate montes laudem : quia Dns noster veniet, Et pauperum suorum miserebitur. ℣. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis. Et pauperum [suorum miserebitur]. Gloria [Patri, et Filio, et Spiritui Sancto]. Et pauperum [suorum miserebitur]. ¶ *Non dicatur* Te Deum *per totum Adventum, de quocunque fiat servitium; sed nonum resp. reincipiatur; et hoc fiat in Dominicis et in festis ix lectionum tantum. Non dicatur etiam per totum annum* Te Deum laudamus *in vigiliis, nec in quatuor temporibus, nisi in vigilia Epiphaniæ quando in Dominica contigerit, et præterquam in quatuor temporibus hebdomadæ Pentecostes.*

¶ *Hæc responsoria quæ sequuntur dicantur ferialia, quia in feriis per hebdomadam dicuntur, ut postea* (p. 16.) *docebitur.* ℟. Obsecro Domine. ℣. A solis ortu. ℟. Alieni. ℣. Ego veniam. Nam. Gloria. Et colles.

¶ *Finito resp. dicat sacerdos, loco nec habitu mutato, hunc versum.*

Ante Laudes ℣. Emitte Agnum, Dñe, dominatorem terræ. ℟. De petra deserti ad montem filiæ Sion. *Sacerdos dicat,* Deus, in adjutorium meum intende. [℟. Dñe ad adjuvandum *etc.*] *ut supra.*

In Laudibus Añæ 1. In illa die stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac et mel, Alleluja. *Ps.* Dns regnavit. *A.* 2. Jocundare, filia Sion; exulta satis, filia Hierusalem, All'a. *Ps.* Jubilate Deo, omnis terra. *A.* 3. Ecce, Dns veniet, et omnes sancti ejus cum eo; et erit in die illa lux magna, All'a. *Ps.* Deus Deus meus *et Ps.* Deus misereatur *sub uno* Gloria Patri *dicantur : quod etiam per totum annum observetur, quando* Gloria Patri *dicitur. A.* 4. Omnes sitientes, venite ad aquas : quærite Dñm dum inveniri potest, All'a. *Ps.* Benedicite omnia. *Et dicatur sine* Gloria Patri *per totum annum, quandocunque dicitur. A.* 5. Ecce, veniet propheta magnus; et ipse renovabit Hierusalem, All'a. *Ps.* Laudate Dñm de cœlis. *Ps.* Cantate. *et Ps.* Laudate Dñm in sanctis. *sub uno* Gloria Patri *dicantur in laudibus per totum annum quando* Gloria Patri *dicitur.* ¶ *Hi psalmi prædicti dicantur in laudibus omnibus Dominicis per annum, præterquam à* LXX *usque ad pascha tantum. Dicantur etiam in omnibus festis sanctorum tam iij quam ix*

Digitized by Google

lectionum per totum annum, et non in feriis. Cap. Rom. xiij. C.

HORA est jam nos de somno surgere : nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus. *Chorus dicat,* Deo gratias. *Hymnus.*

Vox clara, ecce, intonat,
Obscura quæque increpat :
Pellantur eminus somnia,
Ab æthere Christus promicat.

Mens jam resurgat torpida,
Quæ sorde extat saucia :
Sidus refulget jam novum,
Ut tollat omne noxium.

E sursum Agnus mittitur,
Laxare gratis debitum :
Omnes pro indulgentia
Vocem demus cum lacrymis.

Secundo ut cum fulserit,
Mundumque horror cinxerit,
Non pro reatu puniat,
Sed pius nos tunc protegat.

Laus, honor, virtus, gloria,
Deo Patri et Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Vox clamantis in deserto. ℟. Parate viam Dñi : rectas facite semitas Dei nostri.

¶ *Iste versus et cæteri versus prædicti, scilicet de nocturnis, dicantur per totum Adv. suis locis, quando de temporali agitur.*

A. Spiritus Sanctus in te descendet, Maria : ne timeas, habens in utero filium Dei, All'a. *Ps.* Benedictus.

Or. Excita quæsumus Dñe. *ut supra* (p. 2).

Memoria de S. Maria. A. Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph. ℣. Egredietur virga (p. 3). *Or.* Deus, qui de Beatæ Mariæ (*ib.*). *Hæc ant. dicatur ad memoriam de S. Maria ad matutinas in festis ix lect. per Adventum. Deinde dicantur matutinæ de S. Maria, sine nota, statim post vesp. et mat. de die, quando in choro dicuntur.*

¶ *In Adventu, quando aliquod festum ix lect. in sabb. contigerit, ibi celebretur, et secundæ vesperæ de Dom. erunt, et solennis memoria de festo, nisi duplex festum fuerit; tunc enim erunt vesp. de festo, et sol. mem. de Dom. sequenti : nisi in primo sabb. Adv. Dñi; tunc enim vesp. erunt de Dom. quodcunque festum fuerit.* ¶ *Si vero aliquod festum ix lect. in aliqua Dom. per Adv. contigerit, semper differatur in crastinum, licet duplex festum fuerit. Et quando differtur in crastinum, vel in eadem feria contigerit, tunc in Dom. erunt vesp. de festo, et sol. mem. de Dom. quæ præcedet memoriam B. Mariæ.*

¶ *Et sciendum est, quod de quocunque festo fit servitium infra Adv. semper fit solennis mem. de Adventu et de S. Maria. De festis autem iij lect. in Adventu, nihil fiat nisi de oct. S. Andreæ, nec etiam mem. fiat secundum usum Sarum.* ¶ *Notandum est : si festum S. Andreæ in Dom. prima Adv. Dñi contigerit, semper differatur in crast. licet festum loci fuerit. Residuum ipsius rubricæ, scil. S. Andreæ, require in festo ejusdem.*

¶ *Ad matutinas de S. Maria per totum Adv. quando non fit plenum servitium de ea, hoc modo fiat servitium.*

Inv. Ave Maria, gratia plena; Dñs tecum. *Ps.* Venite. *et cætera omnia, prout inferius in servitio ejusdem sunt notata.*

AD PRIMAM *de Adv. Dñi. Hymnus.*

JAM lucis orto sidere,
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet a nocentibus.

Linguam refrænans temperet,
Ne litis horror insonet :
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia :
Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas.

Digitized by Google

Ut cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam,
Ipsi canamus gloriam.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

A. In illa die (p. 8). *Ps.* Deus Deus meus respice *etc.* [*V.* P. 16. *i. e. Psalt.* p. 16.] *Ps.* Dñs regit. Gloria Patri. *Ps.* Dñi est terra. *Ps.* Ad te Dñe levavi. Gloria Patri. *Ps.* Judica me. *Ps.* Deus, in nomine tuo. Gloria Patri. *Ps.* Confitemini. *iiij. Ps.* Beati immaculati. Gloria Patri. *Ps.* Retribue. Gloria Patri.

Hi prædicti psalmi ad primam dicantur supradicto modo omnibus Dom. diebus per totum Adv. nisi in vig. Natalis Dñi, quando in Dom. contigerit, et à Dñe ne in ira *usque ad pascha, et à* Deus omnium *usque ad Adv. quando de Dom. agitur: ita tamen quod à* LXX *usque ad pascha dicatur Ps.* Dñs regnavit, decorem. *loco Ps.* Confitemini Dño.

¶ *Quandocunque dicitur Ps.* Deus Deus meus respice *cum reliquis psalmis ad primam, super hunc Ps.* Quicunque vult (P. 20). *dicitur A.* Te Deum Patrem (P. 21). *In cæteris vero diebus dicatur una aña, prout notatur in Psalterio.*

Require cap. [*et*] *regulares preces, post Ps.* Quicunque vult *in Psalterio, ut ibi notatum est.*

AD TERTIAM. *Hym.* Nunc sancte nobis. *ut in Psalterio. A.* Jocundare (p. 8). *Ps.* Legem pone. [*Ps.* Memor esto. *Ps.* Bonitatem fecisti.]

Cap. Hora est jam (p. 9). [*Chorus dicat* Deo gratias.]

Clericus dicat ℟. Veni ad liberandum nos, Dñe Deus virtutum. *Chorus idem repetat.*

Cler. dicat ℣. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus. *Ch.* Dñe Deus virtutum.

Cler. Gloria Patri, [et Filio, et Spiritui Sancto]. *Ch.* Veni ad liberandum [nos, Dñe Deus virtutum].

Cler. dicat ℣. Timebunt gentes nomen tuum, Dñe. *Chorus respondeat sub eodem tono,* Et omnes reges terræ gloriam tuam.

Hic ordo servetur in omnibus responsoriis cum suis versibus super horas dicendis per totum annum extra XL, *præterquam in Dominicis* LXX *et* LX *et* L. *Deinde dicat sacerdos orationem cum* Dñs vobiscum. [℟. Et cum sp. tuo.] Oremus. Excita, quæsumus Dñe (p. 2).

Hæc oratio dicatur ad omnes horas hujus diei, et etiam totius hebdomadæ, quando de temporali agitur. Hoc autem per totum annum generaliter observetur, sive de temporali, sive de aliquo sancto fiat servitium, quod semper oratio quæ dicitur ad matutinas, dicitur ad iij, vj, et ix, et ad secundas vesp. præterquam in iiij et vj feriis et in sabb. iiij temporum Adventus Dñi, et in vj die à Nativ. Dñi, et in ij feria in Rogationibus, et nisi in iiij feria in capite jejunii usque ad octavam paschæ: nam tunc ad vesp. semper variantur orationes, nisi in Dominicis XL. *Similiter fiat in festo dedicationis ecclesiæ, et in octava ejusdem, ad secundas vesp.*

AD SEXTAM. *Hym.* Rector potens, *ut in Psalterio notatur. A.* Ecce, Dñs (p. 8.). *Ps.* Defecit. *Ps.* Quomodo. *Ps.* Iniquos. *Cap. Rom. xiij. C.* Nox præcessit, dies autem appropinquabit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. [Deo gr.] ℟. Ostende nobis, Dñe, Misericordiam tuam. [Ostende.] ℣. Et salutare tuum da nobis. Misericordiam [tuam.] Gloria Patri, [et Filio, et Sp. Sancto.] Ostende. ℣. Memento nostri, Dñe, in beneplacito populi tui. ℟. Visita nos in salutari tuo.

AD NONAM. *Hym.* Rerum Deus. *ut in Psalt. A.* Ecce, veniet (p. 8.). *Ps.*

Digitized by Google

Mirabilia testimonia. *Ps.* Clamavi. *Ps.* Principes. *Cap.* (*Rom. xiij. C.*) Sicut in die honeste ambulemus : non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione : sed induimini Dñm Jesum Christum. [Deo gr.] ℟. Super te, Hierusalem, Orietur Dñs. [super.] ℣. Et gloria ejus in te videbitur. Orietur Dñs. ℣. Dñe Deus virtutum, converte nos. ℟. Et ostende [faciem tuam, et salvi erimus.]

¶ *Omni die per annum* (*excepta die parasceues*), *post missam, in ultimo recessu ante prandium, in statione puerorum dicitur Ps.* De profundis (P. 91). *pro omnibus fidelibus defunctis, sine nota et sine* Gloria Patri, *cum* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos [inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo]. Requiem æternam [dona eis Dñe. ℟. et lux perpetua luceat eis.] A porta inferi. [℟. Erue Dñe animas eorum.] Credo videre [bona Dñi. ℟. In terra viventium].

Non dicitur Requiescant in pace *ante orationem pro mortuis secundum usum Sarum, sed post orationem, loco* Benedicamus Dño, *dicitur.*

Dñs vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Absolve, quæsumus, Dñe, animas famulorum tuorum pontificum, sacerdotum, parentum, benefactorum nostrorum, et omnium fidelium defunctorum, ab omni vinculo delictorum; ut in resurrectionis gloria inter sanctos et electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dñm nostrum. Amen. Requiescant in pace. Amen.

Ad II. Vesperas. *A.* Sede a dextris meis, dixit Dñs Dño meo. *Ps.* Dixit Dñs. *A.* Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi. *Ps.* Confitebor. *A.* In mandatis ejus volet nimis. *Ps.* Beatus vir. *A.* Sit nomen Dñi benedictum in sæcula. *Ps.* Laudate pueri. *A.* Nos qui vivimus benedicimus Dño. *Ps.* In exitu.

Hæ prædictæ añæ cum suis psalmis dicantur omnibus Dom. per Adv. et à Dñe ne in ira *usque ad Dom. in Ramis Palmarum, et in ipsa Dominica, et à* Deus omnium *usque ad Adv. Dñi, quando de Dom. agitur.*

Cap. Hora est (p. 9). [Deo gr.]

Clericus de ij forma incipiat hoc ℟. Tu exurgens, Dñe : *et percantetur à choro*, Misereberis Sion.

Cler. ℣. Quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. *Ch.* Misereberis [Sion].

Cler. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. Sancto]. *Chorus.* Tu exurgens [Dñe, misereberis Sion].

Hoc resp. dicatur quotidie ad vesp. per totum Adv. supradicto modo usque ad O sapientia. *præterquam in sabb. et festis sanctorum, ita quod in feriis dicitur ab uno solo puero in prima forma, loco nec habitu mutato, sicut in Dominicis ab uno clerico de secunda forma.*

Hym. Conditor (p. 2). ℣. Rorate (*ibid.*).

A. Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dñm : ecce, concipies et paries filium, Alleluja. *Ps.* Magnificat. (P. 99).

Or. Excita, quæsumus, Dñe (p. 2.)

Memoria de S. Maria.

A. Beata es, Maria, quæ credidisti; quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Dño, Alleluja. ℣. Egredietur virga de radice (p. 3.). *Or.* Deus, qui de Beatæ Mariæ (*ib.*).

Hic ordo memoriarum de S. Maria ad j vesp. et ad mat. et ad ij vesperas hujus Dom. servetur per totum Adventum in Dom. et in festis ix lect. nisi quando A. Beata es, Maria. *super Ps.* Magnificat *dicitur : tunc ad mem. de S. Maria dicetur A.* Ne timeas, Maria. *si à festo cum regimine chori vacaverit*

Digitized by Google

in crast. tantum: vel nisi quando ant. O sapientia *in die Dom. incipienda sit: tunc enim dicitur A.* Ave Maria (p. 3.) *in utrisque vesperis ipsius Dom. ad mem. de S. Maria.*

¶ *Deinde dicuntur Vesp. de S. Maria supradicto modo: et postea dicuntur* VIGILIÆ MORTUORUM, *scilicet* Placebo *et* Dirige, *usque ad lectiones tantum, etc.*

DICANTUR *autem vigiliæ mortuorum quotidie, cum missa in crast. in capitulo, nisi in primis vesp. fest. ix lect., usque ad vig. Nativ. Dñi; et in crast. oct. Epiph. usque ad iij feriam ante pascha; et in ipsa tertia feria fiant vig. mortuorum cum ix lect. in conventu, et cum missa in crast. nisi aliquod festum duplex impedierit, vel in ipsa iiij feria contigerit; et tunc fiat prædictum servitium in aliqua die præcedente ipsius hebdom. quæ ad hoc vacaverit, videlicet in Dom. vel in ij feria, et sic compleatur serv. mortuorum usque ad octavam paschæ, nisi corpus præsens fore contigerit. Post oct. vero paschæ non fit serv. mortuorum in conventu, nisi corpus præsens affuerit, vel dies anniversarius vel tricenalis contigerit, usque in crastinum S. Trinitatis. In crast. autem S. Trin. et ab illinc quotidie fiant vig. mortuorum usque ad Adv. Dñi: nisi per octavas et in octava Assumptionis, Nativitatis B. Mariæ, et dedicationis ecclesiæ.*

Canonico enim defuncto statutum est triginta dierum in conventu obsequium fieri, et triginta psalteria separatim à quocunque presbytero dici. Ad reliquos vero, cujuscunque ordinis sint, xx psalteria cantari debent; et in hebdomadis suis privatim eorum anniversaria celebrari.

Impediuntur autem debitæ vigiliæ mortuorum per totum annum per festa duplicia in primis et ij vesp. et in oct. die Epiph. et aliarum oct. quando dicitur Hymnus Salvator mundi. *nisi corpus præsens affuerit: in omnibus etiam aliis festis ix lect. et in festis iij lect. et in octavis in quibus chorus regitur, et in diebus Dom. in primis vesp. tantum: similiter fiat in commemoratione B. Mariæ et festo loci.*

¶ *Fiant autem vig. mortuorum cum ix psalmis et ix añis et ix lect. quandocunque corpus adest præsens, vel quando dies anniversarius vel tricenalis contigerit, nisi in tempore paschali. In pasch. vero tempore dicuntur iij psalmi et iij lect. cum tribus añis super psalmos ante laudes, qualiscunque nocturnus dicitur, et omnes añæ cum suis psalmis ad vesp. scil.* Placebo, *et omnes añæ super psalmos in laudibus dicantur.*

¶ *Et sciendum est, quod quando aña sequitur immediate Ps.* Dilexi, *tunc non dicetur ultimus versus ejusdem psalmi, quia idem est cum A.* Placebo.

Post oct. vero paschæ in quacunque feria inchoetur officium mortuorum, incipiatur à j noct. et compleantur duo sequentes noct. in eadem hebdomada, si fieri potest: sive autem fieri potest, sive non, deinceps non servetur ordo nocturnorum; sed feriarum in hoc temp. sicut in aliis temporibus observetur: ita tamen quod quandocunque fit serv. pro corpore præsenti cujuscunque fuerit, et in anniversariis et tricenalibus episcoporum in prædicto tempore, semper dicuntur añæ, psalmi, versus, lectiones, et duo resp. de primo noct.

Sciendum est autem, quod in tempore paschali semper erit ij ℟. Libera me Dñe de morte (P. 120.) *cum his tribus versibus, scilicet* Dies illa dies iræ. Quid ergo miserrimus. Nunc, Christe, te petimus. *Quandocunque autem dicitur hoc prædictum* ℟. Libera me, *semper reincipiatur*

Digitized by Google

ab illis clericis qui versum resp. ij cantaverint.

¶ *Quandocunque corpus adest præsens, et in anniversariis et trigintalibus episcoporum et quatuor personarum principalium, scilicet decani, cantoris, cancellarii, et thesaurarii, et in die animarum, post ultimam reinceptionem* Dum veneris, *iij, vj, et ix respons. debent repeti ab illis clericis qui versum resp. ij cantaverint.*

In quotidianis obsequiis mortuorum, videlicet quando corpus non est præsens, vel dies anniversarius vel tricenalis non habentur, tunc fiunt vig. mortuorum cum iij lect. tantum et ix psalmis, et una sola añia super omnes psalmos ad vesperas, quæ erit Placebo, *et cum sola A.* Dirige *super omnes psalmos ante lectiones; et tunc semper dicitur ante laudes iste* ℣. Complaceat tibi, Dñe, ut eruas me. ℟. Dñe ad adjuvandum me respice; *ad laudes vero hæc sola añia super psalmos dicitur, scil.* Exultabunt Dño [ossa humiliata]. *Et hæc omnia sine nota dicantur statim post vesp. de die et de S. Maria, ante compl. de die.*

In lectionibus vero legendis et resp. dicendis ordo ferialis servetur, viz. die Dom. et feria iiij lectiones et resp. de j noct.: et ij et v feria lect. et resp. de ij noct.: et iij et vj feria lect. et resp. de iij noct. : ita tamen quod semper in iij et vj feriis sit iij ℟. Libera me Dñe de viis inferni. (P. 120.)

¶ *In quotidianis obsequiis mortuorum cum ix psalmis et iij lect.* ℟ *nunquam repetatur.*

Nota quod quando Dirige *sequitur continue, tunc non dicitur* Requiescant in pace, *sed sine intervallo incipiantur matutinæ. Tamen quando* Dirige *non sequitur, ut in* XL, *tunc finiatur cum* Requiescant in pace. [℟. Amen.]

¶ *Notandum est vero quod quandocunque corpus adest præsens, vel dies anniversarius vel dies tricenalis contigerit, per totum annum, dicitur commendatio animarum cum nota.*

Statim post primam ante missam capitalem pro defunctis, super psalmos añia à quodam clerico de superiori gradu incipiatur hoc modo.

Requiem æternam dona eis Dñe: et lux perpetua luceat eis. *Ps.* [*cxviij.*] Beati immaculati. (P. 19, 20 et 25-30) *usque ad Ps.* [*cxix.*] Ad Dñm cum tribularer.

Finitis pss. sine Gloria Patri, *tota añia repetatur; qua dicta sequatur:* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Deinde dicitur Pater noster *sine pronuntiatione* Et ne nos.

Et postea dicitur Ps. Dñe probasti (P. 95). *sine nota.*

Finito Ps. sine Gloria Patri. *statim incipiatur missa in capitulum.*

Officium. Requiem æternam.

Quandocunque autem dicitur commendatio, semper dicitur sedendo supradicto modo usque ad ant. dicendam super pss. Quando vero sigillatim extra conventum dicitur commendatio, tunc immediate post Ps. Dñe probasti, *dicitur* ℣. Requiem æternam (p. 11). ℣. A porta inferi (*ib.*). ℣. Credo videre (*ib.*).

Dñs vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus.

TIBI Dñe commendamus animas famulorum famularumque tuarum, et omnium fidelium defunctorum, ut defuncti sæculo tibi vivant: et quæ per fragilitatem mundanæ conversationis peccata admiserunt, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per eundem Christum Dñm nostrum. Amen. Requiescant in pace. Amen.

Nunquam autem dicitur alia commendatio in ecclesia Sarum (sive corpus sit præsens sive non) quam ista prædicta commendatio: et semper dicatur sedendo usque ad añam.

Digitized by Google

A die animarum usque ad iij feriam ante pascha dicitur Placebo *et* Dirige *usque ad laudes tantum post vesp. diei et de S. Maria. Post mat. vero de die et de S. Maria dicuntur laudes mortuorum.*

FERIA II *primæ hebd. Adv. Dñi.*

Ad Mat. Inv. Regem venturum Dñm : Venite adoremus. *Ps.* Venite.

Hoc prædictum inv. dicitur quotidie in feriis, usque ad vig. Nativ. Dñi, nisi in iiij et vj feria et Sabb. iiij temporum.

Hymnus Verbum supernum (p. 4). *Super noct. ant.* Dñs defensor. *Ps.* Dñs illuminatio. *Et cæteræ aīæ et pss. sicut in Psalterio per ordinem notantur.*

¶ *Sciendum est quod omni die Dom. per annum quando de Dom. agitur, et in qualibet feria, sive de feria agitur sive de festo iij lect. sine psalmo* Te Deum. *ad mat. semper dicitur noct. excepto paschali tempore et excepta octava die S. Andreæ apostoli; et exceptis singulis commemorationibus B. Mariæ et festo loci per totum annum; et excepta die Dom. infra Nativ. Dñi.*

℣. Ex Sion species decoris ejus. ℟. Deus noster manifeste veniet.

Lectio j. Esajæ j. C.

TERRA vestra deserta : civitates vestræ succensæ igni. Regionem vestram coram vobis alieni devorant; et desolabitur sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur. Hæc dicit [Dñs : *etc.*] ℟. Aspiciebam (p. 6).

Lect. ij. Et nisi Dñs exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus. Audite verbum Dñi, principes Sodomorum : percipite auribus legem Dñi Dei nostri, populus Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dñs. Plenus sum. [Hæc dicit *etc.*] ℟. Missus est (p. 6.) *Sed si una sola feria per hanc hebdomadam forte vacaverit : tunc in ipsa feria quando de j noct. agitur, dicuntur* ℟*ia ferialia, viz.* ℟ Obsecro *et* ℟ Alieni. *quæ in iiij feria sequenti* (p. 16) *intitulantur.*

Lect. iij. Holocausta arietum et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? [Hæc dicit *etc.*] ℟. Ave Maria (p. 6).

Si vero in ij feria vel in iij feria festum ix lect. contigerit, et forte in iij feria vel in iiij feria servitium feriale sit agendum, semper ℟*ia primi noct. primo loco cantentur, deinde secundi et tertii, nisi specialiter distinguantur : quod etiam generaliter observetur per totum annum.*

¶ *Ante Laudes* ℣. Emitte Agnum Dñe, (p. 8). *Et dicitur iste* ℣. *ante laudes quotidie usque ad vig. Natalis Dñi, quando de temporali agitur.*

In Laudibus A. Miserere mei Deus. *Ps. Ipsum, ut in Psalterio loco suo notatur.*

Cap. Hierem. xxiij. A.

ECCE dies veniunt, dicit Dñs, et suscitabo David germen justum; et regnabit Rex, et sapiens erit; et faciet judicium et justitiam in terra. [Deo gratias.]

Hymn. Vox clara (p. 9). ℣. Vox clamantis in deserto. [℟. Parate viam Dñi : rectas facite semitas Dei nostri.]

A. Angelus Dñi nuntiavit Mariæ : et concepit de Spiritu Sancto, Alleluja. *Ps.* Benedictus (P. 15).

Finita aña post Benedictus, *statim dicuntur Preces cum prostratione hoc modo :*

Kyrie eleison *iij.* Christe el. *iij.* Kyrie el. *iij.* Pater noster.

Et dicantur sub eodem tono quo

Digitized by Google

compl.: similiter et cætera quæ sequuntur usque ad orationem [*et*] Dñs vobiscum. *hoc modo.*

Et ne. Sed libera.

Ego dixi Dñe miserere [mei]. Sana animam [meam, quia peccavi tibi] : *quære has preces in Psalterio ad laudes feriæ secundæ* (p. 39).

Hæ preces eodem modo dicantur quo habentur in Psalt. ad mat. ad iij, ad vj, ad ix, et ad vesp. in omnibus feriis per Adv. et à Dñe ne in ira *usque ad Cœnam Dñi, et à* Deus omnium *usque ad Adv. Dñi, quando de feria agitur ; nisi ad mat. in iiij et vj feria et sabb. iiij temporum Adv. Dñi, et nisi ad j* O. *et sic deinceps ad vesp. ad omnes* O.

Or. Excita quæsumus (p. 2).

Ad primam vero dicitur ℣. Exurge Dñe, adjuva. *et cæteri versus sequentes ut supra ad compl. usque ad orationem.*

[*Or.*] Excita quæsumus (p. 2). *Sacerdote vero sic dicente,* Qui vivis et regnas. *tunc surgant omnes clerici a prostratione osculando formulas.*

Mem. de S. Maria.

A. Spiritus Sanctus in te descendet, Maria : ne timeas habens in utero Filium Dei, Alleluja. ℣. Egredietur virga (p. 3). *Or.* Deus qui de Beatæ (*ib.*)

Mem. de omnibus Sanctis.

A. Ecce Dñs veniet, et omnes Sancti ejus cum eo : et erit in die illa lux magna, All'a. ℣. Ecce apparebit Dñs (P. 40). *Or.* Conscientias nostras (*ibid.*)

¶ *Ad primam Añæ.* Veni et libera nos, Deus noster. *Pss.* Deus in nomine. Beati immaculati. Retribue.

A. Gloria tibi Trinitas. *Ps.* Quicunque.

Cætera omnia quæ ad primam pertinent, ut Dñica præcedente supra dictum est, sunt exequenda, cum psalmo Miserere *et* ℣. *sequente ut supra dictum est.*

¶ *Ad iij, vj, et ix, añæ, capitula, resp. et versus sicut in Psalterio sunt intitulata.*

¶ *Istæ horæ dicantur supradicto modo quotidie usque ad vig. Nativ. Dñi quando de feria agitur, cum orationibus Dominicalibus.*

¶ *Ad Vesp. A.* Inclinavit Dñs (P. 88). *Ps.* Dilexi (*ibid.*) *Aliæ añæ ut in Psalterio notantur.* (P. 89.)

Cap. Hierem. xxiij. B.

In diebus illis salvabitur Juda, et Israël habitabit confidenter : et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dñs justus noster. [Deo gr.]

Hoc Cap. dicitur quotidie ad vesp. per Adv. nisi in sabb. et in Dominicis et festis.

℟. Tu exurgens. (p. 11.) *Hym.* Conditor. (p. 2.) ℣. Rorate cœli (*ib.*)

A. Hierusalem respice ad Orientem : et vide, Alleluja. *Ps.* Magnificat. *Preces et orationes ut supra ad mat.* *Mem. de S. Maria.*

A. Ne timeas Maria : invenisti gratiam apud Dñm : ecce concipies et paries filium, Alleluja. ℣. Egredietur virga (p. 3). *Or.* Deus qui de (*ib.*) *Mem. de omnibus Sanctis.*

A. Ecce Dñs veniet, (P. 40). ℣. Ecce apparebit (*ib.*) *Or.* Conscientias. (*ib.*)

Hic ordo memoriarum, scil. de S. Maria et de omnibus Sanctis observetur quotidie ad vesp. et ad mat. usque ad vig. Nativ. Dñi, quando de feria agitur ; et etiam in oct. S. Andreæ, nisi quando añæ Ave Maria *dicitur ad primam* O : *et tunc nulla fit mem. de omnibus Sanctis.*

Supradictus ordo capitulorum, hymnorum, responsoriorum et versiculorum ad vesp. et ad mat. et ad alias horas hujus feriæ servetur quotidie usque ad vig. Natalis Dñi, quando de feria agitur.

Feria iii. *super noct. añæ,* Ut non delinquam. *Ps.* Dixi custodiam. *Cæteræ añæ ut in Psalterio notantur.*

℣. Egredietur virga de radice Jesse. ℟. Et flos de radice ejus ascendet.

Digitized by Google

Lectio j. Esajæ j. E.

NE offeratis ultra sacrificium frustra : incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et sabbatum, et festivitates alias non feram : iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras et solennitates vestras odivit anima mea : facta sunt mihi molesta : laboravi sustinens. [Hæc *etc.*] ℟. Suscipe (p. 6).

Lec. ij. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis. Et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Hæc dicit Dñs. Lavamini, mundi estote : auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere perverse : discite benefacere. [Hæc *etc.*] ℟. Salvatorem (p. 7).

Si vero duæ [*tantum*] *feriæ per hanc hebd. vacaverint, tunc quandocunque de feria agitur, dicuntur duo* ℟*ia ferialia, viz.* ℟. Obsecro *et* ℟. Alieni. *quæ in iiij feria sequente intitulantur.*

Lec. iij. Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam ; et venite et arguite me, dicit Dñs. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. [Hæc *etc.*] ℟. Audite (p. 7).

[¶ *Ante Laudes* ℣. Emitte (p. 8.)]

In Laudibus A. Secundum magnam. *Ps.* Miserere. *Cæteræ añæ ut in Psalterio notantur.*

Cap. Ecce dies. *Hym.* Vox clara. ℣. Vox clamantis. [*Omnia ut* p.14.]

A. Leva Hierusalem oculos, et vide potentiam Regis : ecce Salvator venit solvere te a vinculo, [Alleluja.] *Ps.* Benedictus.

¶ *Ad Vesp. A.* In domum. *Cæteræ añæ cum suis psalmis sicut in Psalterio notantur.*

Cap. In diebus illis. ℟. Tu exurgens. *Hym.* Conditor. ℣. Rorate cœli. [*Omnia ut* p. 15.]

A. Quærite Dñm dum inveniri potest : invocate eum dum prope est, Alleluja. *Ps.* Magnificat. *Oratio ut supra.*

FERIA IV. *añæ,* Avertet. *Ps.* Dixit insipiens. *Et cæteræ añæ ut in Psalt. notantur.*

℣. Egredietur Dñs (p. 7).

Lectio j. Esajæ j. F.

SI volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos : quia os Dñi locutum est. Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii ? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. Hæc dicit. ℟ 1. Ecce virgo (p. 8).

Lec. ij. Argentum tuum versum est in scoriam : vinum tuum mixtum est aqua. Principes tui infideles : socii furum. Omnes diligunt munera : sequuntur retributiones. Pupillo non judicant : et causa viduæ non ingreditur ad eos. Propter hoc ait Dñs Deus exercituum, fortis Israël : Heu ego consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. Hæc dicit.

℟ 2. Obsecro mitte Dñe quem missurus es : vide afflictionem populi tui. Sicut locutus es, veni et libera nos. ℣. A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. Sicut locutus [es, veni et libera nos].

Lec. iij. Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam : et auferam omne stannum tuum. Et restituam judices tuos ut fuerunt prius : et consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis civitas justi : urbs fidelis. Hæc dicit.

℟ 3. Alieni non transibunt per Hierusalem amplius. Nam in illa die stillabunt montes dulcedinem. Et colles fluent lac et mel : dicit Dñs. ℣. Ego veniam, dicit Dñs, et sanabo contritiones populi mei, dicit Dñs. Nam [in illa die stillabunt montes

Digitized by Google

dulcedinem, et colles fluent lac et mel, dicit Dñs]. Gloria [Patri, et Filio, et Spiritui Sancto]. Et [colles fluent lac et mel, dicit Dñs].

Et si aliquod festum Sanctorum in aliqua prædictarum feriarum contigerit unde fieri debeat servitium, seu aliqua commemoratio facienda fuerit in eisdem, deinceps non servetur ordo feriarum in lectionibus legendis et in versibus et resp. cantandis in feriis subsequentibus; sed servetur ordo versuum et resp. et lectionum, ita tamen quod ℟ia *ferialia non omittantur: et semper si tot feriæ vacaverint per hebd. quod* ℟ia *de ij noct. historiæ Dominicalis per hebd. cantentur, tunc ibi dicantur* ℟ia *ferialia. Si vero feriæ tres per unam hebd. non vacaverint, tunc in ij noct. quando de feria agitur, vel in j noct. cùm ibi* [non] *nisi una sola feria per hebd. ad hoc vacaverit, dicantur* ℟ia *ferialia; quod per totum annum observetur quando* ℟ia *de historia Dominiculi per hebd. cantantur tantum. Tamen per Æstatem non dicitur nisi unum solum* ℟ *feriale per hebd. quando historia duratura fuerit: si vero duratura non fuerit, duo* ℟ia *ferialia, si necesse fuerit, in una feria ad matutinas dicuntur.*

¶ *Nota quod nunquam dicuntur tria* ℟ia *ferialia simul. Et notandum est quod* ℟ia *ferialia non dicuntur donec omnia* ℟ia *historiæ Dominicalis dicta fuerint: quod per totum annum observetur, nisi in historia* Dñe ne in ira.

[¶ *Ante Laudes* ℣. Emitte (p. 8.)].

In Laudibus A. Amplius lava me. *Ps.* Miserere. *Cæterœ añæ ut in Psalt. notantur.*

Cap. Ecce dies. *Hym.* Vox clara. ℣. Vox clamantis. [*Omnia ut p.* 14.]

A. De Sion exibit lex, et verbum Dñi de Hierusalem, [Alleluja.] *Ps.* Benedictus.

Ad Vesp. A. Beatus vir. *Ps.* Nisi Dñs ædificaverit. *ut in Psalt. notantur.*

Cap. In diebus illis. ℟. Tu exurgens. *Hym.* Conditor. ℣. Rorate. [*Omnia ut p.* 15].

A. Veniet fortior me post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus, [Alleluja.] *Ps.* Magnificat.

FERIA V *super noct. A.* Dñe Deus. *Ps.* Salvum me fac. *Et cæterœ añæ ut in Psalt. notantur.*

Versus et ℟ia *quæ in ij feria per ordinem dicuntur ut supra dictum est.*

[¶ *Ante Laudes* ℣. Emitte (p. 8).].

In Laudibus A. Tibi soli peccavi. *Ps.* Miserere. *Et cæterœ añæ ut in Psalt. notantur.*

Cap. Hym. ℣. *ut supra in ij feria.*

A. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, [Alleluja.] *Ps.* Benedictus.

¶ *Ad Vesp. A.* Et omnis mansuetudinis. *Ps.* Memento. *Aliæ añæ ut in Psalterio notantur.*

Cap. ℟. *Hym.* ℣. *ut supra in ij feria.*

A. Expectabo Dñm Salvatorem meum, et præstolabor eum dum prope est, Alleluja. *Ps.* Magnificat.

FERIA VI *super noct. A.* Exultate Deo. *Ps. Ipsum. Cæterœ añæ ut in Psalt. notantur.*

Versus et ℟ia *per ordinem dicantur ut supra dictum est.*

[¶ *Ante Laudes* ℣. Emitte (p. 8).].

In Laudibus A. Spiritu principali. *Ps.* Miserere. *Et aliæ añæ ut in Psalt. notantur.*

Cap. Hym. et ℣. *ut supra* [*fer. ij*].

A. Ecce veniet Deus et Homo de domo David sedere in throno, Alleluja. *Ps.* Benedictus.

¶ *Ad Vesp. quando non fit plenum servitium de S. Maria, nec de aliquo Sancto, ut in vig. et iiij temporibus, et etiam per totam* XL, *super psalmos A.* In conspectu. *Ps.* Confitebor. *ij. Cæterœ añæ ut in Psalt. notantur.*

Cap. ℟. *Hym. et* ℣. *ut supra feria ij.*

Digitized by Google

¶ *Ad vesp. quæ erunt de S. Maria, vel de festo ix lectionum, fiat mem. de Adv. per ant.* Ex Ægypto vocavi Filium meum: veniet ut salvet populum suum, [Alleluja.] ℣. *et Or. ut supra* (p. 3).

SABBATO, *quando non fit plenum servitium de S. Maria nec de aliquo festo ix lect. ut in vigiliis et in iiij temporibus, et etiam per totam* XL, *super noct. añā,* Quia mirabilia. *Ps.* Cantate. *ij. Aliæ añæ ut in Psalt. notantur.*

Versus, lectiones et ℟*ia per ordinem dicuntur ut supra.*

[¶ *Ante Laudes* ℣. Emitte (p. 8).]

In Laudibus A. Benigne. *Ps.* Miserere. *Cæteræ añæ quæ sequuntur ut in Psalt.*

Cap. Hym. ℣. *ut decet: tamen hac die ad mat. quæ erunt de S. Maria vel de festo ix lect. fiat mem. de Adv. cum hac añā.*

Sion noli timere: ecce Deus veniet, Alleluja. *Ps.* Benedictus.

℣. Vox clamantis (p. 8.)

Or. Excita quæsumus (p. 2.)

¶ *Supradictus ordo añarum et psalmorum in noct. ad mat. et ad vesp. servetur per totum annum in feriis, sive de feria agitur, sive de festo iij lect. sine psalmo* Te Deum, *excepto paschali tempore et excepta octava die S. Andreæ, et singulis commemorationibus B. Mariæ et S. loci, et nisi in festis iij lectionum quæ contingunt à* LXX *usque ad* XL, *et nisi in vigiliis Sanctorum à festo S. Trin. usque ad Adv. Dñi, et nisi in festis S. Romani, Theclæ, Bertini, et Petronillæ, quando extra tempus paschale contigerint, quod per totum annum servetur: et in laudibus, nisi in iij hebd. Adv. Dñi, et in iij hebd. ante pascha.*

¶ *Sciendum est quod per totum annum solet fieri plenum servitium in choro de festo loci semel in qualicunque hebd. ubi convenientius possit celebrari, ut in collegiis præbendatis, et in ecclesiis parochialibus, ubicunque etiam sit ecclesia dedicata in honore alicujus alterius sancti quam de S. Maria, quod minus plene continetur in Ordinalibus Sar.: cum ecclesia cathedralis Sarum in honore B. Mariæ sit dedicata.*

Impeditur autem ista prædicta commemoratio illis de causis quibus commem. B. Mariæ impeditur (ut inferius patebit), cum sit ejusdem dignitatis, scil. cum regimine chori; et fiet prædictum servitium de propria historia si habeatur: sin autem de communi ut sic.

Ad vesp. super psalmos feriales illa sola añā quæ intitulatur in festo ejusdem super psalmos ad j vesp. Ita tamen quod si festum v habeat añas in propria historia super psalmos ad j vesp. tunc habeat hic j ant. super psalmos feriales. Cætera sicut in festo ejusdem præter ℟ *quod non dicetur.*

Tamen si illud festum habeat vigiliam, non dicitur oratio de vig. sed or. de die dicitur, excepto quod ubi fit commemoratio de S. Johanne Bapt. dicitur or. de vig. quia oratio de die non convenit commemorationi: et sic de consimilibus.

Ubi etiam fit commem. de apostolis Petro et Paulo, or. quæ est in octava die eorundem dicatur; et quando fit commem. omnium Sanctorum, tunc ad j vesp. super psalmos feriales dicitur ista añā Sancti Dei omnes. *et cætera omnia ut supra, cum ista oratione,* Concede, quæsumus, omnipotens Deus. *Nulla fiat mem. nisi quando in aliquo festo iij lect. vel infra oct. sine regimine chori celebratur: tunc fiat mem. de festo sive de oct. Tamen infra Adv. fiat mem. de Adv. et de S. Maria. Similiter à Circuncisione Dñi fiat mem. de S. Maria usque ad Purif. B. Mariæ, nisi in die Epiph. Et ab oct. paschæ usque ad Asc. Dñi fiat de Resurrectione, de quocunque fit servitum, nisi in*

Digitized by Google

inventione sanctæ crucis, ut inferius patebit.

Ad mat. omnia fiant sicut in festo ejusdem cum ix añis et ix psalmis et j ℣ cum iij primis lectt. et iij primis R*iis, et ℣. de die ante laudes.*

In Laudibus una sola A. super omnes psalmos, etc.

¶ *Ita tamen quod in toto tempore paschali dicatur una sola A. cum tribus primis pss. ℣. et lectt. et* R*iis, de j noct. absque variatione: ita quod añа, ℣. et* R*ia terminentur cum* Alleluja. *Et si non habeantur A. ℣. et* R*ia de proprietate, tunc dicantur de communi paschalis temporis ad vesp. mat. et alias horas.*

Ante Laudes ℣. sicut in j die. In Laudibus ea sola añа quæ dicitur primo in Laudibus in festo ejusdem, hic dicitur super omnes psalmos.

Cætera omnia ad mat. et ad omnes horas sicut in festo ejusdem annotatum est expleantur cum hac añа semper extra oct. S. Trin. Te jure. *super Ps.* Quicunque.

Si vero festum habeat oct. omnia fiant sicut infra oct. annotatum est, cum prædicta añа super psalmos feriales ad vesp. et cum prædicta añа super Ps. Quicunque.

Tamen sciendum est quod si aliquod festum cum regimine chori in aliqua hebd. celebretur, et in crastino plenum servitium de S. Maria fieri debeat, tunc in ipso festo, etiam si Dominica fuerit, vesp. fiant de S. Maria, et solennis mem. de festo vel de Dom. nisi duplex festum fuerit, vel festum quod suas primas vesp. habere non poterat, et nisi in oct. Epiph. Asc. Dñi, et dedicationis ecclesiæ, et Corporis Christi; tunc enim fiat tantum mem. solennis de S. Maria cum hac añа : Sub tuam protectionem confugimus, ubi infirmi acceperunt virtutem; et propter hoc tibi psallimus, Dei genitrix Virgo. *Ps.* Magnificat.

Per Adv. verò cum hoc ℣. Egredietur (p. 3). *Or.* Deus qui de Beatæ (*ib.*)

Ab oct. Epiph. usque ad Purif. cum hoc ℣. Sancta Dei genitrix (P. 42). *Or.* Deus qui salutis (P. 40).

In alio verò tempore anni cum hoc ℣. Sancta Dei genitrix (P. 42). *Or.* Concede [nos famulos tuos, quæsumus Dñe Deus, perpetua mentis et corporis salute gaudere; et gloriosa B. Mariæ semper Virginis intercessione a præsenti liberari tristitia et æterna perfrui lætitia. Per Christum Dñm nostrum.]

Quotiescunque enim fit mem. de S. Maria cum hac añа, scil. Sub tuam. *non dicuntur vesp. de ea in choro, licet duplex festum non fuerit. Aliæ verò vesp. non erunt de commem. B. Mariæ.*

¶ *Nulla enim commem. totius anni suas habeat ij vesp. nec etiam mem. loco secundarum vesp.*

In festis verò B. Mariæ Virginis nulla fiet mem. de commem. ejusdem quando fit in crastino

Quando verò fit plenum servitium de S. Maria, per totum Adv. ad vesp. super psalmos hæc sola añа, Prophetæ prædicaverunt (p. 3). *Psalmi feriales. Cap.* Ecce Virgo. *Cætera omnia prout in serv. B. Mariæ sunt notata.*

[PICA DE DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.]

Litera Dominicalis A.—Tota cantetur historia. Secundæ vesp. erunt de commem. et mem. de Dom. et de S. Maria cum hac añа *Ave Maria.* — Feria 2, 3, et sabb. de commem. — Fer. 5 de feria. R*ia* de j noct. et missa de 4 fer. — Fer. 6 dicuntur R*ia* de ij noct. cum R℣ feriali; et epistola et evangelium ejusdem feriæ.

Lit. Dom. B.—Tota cantetur hist. et mem. de oct. et de S. Maria. Festum

Digitized by Google

S. Osmundi differatur in crast. Vesp. de Dom. erunt de festo.— Fer. 2 de S. Osmundo : omnia de Comm. unius Conf. et Pont. — Fer. 4, 6, et sabb. de commem. et missa de oct. dicitur in capitulo. ℟ia ferialia prætermittantur.

Lit. Dom. C. — Tota cantetur hist. Ad primas vesp. quæ erunt de Dom. fiat mem. de S. Osmundo, de oct. et de S. Maria. Ad ij vesp. quæ erunt de S. Nicolao, mem. de Dom. de oct. et de S. Maria cum aña *Ave Maria.* — Fer. 5, 6, et sabb. de commem. et ℟ia fer. prætermittantur.

Lit. Dom. D.—Totum de Dom. et festum S. Nicolai differatur in crast. nisi fuerit festum loci. — Fer. 2 de S. Nicolao, et mem. de oct. et de S. Maria, cum missa de oct. in capitulo. — Fer. 5, 6, et sabb. de commem. — Fer. 4 dicitur ℟ fer. cum missa ejusdem feriæ. Ubi festum apostoli est festum loci, differatur festum S. Nicolai ad 4 fer.

Lit. Dom. E.—De servitio Dom. Ad j vesp. quæ erunt de Dom. fiat solennis mem. de S. Nicolao, de oct. et de S. Maria, et missa de oct. prætermittatur. Ubi tamen festum S. Andreæ est festum loci, in die Conceptionis fiet de eo mem. sub silentio, et missa de oct. dicitur in capitulo. Sec. vesp. erunt de Conceptione, et sol. mem. de Dom. tantum.—Fer. 2 de commem. Ad ij vesp. mem. de commem. et de Adv. solennis.—Fer. 3, 4, et 5 de commem.—Fer. 6 dicitur ℟ fer. Epist. et euang. ejusdem feriæ.

Lit. Dom. F. —Totum de Dom. Festum Conceptionis differatur in crast. Sec. vesp. erunt de Conc. et sol. mem. de Dom. tantum.—Fer. 2 de Conc. et sol. mem. de Adv. tantum. Ad ij vesp. de Conc. fiat sol. mem. de Conc. et de Adv. — Fer. 3, 5, et sabb. de commem. — Fer. 4 dicitur ℟ fer. et missa ejusdem feriæ.

Lit. Dom. G.—De servitio Dom. Ad j vesp. quæ erunt de festo, fiat sol. mem. de Dom. tantum. Sec. vesp. erunt de Dom. et mem. de commem. et de S. Maria cum aña *Ne timeas.*—Fer. 2, 3, et sabb. de commem.—Fer. 6 de feria cum ℟ feriali. Epist. et euang. ejusdem feriæ.

Dominica secunda Adv. Dñi.

¶ *Ad Vesp. aña* Benedictus. *Ps. Ipsum, ut supra in præcedenti sabb. notatum est.* *Cap. Esajæ iiij.*

In die illa erit germen Dñi in magnificentia et gloria; et fructus terræ sublimis; et exultatio his qui salvati fuerint de Israël. [Deo gr.] ℟ 8. Docebit vos [Dñs vias suas, et ambulabitis in semitis ejus. Quia— Hier. ℣. Venite — Jacob. Quia — Hier. Gloria. Et verbum Dñi de Hier. (V. p. 22.)]

Hym. Conditor (p. 2.) ℣. Rorate (*ib.*)

A. Orietur sicut sol Salvator mundi, et descendet in uterum Virginis sicut imber super gramen, Alleluja. *Ps.* Magnificat. *Oratio.*

Excita, Dñe, corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias; ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur. Qui.

Mem. de S. Maria ut supra.

¶ *Ad Mat. Inv.* Rex noster adveniet Christus: Quem Johannes prædicavit Agnum esse venturum. *Ps.* Venite.

Hymnus, aña, psalmi, et ℣. sicut in prima Dominica Adv. Dñi.

Lectio prima.

Sion in judicio redimetur, et reducet eam in justitia. Et conteret sceleratos et peccatores simul: et qui dereliquerunt Dñm consumentur. Confundentur enim ab idolis quibus sacrificaverunt; et erubescetis super hortis quos elegeratis. Hæc dicit. ℟ 1. Hierusalem cito veniet salus tua, quare mœrore consumeris? nunquid consiliarius non est

Digitized by Google

tibi, quia innovavit te dolor? Salvabo te et liberabo te; noli timere. ℣. Israël si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum; ego enim Dñs. Salvabo.

Lect. ij. Cum fueritis quasi quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua. Et erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ; et opus vestrum quasi scintilla. Et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat. Hæc dicit. ℟ 2. Ecce Dñs veniet, et omnes sancti ejus cum eo, et erit in die illa lux magna, et exibunt de Hierusalem sicut aqua munda. Et regnabit Dñs in æternum super omnes gentes. ℣. Ecce Dñs in virtute veniet, et regnum in manu ejus, et potestas et imperium. Et regnabit Dñs.

Lect. iij. Verbum quod vidit Esajas filius Amos super Judam et Hierusalem. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Dñi in vertice montium; et elevabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes; et ibunt ad eum populi multi, et dicent: Venite ascendamus ad montem Dñi, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. Quia de Sion exibit lex, et verbum Dñi de Hierusalem. [Hæc.] ℟ 3. Civitas Hierusalem, noli flere, quoniam doluit Dñs super te. Et auferet a te omnem tribulationem. ℣. Ecce in fortitudine veniet: et brachium ejus dominabitur. Et. Gloria. Et.

In secundo noct. fiant mediæ lectiones de sermone B. Maximi episcopi. *Lectio iiij.*

Superiore Dominica capitulum euangelicum disserentes, quandam partem ex illo perstrinximus: superest ut sequentia discurramus. Descripsimus enim quid esset quod ait Dñs, In illa nocte erunt duo in lecto uno: et reliqua. Nunc ergo videamus quid reliquum est. Dicit enim eadem sententia: Erunt duæ molentes in pistrino: una assumetur et una relinquetur. Primum igitur considerandum est quomodo constat molentis officium. Deinde quæ sunt duæ quæ molere dicuntur. Tertio quid pistrinum sit: quisve molitionis effectus. Tu autem. ℟ 4. Ecce Dñs veniet: protector noster Sanctus Israël: Coronam regni habens in capite ejus. ℣. Et dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coronam.

Lect. v. Nulli dubium est quod molere aliter non constat nisi duobus lapidibus apparatis et sibi convenientibus, ut alteri ex his magnitudo alterius imponatur: et illum quidem lapidem qui prior solo sternitur esse pigrum, tardum et pene (ut ita dixerim) otiosum, ac nisi superioris participatione lapidis oneraretur, forsitan necessarius non videretur. Ita dum ille operatur, etiam iste utilis invenitur. ℟ 5. Sicut mater consolatur filios suos, ita consolabor vos, dicit Dñs, et de Hierusalem civitate quam elegi veniet vobis auxilium. Et videbitis et gaudebit cor vestrum. ℣. Dabo in Sion salutem, et in Hierusalem gloriam meam. Et videbitis.

Lect. vj. Hos igitur duos molares lapides duo esse arbitror testamenta: hoc est legem Moysi et euangelium Dñi. Quæ ita sunt composita vel parata, ut sibi testamentum utrumque conveniat: sicut ait Salvator, Non veni solvere legem, sed adimplere. Hoc autem lex operabatur sine euangelio, quod uno saxo fieri potest. Stante ergo lege euangelium datum est, quod veteri superpositum testamento utrumque concordat, cunctos credentes suscipiens in odorem suavitatis. ℟ 6. Hierusalem plantabis vineam in montibus tuis et exultabis, quia dies Dñi veniet. Surge Sion, convertere ad Deum tuum: gaude et lætare Jacob. Quia de medio gentium Salvator

Digitized by Google

tuus veniet. ℣. Exulta satis filia Sion, jubila filia Hierusalem. Quia de. Gloria. Salvator.

In iij noct. euang. Secundum Lucam. [V. p. 7.] *Cap. xxj. B.*

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis. Erunt signa in sole, et luna, et stellis; et in terris pressura gentium; præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et expectatione quæ supervenient universo orbi. Et reliqua.

Homelia B. Gregorii Papæ.

Lect. vij. Dominus ac Redemptor noster paratos nos invenire desiderans, senescentem mundum quæ mala sequantur denuntiat, ut nos ab ejus amore compescat. Appropinquante ejus termino quantæ passiones præveniant innotescit: ut si Deum metuere in tranquillitate nolumus, saltem vicinum ejus judicium vel percussionibus attriti timeamus. [Tu.] ℟ 7. Egredietur Dñs de Samaria ad portam quæ respicit ad Orientem: et veniet in Bethleem ambulans super aquas redemptionis Judæ. Tunc salvus erit omnis homo, quia ecce veniet. ℣. Et præparabitur in misericordia solium ejus: et sedebit super illud judicans in æquitate. Tunc.

Lect. viij. Huic etenim lectioni sancti euangelii (quam modo vestra fraternitas audivit) paulo superius Dñs præmisit dicens. Exurget gens contra gentem, et regnum adversus regnum. Et erunt terræ motus magni per loca, et pestilentiæ et fames. Et quibusdam interpositis, hoc quod modo audistis adjunxit, Et erunt signa in sole et luna et stellis; et in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris et fluctuum. ℟ 8. Docebit nos Dñs vias suas: et ambulabimus in semitis ejus. Quia de Sion exibit lex, et verbum Dñi de Hierusalem. ℣. Venite, ascendamus ad montem Dñi, et ad domum Dei Jacob. Quia de.

Lect. ix. Ex his profecto omnibus alia jam facta cernimus, alia in proximo ventura formidamus. Nam gentem super gentem exurgere, earumque pressuras terris insistere, plus jam in nostris tribulationibus quam in codicibus legimus. Quod terræ motus urbes innumeras subruat ex aliis mundi partibus, scitis quam frequenter inde audivimus. Pestilentias sine cessatione patimur. Et quamvis signa in sole et luna adhuc aperte non videmus; cum multa jam prænunciata completa sunt, dubium non est quod venient pauca quæ restant. Quia sequentium rerum certitudo est præteritarum exhibitio. Hæc fratres ideo diximus, ne mentes nostræ securitate torpeant, sed semper in bono opere vigilent. ℟ 9. Rex noster adveniet Christus. Quem Johannes prædicavit Agnum esse venturum. ℣. Ecce Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Quem Johannes. Gloria. Quem.

¶ ℟ *feriale.* Leva Hierusalem oculos, et vide potentiam regis. Ecce Salvator venit solvere te a vinculo. ℣. De Sion exibit lex: et verbum Dñi de Hierusalem. Ecce. Gloria. Ecce.

[¶ *Ante Laudes*] ℣. Emitte Agnum. (p. 8).

In Laudibus A. 1. Ecce in nubibus cœli Dñs veniet cum potestate magna, Alleluja. *Ps.* Dñs regnavit. *A.* 2. Urbs fortitudinis nostræ Sion; Salvator ponetur in ea murus et antemurale aperire portas; quia nobiscum Deus, All'a. *Ps.* Jubilate. *A.* 3. Ecce apparebit Dñs, et non mentietur: si moram fecerit, expecta eum; quia veniet et non tardabit, All'a. *Ps.* Deus Deus meus. *A.* 4. Montes et colles cantabunt coram Deo laudem, et omnia ligna silvarum plaudent manibus; quoniam veniet Dñs dominator in regnum

Digitized by Google

æternum, All'a, all'a. *Ps.* Benedicite. *A.* 5. Ecce Dñs noster cum virtute veniet, ut illuminet oculos servorum suorum, All'a. *Ps.* Laudate.

Cap. Rom. xv. B.

QUÆCUNQUE enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus.

Hym. Vox clara (p. 9). ℣. Vox clamantis (*ib.*)

A. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum, Alleluja. *Ps.* Benedictus.

Or. Excita Dñe (p. 20).

Mem. de S. Maria ut supra.

¶ *Ad j A.* Ecce in nubibus (p. 22). *Ps.* Deus Deus meus respice.

¶ *Ad iij A.* Urbs fortitudinis. (p. 22) *Ps.* Legem pone. *Cap.* Quæcunque enim scripta [*ut supra*].

¶ ℟*ia et versus sicut in j Dominica Adv. Dñi ad omnes horas dicuntur.*

¶ *Ad vj A.* Ecce apparebit (p. 22). *Ps.* Defecit. *Cap. Rom. xv. B.*

DEUS autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum; ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Dñi nostri Jesu Christi. [Deo gratias.]

¶ *Ad ix A.* Ecce Dñs [*ut supra*]. *Ps.* Mirabilia.

Cap. Rom. xv. C.

DEUS autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo; ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti.

¶ *Ad Vesp. A.* Sede a dextris. *Ps.* dixit Dñs.

Cap. Quæcunque enim scripta [*ut supra.*] ℟. Tu exurgens. (p. 11).

Hym. Conditor (p. 2). ℣. Rorate (*ib.*)

A. Beata es Maria, quæ credidisti; quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Dño, Alleluja. *Ps.* Magnificat.

Or. Excita Dñe (p. 20).

Mem. de S. Maria. A. Ne timeas.

Cum vero fuerint vesp. de aliquo Sancto hoc die, tunc ad mem. de S. Maria dicetur A. Ave Maria.

¶ *Quotidie per hebd. quando de feria agitur, dicuntur* ℣℣ *et* ℟*ia per ordinem nocturnorum Dominicalis historiæ, ita tamen quod* ℟*ia ferialia non omittantur.*

Lectiones per hebdomadam.

Lectio j. Esajæ ij. B.

ET judicabit gentes, et arguet populos multos. Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium: nec exercebuntur ultra ad prælium. Domus Jacob venite, et ambulemus in lumine Dei nostri. Hæc dicit.

Lec. ij. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob; quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philistiim, et pueris alienis adhæserunt. Repleta est terra argento et auro; et non est finis thesaurorum ejus. Et repleta est terra ejus equis, et innumerabiles quadrigæ ejus. [H.]

Lec. iij. Et repleta est terra ejus idolis: opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum: et incurvavit se homo, et humiliatus est vir: ne ergo dimittas eis. Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Dñi: et a gloria majestatis ejus. Hæc dicit Dñs.

Aliæ lectiones per hebd. Lec. j.

OCULI sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum. Exaltabitur autem Dñs solus in die illa; quia dies Dñi exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur, et super omnes cedros Libani sublimes et erectas; et super omnes quercus Basan, et super omnes montes excelsos, et super omnes colles elevatos, et super omnem turrim excelsam, et super omnem murum munitum, et super omnes naves Tharsis, et su-

Digitized by Google

per omne quod visu pulchrum est. Hæc dicit. *Lectio ij.*

Et incurvabitur omnis sublimitas hominum : et humiliabitur altitudo virorum. Et elevabitur Dñs solus in die illa : et idola penitus conterentur. Et introibunt in speluncam petrarum, et in voragines terræ; a facie formidinis Dñi, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. Hæc d. *Lec. iij.*

In die illa projiciet homo idola argenti sui et simulacra auri sui quæ fecerat sibi ut adoraret, talpas et vespertiliones; et ingredietur scissuras petrarum, et in cavernas saxorum; a facie formidinis Dñi, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. Quiescite ergo ab homine cujus spiritus in naribus ejus est : quia excelsus reputatus est ipse.

Aliæ lectiones per hebdomadam.

Lectio j. Esajæ iij. A.

Ecce enim Dominator, Dñs exercituum, auferet ab Hierusalem et ab Juda validum et fortem, et omne robur panis, et omne robur aquæ, et fortem, et virum bellatorem, et judicem, et prophetam, et hariolum, et senem, principem super quinquaginta, et honorabilem vultu, et consiliarium, et sapientem de architectis, et prudentem eloquii mystici.

Lec. ij. Et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis. Et corruet populus vir ad virum : unusquisque ad proximum suum. Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.

Lec. iij. Apprehendet enim vir fratrem suum, domesticum patris sui, et dicet, Vestimentum tibi est : princeps esto noster : ruina autem hæc sub manu tua. Et respondebit in die illa dicens, Non sum mendicus; et in domo mea non est panis, neque vestimentum : nolite constituere me principem populi. Hæc dicit Dñs.

Feria 2. *Añ.* De cœlo veniet dominator Dñs; et in manu ejus honor et imperium. *Ps.* Benedictus. *Ad vesp. A.* Ecce Rex venit, Dñs terræ : et ipse auferet jugum captivitatis nostræ. *Ps.* Magnificat.

Feria 3. *A.* Super te, Hierusalem, orietur Dñs : et gloria ejus in te videbitur. *Ps.* Benedictus. *Ad vesp. A.* Vox clamantis in deserto : Parate viam Dñi, rectas facite semitas Dei nostri. *Ps.* Magnificat.

Feria 4. *A.* Ecce mitto angelum meum, qui præparabit viam tuam ante faciem tuam. *Ps.* Benedictus. *Ad vesp. A.* Sion renovaberis et videbis justum tuum qui venturus est in te. *Ps.* Magnificat.

Fer. 5. *A.* Tu es qui venturus es Dñe, quem expectamus ut salvum facias populum tuum. *Ps.* Benedictus. *Ad vesp. A.* Qui post me venit ante me factus est : cujus non sum dignus calceamenta solvere. *Ps.* Magnificat.

Fer. 6. *A.* Dicite, Pusillanimes confortamini : ecce Dñs Deus noster veniet. *Ps.* Benedictus. *Ad vesp. A.* Cantate Dño canticum novum : laus ejus in extremis terræ. *Ps.* Magnificat.

Sabbato A. Levabit Dñs signum in nationibus, et congregabit dispersos Israël. *Ps.* Benedictus.

℣. Vox clamantis (p. 9).

Oratio ut supra.

[PICA DE DOMINICA TERTIA ADVENTUS.]

Lit. Dom. A.—De servitio Dom. Ad j vesp. ℟ *Quiventurus :* super Magnificat añ *O sapientia :* et in hac hebd. nullæ fiant commemorationes.— Fer. 2 et 3 dicuntur ℟ia de Dom. per ordinem. Fer. 4 nihil fiat de vigilia nisi tantum memoria ad missam de jejunio, et in 3 feria dicitur missa *Salus populi.*

Digitized by Google

Lit. Dom. B.—Tota cantetur historia, et in hac hebd. nullæ fiant commem.—Fer. 2 et 5 ℟ia de hist. Dom. per ordinem dicuntur; et missa *Salus populi* dicitur in 2 feria : missa Dom. in 5 fer.

Lit. Dom. C.—Totum serv. de Dom. Secundæ vesp. erunt de S. Lucia : et sol. mem. de Dom. et de S. Maria.—Fer. 3 et 5 dicuntur ℟ia de hist. Dom. et in hac hebd. nullæ fiant commem. Missa *Salus populi* dicitur in 3 feria. Fer. 5 ad vesp. ℟ *Festina : A.* super Magn. *O sapientia.*

Lit. Dom. D.—Totum serv. de Dom. et festum S. Luciæ differatur in crast. Sec. vesp. in Dom. erunt de S. Lucia, et sol. mem. de Dom. et de S. Maria. In hac hebd. nullæ fiant commem.—Fer. 2 et 5 dicuntur versus et resp. de hist Dom. per ordinem. Missa *Salus populi* dicitur in 3 feria. Fer. 4 dicuntur versus de 2 noct. et ℟ia propria. Ad 2 vesp. ℟ *Festina :* super Magn. aña *O sapientia :* et in 5 fer. dicitur missa Dom.

Lit. Dom. E.—De serv. Dom. et in hac hebd. nullæ fiant commem. — Fer. 2 missa Dom. : fer. 3 missa *Salus populi.* Fer. 3 ad vesp. ℟ *Festina : A.* super Magn. *O sapientia :* et in sabb. nihil de vig. nisi mem. ad missam de jejunio.

Lit. Dom. F.—De serv. Dom. et in hac hebd. nullæ fiant commem.— Fer. 2 dicitur missa Dom. Ad ij vesp. ℟ *Festina :* A. super. Magn. *O sapientia :* et in 3 fer. dicitur missa *Salus populi.*— In 5 fer. dicitur missa Dom. et in 6 fer. nihil fiet de vig. nisi tantum mem. ad missam de jejunio. — Sabb. de S. Thoma. Ad altam missam mem. de S. Maria et de omnibus Sanctis. Missa de jejunio dicitur post missam de festo, utraque ad principale altare. Vesperæ in sabb. erunt de apost. et sol. mem. de Dom. et de S. Maria : A. *Beata es.*

Lit. Dom. G.—Totum serv. de Dom. Ad ij vesp. ℟ *Festina :* aña super Magn. *O sapientia :* et mem de S. Maria : aña *Ave Maria.* In hac hebd. nullæ fiant commem.—Fer. 2 missa Dom.—Fer. 3 missa *Salus populi.*— Fer. 4 propria ℟ia. Missa iiij temporum.—Fer. 5 de feria. ℣ *Ex Sion.* ℟ia de iij noct. Missa de vig. S. Thomæ.—Fer. 6 de S. Thoma. Ad mat. mem. de Adv. A. *Nolite.* Or. *Excita.* Post tertiam dicitur [missa] de S. Thoma, et fiat mem. de S. Maria et de omnibus Sanctis. Post sextam dicitur missa de jej. utraque ad summum altare. — Sabb. de fer. ℣ *Egredietur,* cum propriis ℟iis.

¶ *Dominica tertia Adventus.*

[*Ad Vesp.*] *A.* Benedictus. *Ps. Ipsum. Cap. Gen. xlix. B.* Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit expectatio gentium. [Deo gr.] ℟ 3. Qui venturus (p. 26).

Hym. Conditor (p. 2). ℣. Rorate (*ib.*)

A. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit; quia mihi curvabitur omne genu et confitebitur omnis lingua. *Ps.* Magnificat.

Ante primas vesp. hujus Dom. non potest incipi O sapientia. *Or.* Aurem tuam, quæsumus Dñe, precibus nostris accommoda; et mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra. Qui [vivis et regnas cum Deo Patre *etc.*]

Mem. de S. Maria. ut supra.

¶ *Ad Mat. Inv.* Ecce venit jam plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum : Factum de virgine, factum sub lege : venite adoremus. *Ps.* Venite. ¶ *Hymnus, aliæ, psalmi, et versus per ordinem ut in prima Dom. Lectio j.* Ruit enim Hierusalem, et Juda concidit : quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dñm, ut provocarent oculos majestatis ejus. Agnitio vultus eorum respondebit eis : et peccatum suum (quasi

Digitized by Google

Sodoma) prædicaverunt, nec absconderunt. Væ animæ eorum: quoniam reddita sunt eis mala. [H.] ℟. 1. Ecce apparebit Dñs super nubem candidam, et cum eo sanctorum millia: habens in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium. ℣. Apparebit in finem, et non mentietur: si moram fecerit, expecta eum; quia veniens veniet. Rex regum.

Lec. ij. Dicite justo quoniam bene: quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Væ impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei. Populum meum exactores sui spoliaverunt: et mulieres dominatæ sunt eis. Populo meus, qui dicunt te beatum, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. Hæc dicit. ℟. 2. Bethlehem civitas Dei summi, ex te exiet Dominator Israël: et egressus ejus sicut a principio dierum æternitatis: et magnificabitur in medio universæ terræ. Et pax erit in terra nostra dum venerit. ℣. Loquetur pacem gentibus; et potestas ejus a mari usque ad mare. Et pax.

Lec. iij. Stat ad judicandum Dñs; et stat ad judicandos populos. Dñs ad judicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus. Vos enim depasti estis vineam meam: et rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis: dicit Dñs exercituum. Hæc dicit. ℟. 3. Qui venturus est veniet, et non tardabit: jam non erit timor in finibus nostris. Quoniam ipse est Salvator noster. ℣. Deponet omnes iniquitates nostras, et projiciet a nobis omnia peccata nostra. Quoniam. Gloria. Quoniam.

In II Nocr. *fiant mediæ lectiones de sermone beati Augustini episcopi de unitate Trinitatis et de Incarnatione Dñi.*

Lec. iiij. Legimus sanctum Moysen populo Dei præcepta dantem, ubi dixit, Audi Israël: Dñs Deus tuus Deus unus est. Non potest esse major: non potest esse minor. Non potest numerari, dicente propheta David, Magnus Dñs, et magna virtus ejus: et sapientiæ ejus non est numerus. Optime nôstis ista, fratres charissimi, qui corde fortiter tenetis Catholicam veritatem. Tu autem Dñe [miserere nostri]. ℟. 4. Ægypte noli flere, quia Dominator tuus veniet tibi: ante cujus conspectum movebuntur abyssi: Liberare populum suum de manu potentiæ. ℣. Ecce veniet Dñs Deus exercituum: Deus tuus in potestate magna. Liberare.

Lec. v. Audite tamen breviter quod adjuvante Dño proposui explanandum. Deus unus est Pater: Deus unus est Filius: Deus unus est Spiritus Sanctus. Non tres Dii, sed unus est Deus. Tres in vocabulo, sed unus in Deitate substantiæ. Sed dicet mihi hæreticus, Ergo si unum sunt, omnes sunt incarnati. Non. Ad solum Christum pertinet caro. Nempe aliud est anima, aliud est ratio: et tamen in anima est ratio, et una est anima: sed aliud anima agit, aliud ratio. Tu. ℟. 5. Prope est ut veniat tempus ejus; et dies ejus non elongabuntur. Miserebitur Dñs Jacob, et Israël salvabitur. ℣. Qui venturus est veniet et non tardabit: jam non erit timor in finibus nostris. Miserebitur.

Lec. vj. Anima vivit, ratio sapit: et ad animam pertinet vita, et ad rationem pertinet sapientia. Et cum unum sint, anima sola suscipit vitam, ratio sola suscipit sapientiam: et tamen nec anima sine ratione, nec ratio sine anima. Sic et Pater et Filius licet unum sint, et unus Deus sit, ad Christum solum pertinet caro: sicut ad rationem solam pertinet sapientia, licet non recedat ab anima. [Tu] ℟. 6. Descendet

Digitized by Google

Dñs sicut pluvia in vellus. Orietur in diebus ejus justitia, Et abundantia pacis. ℣. Et adorabunt eum omnes reges: omnes gentes servient ei. Orietur in diebus. Gloria. Et abundantia.

¶ *In iij noct.* Secundum Matthæum. [V. p. 7.] (*Cap. xj A.*)

In illo tempore, Cum audisset Johannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

Homelia B. Gregorii Papæ.

Lect. vij. Quærendum nobis est, fratres charissimi, Johannes propheta et plus quam propheta, qui venientem ad Jordanis baptisma Dñm ostendit, dicens, Ecce Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi, qui et humilitatem suam et divinitatis ejus potentiam considerans, dixit, Qui de terra est de terra loquitur: qui autem de cœlo venit super omnes est, cur in carcere positus mittens discipulos requirit: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Tanquam si ignoret quem ostenderat; et an ipse sit nesciat, quem ipsum esse prophetando, baptizando, ostendendo clamaverat. Sed hæc quæstio citius solvitur: si rei gestæ tempus et ordo pensetur. ℟. 7. Veni Dñe, et noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ. Et revoca dispersos in terram suam. ℣. Excita Dñe potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos. Et revoca dispersos.

Lect. viij. Ad Jordanis enim fluenta positus Johannes, quia ipse Redemptor mundi esset asseruit: missus autem in carcerem, an ipse veniat requirit. Non quia ipse Redemptorem mundi dubitet: sed requirit ut sciat si is qui per se in mundum venerat, per se etiam ad inferni claustra descendat. Quem enim præcurrens mundo nuntiaverat, hunc moriendo ad inferos præcurrebat. ℟. 8. Erumpant montes jocunditatem: et colles justitiam. Quia lux mundi Dñs cum potentia venit. ℣. Leva Hierusalem oculos et vide potentiam Regis. Quia lux.

Lect. ix. Ait ergo, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Ac si aperte dicat, Si pro hominibus nasci dignatus es, an etiam pro hominibus mori digneris insinua: ut qui nativitatis tuæ præcursor extiti, mortis etiam præcursor fiam: et venturum inferno te nuntiem, quem jam venisse mundo nuntiavi. ℟. 9. Ecce radix Jesse ascendet in salutem populorum: ipsum gentes deprecabuntur. Et erit nomen ejus gloriosum. ℣. Et erit justitia cingulum lumborum ejus: et fides cinctorium renum ejus. Et erit. Gloria. Et erit.

[¶ *Ante Laudes*] ℣. Emitte Agnum (p. 8).

In Laudibus. A. 1. Veniet Dñs et non tardabit, et illuminabit abscondita tenebrarum: et manifestabit se ad omnes gentes, Alleluja. *Ps.* Dñs regnavit. *A.* 2. Hierusalem, gaude gaudio magno, quia veniet tibi Salvator, All'a. *Ps.* Jubilate Deo. *A.* 3. Dabo in Sion salutem, et in Hierusalem gloriam meam, All'a. *Ps.* Deus Deus meus. *A.* 4. Montes et omnes colles humiliabuntur; et erunt prava in directa, et aspera in vias planas: veni Dñe, et noli tardare, All'a. *Ps.* Benedicite omnia. *A.* 5. Juste et pie vivamus, expectantes beatam spem et adventum Dñi. *Ps.* Laudate. *Cap. j Cor. iiij. A.* Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores misteriorum Dei: hìc jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.

Hym. Vox clara ecce (p. 9).

℣. Vox clamantis (*ib.*).

A. Johannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi: Tu es

Digitized by Google

qui venturus es, an alium expectamus? *Ps.* Benedictus.

Or. Aurem tuam (p. 26).

Mem de S. Maria ut supra.

¶ *Ad Primam A.* Veniet Dñs (p. 27). *Ps.* Deus Deus meus respice.

¶ *Ad Tertiam A.* Hierusalem (p. 27). *Ps.* Legem pone. *Cap.* Sic nos existimet (p. 27).

¶ ℟*ia* et ℣℣ *sicut in prima Dom. Adv. Dñi ad omnes horas dicuntur.*

¶ *Ad Sextam A.* Dabo (p. 27). *Ps.* Defecit. *Cap. j. Cor. iiij. A.*

Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum judico.

¶ *Ad Nonam A.* Juste et pie (p. 27). *Ps.* Mirabilia. *Cap. j. Cor. iiij. A.*

Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dñs; qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo.

¶ *Ad Vesperas A.* Sede a dextris meis. *Ps.* Dixit Dñs. *Cap.* Sic nos existimet (p. 27). ℟ Tu exurgens (p. 11).

Post inceptionem O sapientia *dicitur* ℟ Festina, ne tardaveris. *quod reperies ante dictam añam* (p. 38).

Hym. Conditor (p. 2).

℣ Rorate (*ibid.*)

A. Ite, dicite Johanni, Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur. *Ps.* Magn.

Vel A. O sapientia *Ps.* Magn.

Or. Aurem tuam (p. 25).

Mem. de S. Maria.

Feria ii, iii, *et* v, *dicantur versus et* ℟*ia secundum ordinem nocturnorum.*

Historia Dominicalis cantetur.

Feria ij. Lectio j.

Et dixit Dñs, Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo et nutibus oculorum, ibant et plaudebant, et ambulabant, et pedibus suis composito gradu incedebant, decalvabit Dñs verticem filiarum Sion; et Dñs crinem earum nudabit. [Hæc dicit.]

Lec. ij. In die illa auferet Dñs ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia, et periscelides, et murenulas, et olfactoria, et inaures, et annulos, et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus, et specula, et sindones, et vittas, et theristra. Hæc dicit Dñs.

Lec. iij. Et erit pro suavi odore fœtor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio. Et mœrebunt atque lugebunt portæ ejus, et desolata in terra sedebit. Hæc dicit.

¶ *In Laudibus A.* 1. Ecce veniet Dñs princeps regum terræ: beati qui parati sunt occurrere illi. *Ps.* Miserere mei.

A. 2. Dum venerit filius hominis, putas inveniet fidem super terram. *Ps.* Verba mea auribus.

A. 3. Ecce jam venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terris. *Ps.* Deus Deus meus.

A. 4. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Ps.* Confitebor. *iiij.*

A. 5. Egredietur Dñs de loco sancto suo: veniet ut salvet populum suum. *Ps.* Laudate.

Cap. Ecce dies (p. 14).

Hym. Vox clara (p. 9).

℣. Vox clamantis (*ibid.*)

A. Egredietur virga de radice Jesse, et replebitur omnis terra gloria Dñi, et videbit omnis caro salutare Dei. *Ps.* Benedictus.

Oratio Dom. dicitur.

¶ *Ad Vesp. A.* Elevare, elevare; consurge Hierusalem; solve vincla colli tui, captiva filia Sion. *Ps.* Magnificat. *Vel A.* O. — *Oratio Dom.*

Feria iij. Lectio j.

Et apprehendent septem mulieres virum unum in illa die, dicentes: Panem nostrum comedemus,

Digitized by Google

et vestimentis nostris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum super nos; aufer opprobrium nostrum. Hæc dicit.

Lec. ij. In die illa erit germen Dñi in magnificentia; et gloria fructus terræ sublimis, et exultatio his qui salvati fuerint de Israël. Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion et residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem. Hæc dicit Dñs.

Lec. iij. Si abluerit Dñs sordem filiarum Sion, et sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii et spiritu ardoris. Et creabit Dñs super omnem locum montis Sion et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte. Super omnem enim gloriam protectio, et tabernaculum erit in umbraculo diei ab æstu; et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia. Hæc dicit.

[¶ *Ante Laudes* ℣. Emitte (p. 8).]

In Laudibus A. 1. Ecce Dñs noster cum virtute veniet; et ipse conteret jugum captivitatis nostræ. *Ps.* Miserere. *A.* 2. Emitte Agnum Dñe dominatorem terræ: de petra deserti ad montem filiæ Sion. *Ps.* Judica. *A.* 3. Ut cognoscamus Dñe in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. *Ps.* Deus Deus meus. *A.* 4. Da mercedem Dñe sustinentibus te; ut prophetæ tui fideles inveniantur. *Ps.* Ego dixi. *A.* 5. Lex per Moysen data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est. *Ps.* Laudate Dñm.

Cap. Ecce dies (p. 14). *Hym.* Vox clara (p. 9). ℣. Vox clamantis in deserto (*ibid.*)

A. Tu Bethlem terra Juda non eris minima; ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israël. *Ps.* Benedictus Dñs.

¶ *Ad Vesperas A.* Erumpant montes jocunditatem et colles justitiam; quia lux mundi Dñs cum potentia venit. *Ps.* Magnificat. *Vel A.* O.

FERIA IIII *quatuor temporum. Inv.* Prope est jam Dñs: Venite adoremus. *Ps.* Venite. *Hoc inv. dicitur hac die, et in vj feria et in sabbato sequenti.*

Hym. Verbum supernum prodiens (p. 4).

Super noct. A. Avertet Dñs. *Ps.* Dixit insipiens. [*V. Psalt.*]

Versus dicuntur per ordinem de Dominica.

Euangelium Secundum Lucam. [V. p. 7.] *Cap. j. C.*

IN illo tempore, Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth; ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen virginis Maria. Et reliqua.

Homelia venerabilis Bedæ presbyteri.

Lec. j. Exordium nostræ redemptionis, fratres charissimi, hodierna nobis sancti euangelii lectio commendat; quæ angelum de cœlo a Deo missum narrat ad virginem, ut novam in carne nativitatem Filii Dei prædicaret; per quam nos abjecta vetustate noxia renovari, atque inter filios Dei computari possimus. Tu autem Dñe miserere nostri. ℟. 1. Clama in fortitudine, qui annuntias pacem in Hierusalem. Dic civitatibus Judæ et habitatoribus Sion, Ecce Deus noster quem expectabamus adveniet. ℣. Super montem excelsum ascende, tu qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam. Dic.

Lec. ij. Ut ergo ad promissæ salutis mereamur dona pertingere, primordium ejus intenta curemus cordis aure percipere. Missus est (inquit) angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph. Tu autem Dñe. ℟. 2. Orietur stella ex Jacob; et exurget homo de Israël; et confringet omnes

Digitized by Google

duces alienigenarum. Et erit omnis terra possessio ejus. ℣. Et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient ei. Et erit.

Lec. iij. Aptum profecto humanæ restaurationis principium fuit ut angelus a Deo mitteretur ad virginem partu consecrandam divino; quia prima perditionis humanæ fuit causa cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam. Immo ipse in serpente diabolus veniebat; qui genus humanum deceptis primis parentibus, immortalitatis gloria nudaret. Quia ergo mors intravit per feminam, apte redit et vita per feminam. Illa a diabolo seducta per serpentem viro gustum necis obtulit; hæc edocta a Deo per angelum, mundo auctorem salutis edidit. [Tu autem.] ℟3. Egredietur Dñs, et præliabitur contra gentes. Et stabunt pedes ejus super montes olivarum. Ad orientem. ℣. Et elevabitur super omnes colles; et fluent ad eum omnes gentes. Et. Gloria. Ad orientem.

[¶ *Ante Laudes*] ℣. Emitte (p. 8).

In Laudibus A. 1. Rorate cœli desuper; et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem. *Ps.* Miserere. *A.* 2. Prophetæ prædicaverunt nasci Salvatorem de Virgine Maria. *Ps.* Te decet. *A.* 3. Spiritus Dñi super me: euangelizare pauperibus misit me. *Ps.* Deus Deus meus. *A.* 4. Ecce veniet Dñs, ut sedeat cum principibus; et solium gloriæ teneat. *Ps.* Exultavit. *A.* 5. Annuntiate populis et dicite, Ecce Deus salvator noster veniet. *Ps.* Laudate.

Cap. Ecce dies veniunt (p. 14). *Hym.* Vox clara (p. 9).

℣. Vox clamantis *(ibid.)*

A. Missus est angelus Gabriel ad Mariam virginem desponsatam Joseph. *Ps.* Benedictus.

¶ *Non dicantur preces ad has matutinas, nec in vj feria, nec in sabb.: tamen ad omnes alias horas dicantur preces cum prostratione more solito.* *Oratio.*

PRÆSTA quæsumus, omnipotens Deus, ut redemptionis nostræ ventura solennitas, et præsentis vitæ nobis subsidia conferat; et æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per eundem Dñm.

Hæc oratio dicitur ad has matutinas tantum. Ad omnes alias horas dicatur oratio Dom.

Mem. de S. Maria: A. Spiritus Sanctus: *et de omnibus Sanctis ut in aliis feriis.*

¶ *Mat. de S. Maria dicuntur in conventu ut supra dictum est.*

¶ *Ad Vesperas A.* Quomodo fiet istud, angele Dei? quia virum in concipiendo non pertuli. Audi Maria Virgo Christi: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Ps.* Magn. *vel A.* O. *Ps.* Magn.

FERIA V *ad Mat. Inv.* Regem venturum (p. 14). *Ps.* Venite. *Hym.* Verbum sup. (p. 4). *Añæ et pss. de noct. illius feriæ: ℣℣, lectt. et ℟ia per ordinem dicuntur. Lect. j.*

CANTABO dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam, et lapides elegit ex illa; et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular extruxit in ea. Hæc dicit.

Lect. ij. Et expectavit ut faceret uvas; et fecit labruscas. Nunc ergo habitatores Hierusalem et viri Juda, judicate inter me et inter vineam meam. Hæc dicit.

Lect. iij. Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, et erit in direptionem. [Hæc d.]

[¶ *Ante Laudes* ℣. Emitte (p. 8).]

In Laudibus A. 1. De Sion veniet

Digitized by Google

omnipotens Dñs ut salvum faciat populum suum *Ps.* Miserere. *A.* 2. Convertere Dñe aliquantulum, et ne tardes venire ad servos tuos. *Ps.* Domine refugium. *A.* 3. De Sion veniet qui regnaturus est Dñs, Emmanuel magnum nomen ejus. *Ps.* Deus Deus meus. *A.* 4. Ecce Deus noster, et honorabo eum; Deus patris mei, et exaltabo eum. *Ps.* Cantemus Dño. *A.* 5. Dñs Legifer noster, Dñs Rex noster: ipse veniet et salvabit nos. *Ps.* Laudate Dñm.

Cap. Ecce dies (p. 14). *Hym.* Vox clara (p. 9). ℣. Vox clamantis (*ib.*)

A. Vigilate animo: in proximo est Dñs Deus noster. *Ps.* Benedictus Dominus.

Oratio Dominicalis.

¶ *Ad Vesp. A.* Lætamini cum Hierusalem, et exultate in ea, omnes qui diligitis eam in æternum. *Ps.* Magnificat. *Vel A.* Orietur Dñs.

FERIA VI. *Inv.* Prope est jam Dñs: Venite adoremus. *Ps.* Venite. *Hym.* Verbum supernum (p. 4). *Añæ et psalmi de noct. illius feriæ. Versus per ordinem dicantur.*

Secundam Lucam. [V. p. 7.] *Cap. j. D.*

IN illo tempore, Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Judæ, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

Homelia venerabilis Bedæ presbyteri.

Lect. j. Lectio quam audivimus sancti euangelii, et redemptionis nostræ nobis semper veneranda primordia prædicat; et salutaria nobis semper imitandæ humilitatis remedia commendat. Nam quia peste superbiæ attactum genus humanum perierat, decebat ut medicamentum humilitatis quo sanaretur, prima mox incipientis salutis tempora prætenderent. [Tu *etc.*] ℟. 1. Præcursor pro nobis ingreditur Agnus sine macula: secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus est in æternum et in sæculum sæculi. ℣. Ipse est Rex justitiæ, cujus generatio non habet finem. Pontifex.

Lect. ij. Et quia per temeritatem seductæ mulieris mors in mundum introierat, congruum fuit ut ad indicium vitæ revertentis, mulieres devotæ humilitatis invicem ac pietatis sese prævenirent obsequiis. Prior ergo nobis beata Dei genitrix ad sublimitatem patriæ cœlestis iter ostendit humilitatis; non minus religionis quam castitatis exemplo venerabilis. [Tu *etc.*] ℟. 2. Modo veniet Dominator Dñs. Et nomen ejus Emmanuel vocabitur. ℣. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis. Et nomen.

Lect. iij. Siquidem gloria virginei et intemerati corporis, qualis sit vita supernæ civitatis ad quam suspiramus insinuat; ubi neque nubent neque nubentur; sed sunt sicut angeli Dei in cœlis. Ac virtute mentis eximia, quà ad hanc pertingere debeamus indicat. [Tu *etc.*] ℟. 3. Videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum. Et vocabitur tibi nomen novum quod os Dñi nominavit. ℣. Et eris corona gloriæ in manu Dñi, et diadema regni in manu Dei tui. Et vocabitur. Gloria. Et.

[¶ *Ante Laudes*] ℣. Emitte (p. 8).

In Laudibus A. 1. Constantes estote: videbitis auxilium Dñi super vos. *Ps.* Miserere. *A.* 2. Ad te Dñe levavi animam meam: veni et eripe me Dñe: ad te confugi. *Ps.* Dñe exaudi. *ij. A.* 3. Veni Dñe et noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ Israël. *Ps.* Deus Deus meus. *A.* 4. Deus a Libano veniet; et splendor ejus sicut lumen erit. *Ps.* Dñe audivi. *A.* 5. Ego autem ad Dñm aspiciam, et expectabo Deum Salvatorem meum. *Ps.* Laudate.

Cap. Ecce dies (p. 14).

Digitized by Google

Hym. Vox clara (p. 9).

℣. Vox clamantis (*ibid.*).

A. Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo, Alleluja. *Ps.* Benedictus Dñs. *Oratio.*

EXCITA quæsumus Dñe potentiam tuam et veni; ut hi qui in tua pietate confidunt, ab omni citius adversitate liberentur. Qui vivis.

Hæc oratio dicatur ad has mat. tantum. Ad alias horas dicitur oratio Dominicalis.

¶ *Ad Vesp. A.* O. *Ps.* Magn. *Oratio Dom. dicitur.*

¶ *Post has vesp. hujus feriæ non potest incipi A.* O sapientia.

SABBATO *Inv.* Prope (p. 29). *Ps.* Venite. *Hym.* Verbum supernum (p. 4). *Añæ et pss. feriales et versus per ordinem dicantur.*

Secundum Lucam. [V. p. 7.] *Cap. iij. A.*

ANNO quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha; factum est verbum Dñi super Johannem Zachariæ filium in deserto. Et reliqua.

Homelia B. Gregorii Papæ. *Lec. j.*

Redemptoris præcursor quo tempore verbum prædicationis acceperit, memorato Romanæ reipublicæ principe et Judææ regibus designatur, cum dicitur, Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha; factum est verbum Dñi super Johannem Zachariæ filium in deserto. ℟ 1. Emitte Agnum Dñe dominatorem terræ. De petra deserti ad montem filiæ Sion. ℣. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem. De petra.

Lect. ij. Quia enim illum prædicare veniebat qui et ex Judæa quosdam et multos ex gentibus redempturus erat, per regem gentium et principes Judæorum ejus prædicationis tempora designantur. Quia autem gentilitas colligenda erat, et Judæa pro culpa perfidiæ dispergenda, ipsa quoque descriptio terreni principatus ostendit; quoniam et in Romana republica unus princeps præfuisse describitur, et Judææ regno per quartam partem plurimi principabantur. Voce etenim nostri Redemptoris dicitur, Omne regnum in seipsum divisum desolabitur. ℟ 2. Germinaverunt campi eremi germen odoris Israël. Quia ecce Deus noster cum virtute veniet. Et splendor ejus cum eo. ℣. Ex Sion species decoris ejus; Deus noster manifeste veniet. Et splendor.

Lect. iij. Liquet ergo quod ad finem regni Judæa pervenerat; quæ tot regibus divisa subjacebat. Apte quoque non solum quibus regibus, sed quibus etiam sacerdotibus actum sit demonstratur; ut quia illum Johannes Baptista prædicaret, qui simul Rex et Sacerdos existeret, Lucas euangelista prædicationis ejus tempora per regnum et sacerdotium designavit. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. ℟ 3. Radix Jesse qui exurget judicare gentes : in eum gentes sperabunt. Et erit nomen ejus benedictum in sæcula. ℣. Super quem continebunt reges os suum : ipsum gentes deprecabuntur. Et erit. Gloria. Et erit.

[¶ *Ante Laudes*] ℣. Emitte (p. 8).

In Laudibus A. 1. Veniet Dñs in potestate magna; et videbit eum

Digitized by Google

omnis caro, et salvabit nos. *Ps.* Miserere. *A.* 2. Intuemini quantus sit gloriosus iste qui ingreditur ad salvandos populos. *Ps.* Bonum est confiteri. *A.* 3. Veniet iterum angelus tuus, et docebit nos vias tuas Dñe. *Ps.* Deus Deus meus. *A.* 4. Expectetur sicut pluvia eloquium Dñi; et descendet sicut ros super nos Deus noster. *Ps.* Audite cœli. *A.* 5. Paratus esto Israël in occursum Dñi; quoniam venit. *Ps.* Laudate.

Cap. Ecce dies (p. 14). *Hym.* Vox clara (p. 9). ℣. Vox clamantis (*ib.*).

A. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur; et videbit omnis caro salutare Dei. *Ps.* Benedictus.

Oratio.

DEUS, qui conspicis quia ex nostra pravitate affligimur; concede propitius, ut ex tua visitatione consolemur. Qui vivis et regnas.

Hæc oratio dicitur ad has mat. tantum. Ad omnes alias horas dicitur or. Dom. Sed si aliquod festum ix lect. in aliqua prædictarum feriarum istius hebd. contigerit, nihilominus ordo ferialis de laudibus et A. super Ps. Bened. *et Ps.* Magn. *servabitur in sequentibus feriis: et tunc A. super laudes, et propria ℟ia illius feriæ, scil. in qua festum contigerit, in illo anno non dicuntur. Versus tamen ante lectiones per ordinem dicantur.*

[PICA DE DOMINICA QUARTA ADVENTUS ETC.]

LIT. DOM. A.—Totum serv. de Dom. usque ad ℣ tertii noct.: deinde totum serv. de vigilia. Inv. *Hodie scietis.* Ad mat. mem. de Dom. cum missa Dom. in capitulo, cum prima et horis sicut notatum est in vig. absque psalmo *Deus Deus meus respice.* — DOM. infra oct. de S. Silvestro; et mediæ lect. de Nativ. cum ℣ et ℟iis de ij noct. — DOM. infra oct. Epiph. de serv. oct. et mem. de martt.

LIT. DOM. B.—Totum serv. de Dom.—Fer. 2, 4, et 6, de commemorationibus. — Fer. 3 de feria: missa de vig. S. Thomæ. — DOM. infra oct. de Nativ. Christi. Sabb. de S. Silvestro: mediæ lect. de Nativ. Christi cum ℣ et ℟iis de ij noct.

LIT. DOM. C.—Totum serv. de Dom. Ad j vesp. ℟ *Non auferetur.*—Fer. 2 de fer. usque ad missam, quæ erit de vigilia. ℟ia historiæ Dominicalis. — Fer. 3 de apost. Ad ij vesp. sol. mem. de fest. loci, de Adv. et de S. Maria cum ant. *Beata es.* — Fer. 4 et 5 de commem. — Fer. 6 totum serv. de vig. Nativ.

LIT. DOM. D.—Totum serv. de Dom.: nihil de vig. nisi mem. tantum ad altam missam. Sec. vesp. erunt de S. Thoma, et sol. mem. de Dom. et de S. Maria. — Fer. 3 et 4 de commem. — Fer. 5 de vig. — DOM. infra oct. de S. Johanne.

LIT. DOM. E. — Totum serv. de Dom. et festum differatur in crastinum, nisi fuerit festum loci; et ij vesp. erunt de apost. et sol. mem. de Dom. et de S. Maria. Ad ij vesp. de apost. fiat sol. mem. de S. Maria cum ant. *Sub tuam.* Deinde sol. mem. de Adv. — Fer. 3 de S. Maria.

LIT. DOM. F.—De servitio Dom. Ad j vesp. quæ erunt de apost. fiat mem. de Dom. et de S. Maria solennis cum ant. *Beata es.* Vesp. in Dom. erunt de Dom. et mem. de S. Maria cum ant. *Sub tuam.* — Fer. 2 de S. Maria. — DOM. infra oct. Nat. Dñi de S. Thoma. — DOM. in vig. Epiph. totum serv. de vig. et mediæ lect. de S. Thoma.

LIT. DOM. G.—De serv. Dom.—DOM. infra oct. Nat. Dñi de Nat. Dñi. Vesp. erunt de S. Silvestro cum memoriis ordine suo.—Fer. 2 de S. Silvestro: mediæ

Digitized by Google

lect. de Nativ. ℣℣ et ℟ia de j noct.—Dom. I post Circuncisionem dicitur de Epiph. Dñi. Fer. 4 legatur expositio euang. scil. de Dom. infra oct.

Dominica quarta Adventus Dñi.

Ad Vesp. A. Benedictus. *Ps. Ipsum. Cap. Esajæ xxviij. D.*

ECCE mittam in fundamentis Sion lapidem; lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum : qui crediderit in eum non confundetur. [Deo gratias.]

℟ (3.) Non auferetur [*ut infra*]. *Hym.* Conditor (p. 2). ℣. Rorate (*ib.*)

Añ O. *Ps.* Magn. *Oratio.*

EXCITA quæsumus Dñe potentiam tuam, et veni, et magna nobis virtute succurre; ut per auxilium gratiæ tuæ quod peccata nostra præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Qui [cum Deo Patre *etc.*]

Mem. de S. Maria.

¶ *Ad Mat. Inv.* Præstolantes Redemptorem, levate capita vestra : quoniam prope est redemptio vestra. *Ps.* Venite.

Hym. añæ, pss. et versus per ordinem sicut in j Dom. Adv. Dñi.

Lectio j. [Esa. v. 5.]

DIRUAM maceriam vineæ meæ, et erit in conculcationem; et ponam eam desertam. Non putabitur, neque fodietur. Et ascendent super eam vepres et spinæ; et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. Hæc. ℟ 1. Canite tuba in Sion : vocate gentes : annuntiate populis, et dicite, Ecce Deus Salvator noster adveniet. ℣. Annuntiate in finibus terræ et in insulis quæ procul sunt dicite. Ecce.

Lect. ij. Vinea enim Dñi exercituum domus Israël est, et viri Juda germen ejus delectabile. Et expectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas; et justitiam, et ecce clamor. [Hæc.] ℟ 2. Octava decima die decimi mensis jejunabitis dicit Dñs, et mittam vobis Salvatorem et propugnatorem pro vobis; qui vos præcedat, et introducat in terram quam juravi patribus vestris. ℣. Ego enim sum Dñs Deus vester; qui eduxi vos de terra Ægypti. In terram.

Lect. iij. Væ qui conjungitis domum ad domum; et agrum agro copulatis, usque ad terminum loci. Nunquid habitabitis soli vos in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dñs exercituum : nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes, pulchræ, et absque habitatore. Decem enim jugera vinearum faciunt lagunculam unam, et triginta modii sementis facient modios tres. Hæc dicit. ℟ 3. Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus; donec veniat qui mittendus est. Et ipse erit expectatio gentium. ℣. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. Et ipse. Gloria. Et ipse.

¶ *In ij noct. fiant mediæ lect. de sermone B. Augustini episcopi.*

Lectio quarta.

VOS (inquam) convenio, ô Judæi, qui usque in hodiernum diem negastis Filium Dei. Nonne vox vestra est illa quando eum videbatis miracula facientem, atque tentantes dicebatis : Quousque animas nostras suspendis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Ille autem vos ad considerationem miraculorum mittebat dicens : Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me; ut Christo testimonium dicerent facta non verba. Vos autem non agnoscentes Salvatorem qui operabatur salutem in medio terræ, adjicientes in malo dixistis : Tu de teipso testimonium dicis : testimonium tuum non est verum. Tu autem. ℟ 4. Me oportet minui, illum autem crescere. Qui post me venit, ante me factus est : cujus non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere. ℣. Hoc est testimonium quod perhibuit Johannes. Qui.

Lec. v. Sed ad hæc quid ille vobis

Digitized by Google

responderit advertere noluistis. Nonne in lege vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum sit? Prævaricatores legis, intendite legem. Testimonium quæritis de Christo. In lege vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum sit? Procedant ex lege, non tantum duo, sed etiam plures testes Christi, et convincant auditores legis nec factores. Dic Esaja testimonium de Christo. Ecce (inquit) virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus. ℟. Ecce jam venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terris factum de virgine, factum sub lege. Ut eos qui sub lege erant redimeret. ℣. Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Deus, Filium suum misit in terris, in similitudinem carnis peccati. Ut.

Lec. vj. Accedat et alius testis. Dic et tu Hieremia testimonium de Christo. Hic est (inquit) Deus noster, et non æstimabitur alius absque illo: qui invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israël dilecto sibi. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Ecce duo testes idonei ex lege vestra: ex quorum testimoniis non sunt compuncta corda vestra: sed alii atque alii ex lege Christi testes introducantur; ut frontes durissimæ inimicorum conterantur. Veniat et ille Daniel sanctus, juvenis quidem ætate, senior vero scientia ac mansuetudine, et convincat omnes falsos testes. Sicut convicit seniores impudicos, ita suo testimonio Christi conterat inimicos. Dic sancte Daniel, dic de Christo quod nôsti. Cum venerit (inquit) Sanctus sanctorum, cessabit unctio vestra. ℟. 6. Virgo Israël, revertere in civitates tuas: usquequo dolens averteris? generabis Dñm Salvatorem oblationem novam in terra. Ambulabunt homines in salvationem. ℣. In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans. Ambulabunt. Gloria. Ambulabunt.

℣ *In iij. noct. euangelium* Secundum Johannem. [V. p. 7.] *Cap. j. C.* In illo tempore, Miserunt Judæi ab Hierosolymis sacerdotes et Levitas ad Johannem, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, et non negavit; et confessus est quia non sum ego Christus. Et reliqua.

Homelia B. Gregorii Papæ.

Lec. vij. Ex hujus lectionis verbis, nobis, fratres charissimi, Johannis humilitas commendatur: qui cum tantæ virtutis esset ut Christus credi potuisset, elegit solide subsistere in se; ne humana opinione raperetur inaniter super se. Nam confessus est, et non negavit: et confessus est, quia non sum ego Christus. Sed quia dixit Non sum, negavit plane quod non erat; sed non negavit quod erat; ut veritatem loquens ejus membrum fieret, cujus nomen sibi fallaciter non usurparet. Tu autem. ℟. 7. Juravi (dicit Dñs) ut ultra jam non irascar super terram: montes enim et colles suscipient justitiam meam. Et testamentum pacis erit in Hierusalem. ℣. Juxta est laus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur. Et testamentum.

Lec. viij. Cum ergo non vult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi. Quia dum infirmitatem suam studuit humiliter agnoscere, illius celsitudinem meruit veraciter obtinere. Sed cum ex lectione alia Redemptoris nostri sententia ad mentem reducitur, ex hujus nobis lectionis verbis quæstio valde implexa generatur. Alio quippe in loco inquisitus a discipulis Dñs de Heliæ adventu, respondit: Helias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Et si vultis scire, Johannes

Digitized by Google

ipse est Helias. ℟. 8. Intuemini quantus sit iste qui ingreditur ad salvandas gentes: ipse est rex justitiæ. Cujus generatio non habet finem. ℣. Et dominabitur a mari usque ad mare. Cujus.

Lec. ix. Requisitus autem Johannes dicit, Non sum Helias. Quid est hoc, fratres charissimi: quia quod veritas affirmat, hoc propheta veritatis negat? Valde nanque inter se diversa sunt Ipse est, et Non sum. Quomodo ergo hic propheta veritatis est, si ejusdem veritatis sermonibus concors non est? Sed si subtiliter veritas ista requiritur, hoc quod inter se contrarium sonuit, quomodo contrarium non sit invenitur. Ad Zachariam nanque de Johannis promissione angelus dixit: Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Heliæ. Qui idcirco venturus in spiritu et virtute Heliæ dicitur, quia sicut Helias secundum Dñi adventum præveniet, ita Johannes prævenit primum. Sicut ille præcursor venturus est judicis, ita iste præcursor factus est Redemptoris. [Tu.] ℟. 9. Montes Israël, ramos vestros expandite, et florete, et fructus facite. Prope est ut veniat dies Dñi. ℣. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem. Prope. Gloria. Prope.

[¶ *Ante Laudes*] ℣. Emitte (p. 8).

In Laudibus A. 1. Canite tuba in Sion, quia prope est dies Dñi: ecce veniet ad salvandum nos, Alleluja, all'a. *Ps.* Dñs regnavit. *A.* 2. Ecce veniet desideratus cunctis gentibus, et replebitur gloria domus Dñi, Alleluja. *Ps.* Jubilate. *A.* 3. Erunt prava in directa, et aspera in vias planas: veni Dñe et noli tardare, Alleluja. *Ps.* Deus Deus meus. *A.* 4. Dñs veniet, occurrite illi dicentes: Magnum principium, et regni ejus non erit finis: Deus fortis, Dominator, Princeps pacis, Alleluja, all'a. *Ps.* Benedicite. *A.* 5. Omnipotens Sermo tuus, Dñe, a regalibus sedibus veniet, Alleluja. *Ps.* Laudate Dñm de cœlis.

Cap. Phil. iiij. A.

GAUDETE in Dño semper: iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dñs prope est. [Deo gratias.]

Hym. Vox clara (p. 9),

℣. Vox clamantis (*ib.*).

A. Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Dñi: sicut dixit Esajas propheta. *Ps.* Benedictus. *Or.* Excita (p. 34). *Mem. de S. Maria.*

¶ *Ad Primam A.* Canite tuba [*ut supra*]. *Ps.* Deus Deus meus respice.

¶ *Ad Tertiam A.* Ecce veniet [*ut supra*]. *Ps.* Legem pone. *Cap.* Gaudete in Dño (*ib.*)

¶ ℟*ia et versus sicut in j Dom. Adv. Dñi ad omnes horas dicuntur.*

¶ *Ad Sextam A.* Erunt [*ut supra*]. *Ps.* Defecit. *Cap. Phil. iiij. A.*

NIHIL solliciti sitis; sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. [Deo gr.]

¶ *Ad Nonam A.* Omnipotens Sermo [*ut supra*]. *Ps.* Mirabilia.

Cap. Phil. iiij. B.

PAX Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda et corpora vestra, et intelligentias vestras. [Deo gratias.]

¶ *Ad Vesp. A.* Sede a dextris. *Ps.* Dixit Dñs. *Cap.* Gaudete in Dño [*ut supra*]. ℟. Festina, ne tardaveris. *quære hoc* ℟ *ante* O. (p. 38.) *Hym.* Conditor. (p. 2). ℣. Rorate cœli (*ib.*)

A. O. *Ps.* Magnificat. *Or.* Excita quæsumus (p. 34).

Mem. de S. Maria ut supra.

¶ *Quotidie per hebd. usque ad vig. Natalis Dñi dicuntur* ℣ *et* ℟*ia secundum ordinem nocturnorum Dominicalis historiæ, quando de feria agitur.*

Lectiones per hebdomadam.

Lectio j. Esajæ v. C.

VÆ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum

Digitized by Google

usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum, in conviviis vestris; et opus Dñi non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam; et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino. Hæc dicit.

Lec. ij. Et descendent fortes ejus, et populus ejus, et sublimes gloriosique ejus ad eum. Et incurvabitur homo, et humiliabitur vir; et oculi sublimium deprimentur. Et exaltabitur Dñs exercituum in judicio; et Deus Sanctus sanctificabitur in justitia. Et pascentur agni juxta ordinem suum; et deserta in ubertatem versa advenæ comedent. Hæc d. D.

Lec. iij. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis : et quasi vinculum plaustri peccatum. Qui dicitis, Festinet et cito veniat opus ejus ut videamus : et appropiet et veniat consilium Sancti Israël, et sciemus illud. Hæc dicit Dñs.

Aliæ lectiones per hebdomadam.

Lec. j. Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. [Hæc.]

Lec. ij. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo. Propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit, sic radix eorum sicut favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet. [Hæc dicit].

Lec. iij. Abjecerunt enim legem Dñi exercituum : et eloquium Sancti Israël blasphemaverunt. Ideo iratus est furor Dñi in populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum. Et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio plateārum. In his omnibus non est aversus furor ejus; sed adhuc manus ejus extenta. Hæc dicit Dñs.

¶ *Fer. ij.* [*Ad mat.*] *A.* Dicit Dñs, Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum, Alleluja. *Ps.* Benedictus. *Ad vesp. A. O. Ps.* Magnificat.

¶ *Fer. iij. Ad mat. A.* Consurge, consurge : induere fortitudinem, brachium Dñi. *Ps.* Bened. *Ad vesp. A. O. Ps.* Magn.

¶ *Si vigilia S. Thomæ apostoli in Dñica, vel in iiij vel in v feria vel in sabb. iiij temporum evenerit, nihil fiat de vig. nisi tantum mem. ad missam, sed in quacunque alia feria contigerit, fiat missa de vig.*

Si festum S. Thomæ apost. in vj feria vel in sabb. iiij temp. evenerit, nihil ad mat. de jejunio fiat nisi tantum mem. Sed post iij dicitur missa de apost. Post vj vero missa fiat solennis de jejunio, utraque ad principale altare in choro post nonam.

Si festum S. Thomæ apostoli in Dom. evenerit, differatur in crast. ut inferius patebit in loco suo.

Fer. iiij. A. Ponent Dño gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt; quia ecce veniet, et non tardabit. *Ps.* Bened. *Ad vesp. A. O. Ps.* Magn.

Fer. v. A. Consolamini, consolamini, populo meus, dicit Dñs Deus noster. *Ps.* Bened. *Ad vesp. A. O. Ps.* Magn.

Fer. vj. A. Dies Dñi sicut fur veniet in nocte : ita et vos estote parati; quia qua hora non putatis filius hominis veniet. *Ps.* Bened. *Ad vesp. A. O. Ps.* Magn.

¶ *Septimo decimo Cal. Jan. semper incipitur A.* O sapientia. *Et hoc sequens* ℟. Festina *semper dicitur*

Digitized by Google

ad vesp. ad initium hujus añæ O sap. *nisi forte in sabb. inchoetur : tunc dicatur* ℟. *de hist. Dom. viz.* ℟. Qui venturus (p. 26). *Postea* ℟. Festina *dicitur quotidie ad vesp. quando de Adv. agitur, usque ad vig. Natalis Dñi, nisi in sabb. iiij Dñicæ.*

℟. Festina ne tardaveris Dñe : Et libera populum tuum. ℣. Veni Dñe, et noli tardare : relaxa facinora plebi tuæ. Et. Gloria. *Iterum a choro reincipiatur* ℟. Festina.

Hym. Conditor (p. 2).

℣. Rorate (*ibid.*).

Excellentior persona quæ in choro præsens fuerit incipiat A. 1. O sapientia quæ ex ore Altissimi prodisti, attingens a fine usque ad finem, fortiter suaviterque disponens omnia; veni ad docendum nos viam prudentiæ. *Ps.* Magnificat.

¶ *Nullæ deinceps fiant preces neque prostrationes ad vesp. Sed ad compl. et ad omnes alias horas fiant preces cum prostratione more solito.*

Mem. de S. Maria ad istud primum O sap. *dicitur : A.* Ave Maria. *Ad alias vero vesp. quando de feria agitur, dicitur ad mem. de S. Maria A.* Ne timeas *usque ad vig. Nativ. Dñi.*

Ad istud primum O. *nulla fiat mem. de omnibus Sanctis; sed abhinc fiant memoriæ de S. Maria et de omnibus Sanctis sicut in aliis feriis usque ad vig. Nativ. Dñi tam ad vesp. quam ad mat.*

A. 2. O Adonai, et dux domus Israël, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, et in Sina legem dedisti; veni ad redimendum nos in brachio extento. *Ps.* Magn.

A. 3. O radix Jesse qui stas in signum populorum; super quem continebunt reges os suum, quem gentes deprecabuntur; veni ad liberandum nos : jam noli tardare. *Ps.* Magn.

A. 4. O clavis David, et sceptrum domus Israël; qui aperis et nemo claudit, claudis et nemo aperit; veni et educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris et umbra mortis. *Ps.* Magn.

A. 5. O oriens splendor lucis æternæ et sol justitiæ; veni et illumina sedentes in tenebris et umbra mortis. *Ps.* Magn.

A. 6. O rex gentium et desideratus earum, lapisque angularis qui facis utraque unum; veni, salva hominem quem de limo formasti. *Ps.* Magn.

A. 7. O Emmanuel, Rex et Legifer noster, expectatio gentium et salvator earum; veni ad salvandum nos, Dñe Deus noster. *Ps.* Magn.

A. 8. O Virgo virginum, quomodo fiet istud? quia nec primam similem visa es nec habere sequentem. Filiæ Hierusalem, quid me admiramini? divinum est mysterium hoc quod cernitis. *Ps.* Magn.

A. 9. O Thoma Didyme, per Christum quem meruisti tangere, te precibus rogamus altisonis : succurre nobis miseris, ne damnemur cum impiis in adventu Judicis. *Ps.* Magnificat.

Hæc sola A. O Thoma *dicitur ad utrasque vesp. de S. Thoma apost. super Ps.* Magn.

Mem. de Adv. in die S. Thomæ apost. : Ad mat. A. Nolite timere : quinta enim die veniet ad nos Dñs Deus noster. *Quando autem festum S. Thomæ apost. differtur in ij feriam, tunc eo anno hæc añа* Nolite timere *omnino prætermittatur, et añа ferialis, scil.* Dicit Dñs. *ad mem. de Adv. dicatur.*

Digitized by Google

o Catholic Church

Breviarii Sarisburiensis

FASCICULUS SECUNDUS

SANCTORUM SANCTARUMQUE COMMUNIA,

ET

BEATISSIMAE VIRGINIS OFFICIA,

TAM QUOTIDIANA QUAM HEBDOMADALIA,

UT IN Salisbury-Eng

Provinciae Cantuariensis

DIOECESIBUS PLERISQUE

DICEBANTUR,

CUM

ALIIS QUIBUSDAM OFFICII DIVINI PATRIBUS

IN EADEM PROVINCIA

DICENDIS,

EX FONTIBUS ANTIQUIS INTER SE COLLATIS

EXSCRIPSIT,

ET ANNOTATIONE PERPETUA

ILLUSTRAVIT,

FASCICULI PRIORIS EDITOR

CAROLUS SEAGER, A. M.

LONDINI:
APUD WHITTAKER ET SOC.
AVE-MARIA LANE.
MDCCCLV.

Digitized by Google

C 9712.4.

HARVARD COLLEGE
MAR 28 1912
LIBRARY

Treat fund

EXCUSUS AUGUSTAE TREVIRORUM
IN OFFICINA
MARGARETAE LEISTENSCHNEIDER.

Digitized by Google

[§ 1.) COMMUNE SANCTORUM ET SANCTARUM.]

IN NATALI UNIUS APOSTOLI, SIVE [UNIUS] EUANGELISTÆ, VEL PLURIMORUM APOSTOLORUM, PASCHALIS TEMPORIS; VIDELICET, AB OCTAVIS PASCHÆ USQUE AD PENTECOSTEN.

¶ *In Tempore Paschali,*

AD PRIMAS VESPERAS, *super Psalmos Feriales, Antiphona,*

LUX perpetua lucebit Sanctis tuis, et æternitas temporum, alleluja. *minor* [*v. Annotationes*].

Psalmi Feriales.

Capitula ad utrasque Vesperas, et ad Matutinas, et ad alias Horas, dicuntur propria si habeantur; sin autem, dicuntur de Communi Apostolorum reliqui temporis.

Responsorium. Candidi facti sunt Nazaræi ejus, alleluja: splendorem Deo dederunt, all'a. Et sicut lac coagulati sunt. All'a, all'a. *Versus.* In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Et sicut lac [coagulati sunt]. All'a, all'a. Gloria Patri, et Filio, [et Spiritui Sancto.] All'a, [all'a.]

§ 2.) *Hymnus.*

TRISTES erant Apostoli
De nece sui Domini,
Quem pœna mortis crudeli
Servi damnarant impii.

Quæsumus, Auctor omnium,
In hoc Paschali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum Patre et Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Per Octavas Ascensionis Dñi, et deinceps usque ad Pentecosten, dicuntur hi duo versus in fine istius Hymni.

Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper sæcula.

Gloria tibi, Domine,
Qui scandis supra sydera,
Cum Patre et Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

§ 3.) *Versiculus.* Gavisi sunt Discipuli, *Responsio.* Viso Domino, Alleluja.

Ant. Filiæ Hjerusalem, venite et videte Martyrem cum corona qua coronavit Eum Dominus in die solennitatis et lætitiæ, alleluja, all'a. *Psalmus,* Magnificat (p. 99).

¶ *Sciendum est quod haec Ant.* Filiæ Hjerusalem *et* ℟ Filiæ Hjerusalem (§ 8) *dicuntur in Paschali Tempore tam in festo Unius Martyris quam Plurimorum Martyrum, et tam in festo Unius Confessoris quam Plurimorum Confessorum; et semper cum his verbis,* Filiæ Hjerusalem, venite et videte Martyrem: *quia hoc dictum* Martyrem *pertinet ad Christum passum* [*v. Annot*].

Oratio propria, vel de Communi reliqui temporis.

COMPLETORIUM *Paschale non mutatur.*

§ 4.) AD MATUTINAS, *Invitatorium:* Exultent in Domino Sancti: Alleluja. *Ps.* Venite (p. 122).

Digitized by Google

Hymnus: **Tristes erant** (§ 2).

Haec sola Añia super Psalmos dicitur. Ant. Tristitia vestra, alleluja, vertetur in gaudium, all'a.

Tres Psalmi dicuntur secundum ordinem Nocturnorum de Communi Apostolorum reliqui temporis; et hoc per Tempus Paschale; viz. non incipiendo a primo Nocturno in qualibet hebdomada, sed dicantur Psalmi secundum ordinem Noc[turnorum] heb-[domadis] sequen[tibus]. Eodem modo fiat de Martyribus et de ceteris Sanctis in prædicto tempore contingentibus.

℣. Gavisi sunt Discipuli. [℟. Viso Domino, all'a.]

Responsorium [*post primam Lectionem*]. Virtute magna reddebant Apostoli Testimonium Resurrectionis Jesu Christi Domini nostri; alleluja, all'a. *Versus.* Repleti quidem de Spiritu Sancto loquebantur cum fiducia Testimonium [Resurrectionis Jesu Christi Dñi nostri; all'a, all'a].

℟ [*post Lect.* 2]. Isti sunt agni novelli, qui annunciaverunt, all'a. Modo venerunt ad fontes: repleti sunt claritate; all'a, all'a. ℣. In conspectu Agni amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. Modo venerunt [ad fontes: repleti sunt claritate; all'a, all'a].

℟ [*post Lect.* 3]. Candidi facti sunt. *ut supra ad Vesperas.*

[§ 3.) *Ante Laudes*] *Versiculus.* Vox lætitiæ et exultationis, *Responsio.* In tabernaculis justorum, all'a.

In Laudibus, *Añia* 1.

Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium, alleluja; et sicut odor balsami erunt ante te, all'a. *Ps.* Dñs regnavit [p. 12: *v. Annot.*]

A. 2. Sancti et justi in Dño, gaudete, all'a: vos elegit Deus in hereditatem sibi, all'a. *Ps.* Jubilate (p. 12).

A. 3. In velamento clamant Sancti tui, Dñe; all'a, all'a, all'a. *Ps.* Deus, Deus meus (p. 12).

A. 4. Spiritus et animæ justorum, hymnum dicite Deo nostro; all'a, all'a. *Ps.* Benedicite (p. 13).

A. 5. In cœlestibus regnis Sanctorum est habitatio, [*In* L, *ut in Brev. Rom.*, Sanctorum habitatio est,] all'a; et in æternum requies eorum, all'a. *Ps.* Laudate (p. 13).

Cap. ut supra [*ad Vesp. dictum est*]. *Hymnus.*

CLARO Paschali gaudio
Sol mundo nitet radio;
Cum Christum jam Apostoli
Visu cernunt corporeo.

Ostensa sibi vulnera
In Christi carne fulgida:
Resurrexisse Dominum
Voce fatentur publica.

Rex Christe clementissime,
Tu corda nostra posside;
Ut tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.

Quæsumus, auctor omnium,
[*&c. ut in Vesp. I.*]

Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti [*&c. ut in Vesp. I*].

Per Octavas Ascensionis Dñi, et deinceps usque ad Pentecosten, dicuntur hi versus.

Tu esto nostrum gaudium,
[*&c. ut in Vesp. I.*]

Gloria tibi, Domine,
Qui scandis [*&c. ut in Vesp. I*].

℣. Gaudete justi in Domino. ℟. Rectos decet collaudatio, all'a.

Ant. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Dñe, all'a; et æternitas temporum, all'a, all'a all'a. *major* [*v. Annot.*] *Ps.* Benedictus (p. 15).

Oratio ut supra [*v.* § 1].

§ 6.) Ad Primam, *Ant.* Sancti tui, Dñe (§ 5). *Ps.* Deus in nomine, [p. 18. *Deinde Pss.* Beati immaculati, p. 19, *et* Retribue, p. 20.]

Ad Tertiam, *A.* Sancti et justi (§ 5). *Ps.* Legem pone [p. 25. *Deinde Pss.* Memor esto, *ibid.*, *et* Bonitatem, p. 26].

Cap ut supra ℟. Tristitia vestra; All'a, all'a, [Tristitia vestra; All'a, all'a,] ℣. Vertetur in gaudium. All'a,

all'a. Gloria [Patri, et Filio, et Spiritui Sancto]. Tristitia vestra, [All'a, all'a.]

℣*s.* Preciosa [est in conspectu Dñi. ℟*o.* Mors sanctorum ejus, all'a].

Ad Sextam, *A.* In velamento (§ 5). *Ps.* Defecit [p. 27. *Deinde Pss.* Quomodo, *ibid., et* Iniquos, p. 28.]

Cap. ut supra. ℟. Preciosa est in conspectu Dñi, All'a, all'a, [Preciosa — all'a,] ℣. Mors Sanctorum ejus. All'a, all'a. Gloria [— Sp. S.] Preciosa [— all'a.]

℣*s.* Gaudete, justi, [in Dño. ℟*o.* Rectos decet collaudatio, all'a.]

Ad Nonam, *A.* In cœlestibus (§ 5). *Ps.* Mirabilia [p. 29. *Deinde Pss.* Clamavi, *ibid., et* Principes, p. 30].

Cap. ut supra. ℟. Gaudete, justi, in Dño; All'a, all'a. [Gaudete, — all'a]. ℣. Rectos decet collaudatio. All'a, all'a. Gloria [— Sp. S.] Gaudete [— all'a].

℣*s.* Vox lætitiæ et exultationis, [℟*o.* In tabernaculis justorum, all'a.]

§ 7.) Ad II Vesperas, *A.* Sancti tui, Dñe [*ut supra ad Laudes*]. *Ps.* Dixit Dñs. *et ceteri Psalmi de Apostolis reliqui temporis* (§ 24).

Cap. ut supra. Si fuerit duplex festum, tunc dicatur ℟ Candidi [*ut in Vesp. I*]; *sin autem, nullum* ℟ *dicetur.*

Hymnus, Claro Paschali [*ut supra in Laudibus*].

℣*s.* Gaudete justi [*ut ibid.*]

Ant. Lux perpetua. *minor* [*ut supra ad Vesp. I*]. *Ps.* Magnificat.

Orationes ut in Historia Festorum notatum est.

[§ 8.) IN NATALIBUS MARTYRUM ET CONFESSORUM IN TEMPORE PASCHALI.]

In Natali Unius Martyris sive Unius Confessoris ab Octava Paschae usque ad Pentecosten, in festis cum regimine chori.

Ad I Vesperas, *super Psalmos Ant.* Lux perpetua. *minor* (§ 1). *Psalmi Feriales.*

Capitula ad utrasque Vesp's, et ad Matutinas, et ad alias Horas, dicantur propria si habeantur; sin autem, de Communi reliqui temporis.

℟. Filiæ Hjerusalem, venite et videte Martyrem cum corona qua coronavit eum Dñs: In die solennitatis et lætitiæ; Alleluja. ℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te. In die [solennitatis et lætitiæ; All'a]. Gloria [Patri et Filio, et Sp. Sancto]. All'a.

Hymnus ad Vesp. et ad Mat. de Communi reliqui temporis.

℣*s.* Tristitia vestra, [℟*o.* Vertetur in gaudium, all'a.]

A. Filiæ Hjerusalem. *ut supra* (§ 3). *Ps.* Magnificat.

§ 9.) Ad Matutinas, *Inv.* Exultent in Dño [Sancti: All'a]. *Ps.* Venite, exultemus.

Hymnus de Communi reliqui temporis.

Super Psalmos Añæ: Tristitia vestra, [all'a, vertetur in gaudium, all'a.] *Tres Psalmi dicuntur de Communi reliqui temporis secundum ordinem Nocturnorum.*

℣*s.* Preciosa est in conspectu Dñi, ℟*o.* Mors Sanctorum ejus, all'a.

Quando vero dicitur propria Añæ super Psalmos ad Mat, scilicet in Commemoratione, tunc dicitur ℣*s* Tristitia vestra [*ut supra ad Vesp. I*].

℟ [*post Lect.* 1]. Beatus vir qui metuit Dñm, all'a. In mandatis ejus cupit nimis; all'a, all'a, all'a. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. In [mandatis ejus cupit nimis; all'a, all'a, all'a].

℟ [*post. Lect.* 2]. Preciosa est in conspectu Dñi, Mors Sanctorum

Digitized by Google

[illegible] omnis [illegible] ejus, [illegible]

[illegible] Filiæ Hjerusalem [illegible]

§ 10.) [illegible] Vox [illegible] in taber- [illegible]

[illegible] Sancti tui, Dñe [illegible] ut su- [illegible]

[illegible] ut supra [ad [illegible]

[illegible] § 5.

[illegible] § 5. Ps. [illegible]

[illegible] Horas [illegible] ut supra de [illegible]

§ 11.) [illegible] Sancti tui, [illegible]

[illegible] Diximus. [illegible] dici- [illegible] Hjerusalem: an autem, [illegible]

[illegible] communi reliqui tem- [illegible]

[illegible] § 5.

[illegible] minor § 1. Ps. [illegible]

[illegible]

[illegible] Lux [illegible] Vesp. [illegible] Memoriam ali- [illegible] Martyris vel [illegible] Lux perpetua [illegible]

§ 12.) In Natali Unius Martyris sive Unius Confessoris Paschalis Temporis sine regimine chori.

Ad I Vesp. Ant. All'a, all'a, all'a.] [illegible] Cap. et Hymnus [illegible]

[illegible] vestra § 8.

[illegible] Hjerusalem § 3). Ps. [illegible]

Ad Mat. *Inv. et cetera ut supra usque ad Laudes dicuntur.*

In Laudibus *hæc sola Ant.* Sancti tui, Dñe (§ 5). *Ps.* Dñs regnavit. *Vs.* Gaudete justi in Dño (§ 5). *A.* Lux perpetua. *minor* (§ 1). *Ps.* Benedictus. *et cetera ut supra.*

Ad Primam *et alias Horas omnia fiant ut supra de Apostolis, cum Capitulis de Communi reliqui temporis, ut ibi notatum est.*

§ 13.) In Natali Plurimorum Martyrum sive Plurimorum Confessorum, sine regimine chori, ab Oct. Paschae usque ad Pent.

Ad I Vesp. *Ant.* All'a, [all'a, all'a.] *Psalmi Feriales.*

Cap. et Hymnus de Communi reliqui temporis.

Vs. Tristitia vestra (§ 8).

A. Filiæ Hjerusalem (§ 3). *Ps.* Magnificat.

Ad Mat. *Inv.* Exultent in Dño [Sancti: All'a]. *Ps.* Venite.

Hymnus de Communi reliqui temporis.

Super Psalmos A. Tristitia vestra (§ 9). *Tres Psalmi dicantur de Communi reliqui temporis secundum ordinem Nocturnorum.*

Vs. Preciosa est in conspectu Dñi. [℟o. Mors Sanctorum ejus, all'a.]

℟ [*post. Lect.* 1]. Tristitia vestra, all'a, Convertetur in gaudium; all'a, all'a. ℣. Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra Convertetur [in gaudium; all'a, all'a, all'a].

℟ [*post Lect.* 2]. Preciosa est in conspectu. *ut supra in Communi unius Martyris Paschalis Temporis.*

℟ [*post. Lect.* 3]. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Dñe; Et æternitas temporum, All'a, all'a. ℣. Vox lætitiæ et exultationis in tabernaculis justorum; Et æternitas [temporum.

Digitized by Google

All'a, all'a]. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. Sancto]. All'a, [all'a.]

[**§ 14.)** *Ante Laudes*] ℣. Vox lætitiæ et exultationis (§ 10).

In Laudibus *hæc sola Ant.* Sancti tui, Dñe (§ 5). *Ps.* Dñs regnavit.

Cap. et Hymnus de Communi reliqui temporis.

℣. Gaudete justi in Dño. [℟. Rectos decet collaudatio, all'a.]

A. Lux perpetua. *minor* (§ 1). *Ps.* Benedictus.

Ad Primam *et ad alias Horas omnia fiant ut supra dictum est.*

¶ *Hic finit Commune Sanctorum Tempore Paschali.*

§ 15.) IN NATALI UNIUS APOSTOLI, SIVE PLURIMORUM APOSTOLORUM, PER TOTUM ANNUM, EXTRA TEMPUS PASCHALE.

Ad I Vesperas, [*super Psalmos*] *Ańa.* Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente; et accipietis regnum æternum: alleluja.

Quando fit servitium de Communi unius Apostoli post Septuagesimam, tunc in fine istius ańæ, loco alleluja, *dicatur:* hæc dicit Dominus. *In aliis vero ańis, loco* alleluja, *dicatur illud verbum,* in æternum. [*Cf. tamen* § 20.]

Psalmi Feriales. Cap. (Eph. 2. D.) Jam non estis hospites et advenæ; sed estis cives Sanctorum et domestici Dei; superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum. [Deo gratias.]

℟. Qui sunt isti qui ut nubes volant; Et quasi columbæ ad fenestras suas? ℣. Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo. Et quasi [columbæ ad fenestras suas]. Gloria [Patri, et Filio, et Spiritui Sancto]. Et quasi [columbæ ad fenestras suas].

§ 16.) *Hymnus.*

Annue Christe, sæculorum Dñe,
Nobis per hujus (*quando fit mentio plurimorum apostolorum, tunc dicetur* horum) chara tibi merita,
Ut quæ te coram graviter deliquimus,
Hujus [*vel* horum] solvantur gloriosis precibus.
Salva Redemptor plasma tuum nobile,
Signatum sancto vultus tui lumine:
Ne lacerari sinas fraude dæmonum
Propter quos mortis exolvisti pretium.
Dole captivos esse tuos servulos;
Absolve reos, compeditos erige;
Et quos cruore redemisti proprio,
Rex bone, tecum fac gaudere perpetim.
Sit tibi, Jesu, benedicte Domine,
Gloria, virtus, honor, et imperium,
Una cum Patre Sanctoque Paraclito,
Cum quibus regnas Deus ante sæcula. Amen.

℣. In omnem terram exivit sonus [eorum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eorum].

§ 17.) *Ańa.* Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint; et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium Hominis: gaudete et exultate; ecce enim merces vestra multa est in cœlo. *Ps.* Magnificat.

Oratio de Vigilia dicitur propria, si habeatur; sin autem, dicitur oratio de die. Et si necesse fuerit quod Processio fieri debeat de festo alicujus apostoli, et non habeatur propria oratio de vigilia, tunc dicitur ad processionem ista. Oratio.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut nostra devotio, quæ natalitia Beati *N.* Apostoli tui antecedit, patrocinia intercessionis ejus accumulet. Per Dñm [nostrum Jesum Christum, Filium tuum; qui tecum vivit et reg-

Digitized by Google

nat in unitate Sp. Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen].

§ 18.) AD MATUTINAS, *Inv.* Regem Apostolorum Dñm: Venite adoremus. *Ps.* Venite exultemus (p. 122).

Hymnus: Annue Christe (§ 16).

In primo Nocturno, A. In omnem terram exivit sonus eorum; et in fines orbis terræ verba eorum. *Ps.* Cœli enarrant (p. 10). *A.* Clamaverunt justi, et Dñs exaudivit eos. *Ps.* Benedicam (p. 34). *A.* Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui, Dñe. *Ps.* Eructavit (p. 45).

℣*s.* In omnem terram (§ 16).

[L inserit: *Legantur Lecciones et Euangelium que in Festis notantur.*]

℟ [*post Lect.* 1]. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, dicit Dñs. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. ℣. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis, dicit Dñs. Estote ergo [*&c. ut supra*].

℟ [*post Lect.* 2]. Tollite jugum meum super vos, dicit Dñs; et discite quia mitis sum et humilis corde. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. ℣. Et invenietis requiem animabus vestris. Jugum [*&c.*]

℟ [*post Lect.* 3]. Dum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. ℣. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Dabitur [*&c.*] Gloria [Patri, et Filio, et Sp. Sancto]. Dabitur [*&c.*]

§ 19.) *In II Noct. A.* Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. *Ps.* Omnes gentes (p. 46). *A.* Dedisti hereditatem timentibus nomen tuum, Dñe. *Ps.* Exaudi Deus deprecationem (p. 53). *A.* Annunciaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt. *Ps.* Exaudi Deus orationem (p. 53).

℣*s.* Constitues [eos principes super omnem terram. ℟*o.* Memores erunt nominis tui Dñe].

℟ [*post Lect.* 4]. Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes; et angelus Dñi locutus est ad me, dicens: Isti sunt viri sancti, facti amici Dei. ℣. Vidi angelum Dei volantem per medium cœli, voce magna clamantem et dicentem: Isti sunt viri sancti, facti amici Dei.

℟ [*post Lect.* 5]. Isti sunt triumphatores et amici Dei; qui, contemnentes jussa principum, meruerunt præmia æterna. Modo coronantur et accipiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. Modo coronantur [et accipiunt palmam].

℟ [*post. Lect.* 6]. Fuerunt sine querela ante Dñm, et ab invicem non sunt separati. Calicem Dñi biberunt, Et amici Dei facti sunt. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia: ideo coronantur et accipiunt palmam. Calicem Dñi [biberunt, Et amici Dei facti sunt]. Gloria Patri, [et Filio, et Sp. Sancto.] Et amici [Dei facti sunt].

§ 20.) *In III Noct. A.* Exaltabuntur cornua justi, alleluja. *Intra LXX, in hac añ præcedente, et in alia sequente, in loco* all'a *dicetur*, in æternum. *Ps.* Confitebimur (p. 61). *A.* Lux orta est justo, alleluja; rectis corde lætitia, all'a. *Ps.* Dñs regnavit; exultet (p. 73). *A.* Custodiebant testimonia ejus, et præcepta ejus, all'a. *Post LXX in fine istius añæ, loco* all'a *dicetur*, quæ dedit illis. *Ps.* Dñs regnavit; irascantur (p. 75).

℣*s.* Nimis honorati [sunt amici tui, Deus. ℟*o.* Nimis confortatus est principatus eorum].

℟ [*post Lect.* 7]. Isti viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: non sunt de terris corpora eorum separata; Quorum meritò sunt in cœlis animæ Sanctorum comquales. [*In* L: Quorum merita

Digitized by Google

sunt in cœlis, animæ Sanctorum coequales.] ℣. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Quorum [meritò sunt in cœlis animæ Sanctorum coæquales].

℟. [*post Lect.* 8]. Isti sunt viri sancti quos elegit Dñs in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam. Quorum doctrina fulget in Ecclesia, ut sol et luna. [*In* L, *ut in Brev. Rom.*, Quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna.] ℣. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Quorum [doctrina fulget in Ecclesia, ut sol et luna].

℟. [*post Lect.* 9]. Cives Apostolorum et domestici Dei advenerunt hodie, Portantes facem et illuminantes patriam, dare pacem gentibus; Et liberare populum Dñi. ℣. Audite voces supplicum, vitæ æternæ poscentes præmia, qui fertis in dextris manipulos justitiæ, quique gaudentes advenistis hodie. Portantes [facem et illuminantes patriam, dare pacem gentibus; Et liberare populum Dñi]. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. Sancto]. Et liberare [populum Dñi].

[**§ 21.**) *Ante Laudes*] ℣*s.* Dedisti hereditatem, ℟*o.* Timentibus nomen tuum, Dñe.

IN LAUDIBUS, *Añæ* 1.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. *Ps.* Dñs regnavit [v. § 5].

A. 2. Majorem charitatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Ps.* Jubilate.

A. 3. Vos amici mei estis si feceritis quæ præcipio vobis, dicit Dñs. *Ps.* Deus, Deus meus.

A. 4. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Ps.* Benedicite omnia.

A. 5. In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Ps.* Laudate Dñm de cœlis.

Cap. Jam non estis (§ 15).

Hymnus.

Exultet cœlum laudibus;
Resultet terra gaudiis:
Apostolorum glorià
Sacra canunt solennia.

Vos sæcli justi judices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium:
Audite preces supplicum.

Qui cœlum verbo clauditis,
Serasque ejus solvitis,
Nos a peccatis omnibus
Solvite jussu, quæsumus.

Quorum præcepto subditur
Salus et languor omnium,
Sanate ægros moribus,
Nos reddentes virtutibus.

Ut cum judex advenerit,
Christus in fine sæculi,
Nos sempiterni gaudii
Faciat esse compotes.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

℣*s.* Annunciaverunt opera Dei.
℟*o.* Et facta ejus intellexerunt.

A. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et ante reges et præsides ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus. *Ps.* Benedictus.

Oratio de die dicatur, si propria habeatur; sin autem, dicatur ista oratio de Communi. *Oratio.*

Exaudi, Dñe, populum tuum cum sancti Apostoli tui *N.* patrocinio supplicantem; ut, tuo semper auxilio munitus, securâ tibi possit devotione servire. Per Dñm nostrum [*&c. ut* § 17].

§ 22.) AD PRIMAM, *A.* Hoc est præceptum (§ 21). *Ps.* Deus in nomine. [*&c. ut* § 6.]

AD TERTIAM, *A.* Majorem (§ 21). *Ps.* Legem pone. [*&c. ut* § 6.]

Cap. Jam non estis (§ 15).

℟. In omnem terram Exivit sonus eorum. [In omnem terram Exivit so-

Digitized by Google

nus eorum.] ℣. Et in fines orbis terræ verba eorum. Exivit [sonus eorum]. Gloria Patri [et Filio, et Sp. Sancto]. In omnem [terram Exivit sonus eorum].

℣s. Constitues [eos principes super omnem terram. ℟o. Memores erunt nominis tui, Dñe].

Oratio ut supra [*ad Laudes*].

§ 23.) AD SEXTAM, *A.* Vos amici (§ 21). *Ps.* Defecit. [*&c. ut* § 6.]

Cap. (Actuum 5 B et C.)

PER manus Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe: et magnificabat eos populus. [Deo gratias.]

℟. Constitues eos principes Super omnem terram. [Constitues — terram.] ℣. Memores erunt nominis tui, Dñe. Super [omnem terram]. Gloria [— Sp. Sancto]. Constitues [— terram].

℣s. Nimis honorati sunt [amici tui, Deus. ℟o. Nimis confortatus est principatus eorum].

Oratio ut supra.

AD NONAM, *A.* In patientia (§ 21). *Ps.* Mirabilia. [*&c. ut* § 6.]

Cap. (Actuum 5. G.)

IBANT Apostoli gaudentes a conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. [Deo gr.]

℟. Nimis honorati sunt Amici tui, Deus. [Nimis hon. — Deus.] ℣. Nimis confortatus est principatus eorum. Amici [tui, Deus]. Gloria [— Sp. S.] Nimis [hon. — Deus].

℣s. Annuntiaverunt (§ 21).

[*Oratio ut supra.*]

§ 24.) AD II VESP. *A.* Juravit Dñs, et non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum. *Ps.* Dixit Dñs Dño meo (p. 86).

A. Collocet eum Dñs cum principibus populi sui. *Ps.* Laudate pueri Dñm (p. 87).

A. Dirupisti Dñe vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis. *Ps.* Credidi (p. 88).

A. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. *Ps.* In convertendo (p. 90).

A. Confortatus est principatus eorum, et honorati sunt amici tui, Deus. *Ps.* Dñe, probasti me (p. 95).

Cap. Jam non estis (§ 15). *Si duplex festum fuerit, tunc dicitur* ℟ Cives Apostolorum; *sin autem, nullum* ℟ *dicitur.*

Hymnus, Exultet (§ 21).

℣s. Annunciaverunt (*ibid.*)

A. In regeneratione, cum sederit Filius Hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos judicantes duodecim tribus Israel, dicit Dñs. *Ps.* Magnificat.

Oratio ut supra.

§ 25.) IN NATALI UNIUS MARTYRIS EXTRA TEMPUS PASCHALE.

¶ *Nota quod communiter per totum annum in festis ix lectionum super psalmos feriales dicitur aña* Iste Sanctus, *nisi in festo S. Albani Mart. quando Translatio S. Edwardi cum ix lectionibus celebratur in eadem hebdomada, et* [*in festo*] *S. Edmundi Regis et Mart. quando festum S. Clementis in eadem hebdomada contigerit.*

AD VESPERAS, *super Psalmos Feriales Aña.* Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

Vel alia Aña. Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

Hæ prædictæ duæ antiphonæ dicantur alternis vicibus per hebdomadam super psalmos in festis ix lec-

Google

tionum Unius Martyris; ita tamen quod quando dicitur aña Beatus vir *super Pss., tunc dicetur istud sequens Cap.* (Matth. 7 D. [*v. Annot.*]):

ISTE Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram. [Deo gratias.] *ad utrasque Vesp. et ad Mat's et ad Tertiam. — Similiter quando dicitur aña* Iste Sanctus *super Pss., tunc dicetur Cap. sequens* (Jac. 1 B):

BEATUS vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ; quam repromisit Deus diligentibus se. [Deo gratias.]

vel aliud: *Cap'm* (Eccl'i 14 C).

BEATUS vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Deo gratias. *ad utrasque Vesp. et ad Mat's et ad Tertiam.*

§ 26.) *In festis iij lec. sine regimine chori nunquam dicitur Responsorium ad I Vesp. In festis ix lec. ad I Vesp. dicitur* ℟.

¶ *De uno Martyre decollato* ℟. Percepturus jam vir (§ 33). [L addit: *Et dicitur predictum* ℟ *in festis ix lec. Martirum decollatorum ad I Vesp., et ad Mat's* ((*post?*)) *ix lec. Et in festis iij lec. Martirum decollatorum que dicuntur de tercio Nocturno tantum.* (Cf. § 33.)]

¶ *De uno Martyre non decollato* ℟. Beatus vir qui suffert (§ 33).

Hymnus.

MARTYR Dei qui unicum
Patris sequendo Filium
Victis triumphas hostibus,
Victor fruens cœlestibus;

Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue,
Arcens mali contagium,
Vitæ removens tædium.

Soluta sunt jam vincula
Tui sacrati corporis:
Nos solve vinclis sæculi
Amore Filii Dei.

Deo Patri [sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc et in perpetuum. Amen].

§ 27.) ℣*s.* Gloria et honore coronasti eum, Domine. [℟*o.* Et constituisti eum super opera manuum tuarum].

A. Hic est vere Martyr, qui pro Christi Nomine sanguinem suum fudit; qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit; sed ad cœlestia regna feliciter pervenit. *Ps.* Magnificat. *Oratio.*

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris; et intercessione beati *N.* Martyris tui perpetuam nobis misericordiam benignus impende. Per Dñm nostrum Jesum Christum [Filium tuum; Qui tecum vivit et regnat in unitate Sp. Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen].

Alia Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati *N.* Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dñm nostrum Jesum Christum Filium tuum; Qui tecum vivit *&c.*

Quando duo festa Unius Martyris in uno die simul contingunt, tunc dicitur ad memoriam de alio festo ista aña Iste cognovit: *quære ad II Vesp.* (§ 39).

℣*s.* Posuisti (§ 30). *Oratio ut decet.*

§ 28.) AD MATUTINAS, *in festis novem lectionum, et trium quæ habent invitatorium duplex, Inv.* Justus florebit in domo Dñi plantatus. Gaudeamus et exultemus in ejus sacra solennitate. *Ps.* Venite [exultemus (p. 122)].

Aliud invitatorium, in festis iij lec. quæ habent inv. simplex. Inv. Regem Martyrum Dñm: Venite adoremus. *Ps.* Venite exultemus (p. 122).

Hymnus Martyr Dei (§ 26).

IN I NOCTURNO, *A.* In lege Dñi fuit voluntas ejus die ac nocte. *Ps.* Beatus vir (p. 1). *A.* Prædicans præcep-

Digitized by Google

tum Dñi, constitutus est in monte sancto ejus. *Ps.* Quare fremuerunt gentes (p. 2). *A.* Voce mea ad Dñm clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo. *Ps.* Dñe, quid multiplicati (p. 2).

℣*s.* Gloria et honore coronasti eum, Dñe. [℟*o ut* § 27.] *Lectio j.*

QUI Sanctorum merita religiosâ charitate miratur, quique justorum gloriam frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque justitiam imitetur. Quoniam quem delectat Sancti alicujus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium. Tu autem, [Dñe, miserere nostri.]

℟ 1. Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem; et a verbis impiorum non timuit. Fundatus enim erat supra firmam petram. ℣. Munimine regio septus nullatenus ab adversariis est superatus. Fundatus enim erat supra [firmam petram].

§ 29.) *Lectio ij.*

QUARE etiam imitari debet, si laudat; aut laudare non debet, si imitari detrectat. Ut qui alium laudat, laudabilem se reddat, et qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. [Tu autem, Dñe, miserere nostri.]

℟ 2. Justus germinabit sicut lilium; Et florebit in æternum ante Dñm. ℣. Plantatus in domo Dñi, in atriis domus Dei nostri. Et florebit [in æternum ante Dñm]. *Lec. ij.*

SI propterea, fratres, justos fidelesque diligimus, quod in ipsis justitiam fidemque suspicimus, possumus nos quoque esse quod sunt, si faciamus quod ipsi faciunt. Neque enim nobis difficile est quod ab ipsis geritur imitari, cum sine præcedenti exemplo ab antiquis talia gesta conspicimus; ut non ipsi aliorum æmuli redderentur, sed æmulandæ virtutis seipsos nobis præberent exemplum; ut dum nos ex ipsis, et ex nobis alii proficiunt, sic Christus in suis semper in Ecclesia laudetur. Tu autem, Dñe, miserere [nostri].

℟ 3. Iste cognovit justitiam et vidit mirabilia magna, et exoravit Altissimum. Et inventus est in numero Sanctorum. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Et inventus [est in numero Sanctorum]. Gloria Patri, [et Filio, et Spiritui Sancto.] Et [inventus est in numero Sanctorum].

§ 30.) IN II NOCTURNO, *A.* Filii hominum, scitote quia Dñs Sanctum suum mirificavit. *Ps.* Cum invocarem (p. 2). *A.* Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum, Dñe. *Ps.* Verba mea (p. 2). *A.* In universa terra gloria et honore coronasti eum. *Ps.* Dñe Dñs noster (p. 4).

℣*s.* Posuisti [Dñe super caput ejus. ℟*o.* Coronam de lapide precioso].

¶ *Et notandum est quod quando dicuntur* ℟*ia de II Noct. Communis Historiæ in festis iij lec. Unius Martyris, tunc non dicetur ante lectiones* ℣*s* Posuisti Dñe, *sed* ℣*s* Gloria et honore; *et hoc propter ixañam, quæ est ultima* [In L: *que est* Posuisti Dñe]. *Lectio iv.*

AB origine mundi innocens Abe occiditur; Enoch Deo placens transfertur; justus Noe invenitur; Abraham fidelis probatur; Moyses mansuetus dignoscitur; Jesus castus; David lenis; Helias acceptus; Daniel sanctus; Tres Pueri victores redduntur; Apostoli, Christi discipuli, credentium magistri habentur. [Tu autem, *&c.*]

℟ 4. Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Dñe. Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide precioso. Et voluntate [labiorum ejus non fraudasti eum].

Digitized by Google

§ 31.) *Lectio v.*

De quibus eruditi Confessores fortissime pugnant; Martyres perfecti triumphant; et Christiani semper exercitum diaboli Deo armati debellant. In justis et sanctis semper pares virtutes existunt, dissimiles pugnæ, et gloriosæ victoriæ. Unde, Christiane, delicatus es miles, si putas te sine pugna vincere, sine certamine triumphare. [Tu autem, *&c.*]

℟. 5. Dñe prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Posuisti in capite ejus coronam de lapide precioso. ℣. Vitam petiit a te, et tribuisti ei Dñe. Posuisti [in capite ejus coronam de lapide precioso].

Lectio vj.

Exerce vires fortitudine; dimica; atrociter in prœlio justo concerta. Considera pactum; conditionem attende; militiam nosce. Pactum quod spopondisti; conditionem qua accessisti; militiam cui nomen dedisti. Hoc enim pacto quos miraris cuncti pugnaverunt. Hac conditione universi vicerunt. Hac militia triumpharunt.

℟. 6. Gloria et honore coronasti eum Dñe, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. ℣. Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos, Deus. Omnia [subjecisti sub pedibus ejus]. Gloria [Patri, et Filio, et Spiritui Sancto]. Omnia [subjecisti sub pedibus ejus].

§ 32.) In III Nocturno, *A.* Justus Dñs, et justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus. *Ps.* In Dño confido (p. 5). *A.* Habitabit in tabernaculo tuo: requiescet in monte sancto tuo. *Ps.* Dñe, quis habitabit (p. 7). *A.* Posuisti Dñe super caput ejus coronam de lapide precioso. *Ps.* Dñe in virtute (p. 11).

℣*s.* Justus ut palma florebit. *Non ulterius dicetur quotienscunque dicatur, nisi ad Horam Nonam post Capitulum tantum.* ℟*o.* Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

¶ *Euangelium. Secundum Joannem.* (Cap. 12. D.)

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen amen dico vobis, Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homelia Beati Augustini Episcopi.

Lectio vij. Se dicebat Dñs granum mortificandum et multiplicandum. Mortificandum in infidelitate Judæorum, et multiplicandum in fide omnium populorum. Jam vero exhortans ad passionis suæ sectanda vestigia, Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Quod duobus modis potest intelligi. Qui amat animam suam, perdet eam; id est, Si amas, perdis. Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo.

℟. 7. Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis: Gloria honoris, et opus fortitudinis. ℣. Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit eum. Gloria honoris, [et opus fortitudinis.]

§ 33.) *Lectio viij.*

Item alio modo. Qui amat animam suam, perdet eam. Noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Sequitur, Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ergo quod supra dictum est, Qui amat, subintelligitur in hoc mundo: ipse utique perdet.

℟. 8. Stola jocunditatis induit eum Dñs; Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Induit eum Dñs lorica fidei, et ornavit eum. Et coronam [pulchritudinis posuit super caput ejus]. *Lec. ix.*

Qui autem odit animam suam, utique in hoc mundo, in vitam æternam ipse custodit eam. Magna et

Digitized by Google

mira sententia; quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat; odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Sed vide ne tibi subrepat ut teipsum velis interimere, sic intelligendo quod debes odisse in hoc mundo animam tuam.

¶ *De uno Martyre decollato,* ℟ 9. Percepturus jam vir sanctus pro labore requiem, constans in confessione Christianæ fidei, Subdit collum velut agnus mansuetus gladio. ℣. Corpore dissolvi gaudens, et cum Deo vivere. Subdit [collum velut agnus mansuetus gladio]. Gloria [Patri, et Filio, et Spiritui Sancto]. Subdit [collum velut agnus mansuetus gladio]. *Hoc* ℟ Percepturus *dicetur in fest. de Mart. decoll. ix lec. ad I Vesp.; et ad Mat. erit ix* ℟. *Et etiam in fest. iij lec. ad Mat. erit iij* ℟ *quando dicitur de III Nocturno tantum.*

¶ *De uno Martyre non decollato,* ℟ [9]. Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, Quam repromisit Deus diligentibus se. ℣. Hic accipiet benedictionem a Dño et misericordiam. Quam [repromisit Deus diligentibus se]. Gloria [Patri, et Filio, et Spiritui Sancto]. Quam [repromisit Deus diligentibus se].

§ 34.) *Aliud Euangelium. Secundum Lucam.* (Cap. 14. F.)

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

Homelia Beati Gregorii Papæ.

Lectio vij. Si consideremus, fratres charissimi, quæ et quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita. *Lec. viij.* Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ felicitatis quanta sunt gaudia? Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircunscriptum lumen videre, nullo metu mortis affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari.

Lectio ix.

Sed ad hæc audita inardescit animus, jamque illic cupit assistere ubi se sperat sine fine gaudere. Sed ad præmia pervenire [*In Brev. Rom.*, ad magna præmia perveniri] non potest, nisi per magnos labores. Unde et Paulus, egregius prædicator, dicit: Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Delectet ergo mentem magnitudo præmiorum; sed non deterreat certamen laborum.

§ 35.) *Aliud Euangelium. Secundum Matthæum.* (Cap. 16. D.)

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et reliqua.

Homelia Beati Gregorii Papæ.

Lectio vij. Quia Dñs ac Redemptor noster Novus Homo venit in mundum, nova præcepta edidit mundo. Vitæ enim nostræ veteri in vitiis enutritæ, contrarietatem opposuit novitatis suæ. *Lec. viij.* Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat, nisi sua retinere, aliena rapere si posset, concupiscere si non posset? Sed cœlestis medicus singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta. *Lec. ix.*

Digitized by Google

SICUT arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur; ita Dñs noster contraria opposuit medicamenta peccati; ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præcipere humilitatem.

[§ 36.) Ex cod. L.) *Alie Lecciones Unius Martiris. Leccio prima.*

QUIA natalem Martiris hodierna die colimus, fratres mei, nequaquam nos a virtute eius paciencie estimare extraneos debemus.

Lec. ij.

SI enim, adjuvante nos Dño, virtutem paciencie seruare contendimus, et in pace Ecclesie viuimus, et tamem martirii palmam tenemus.

Lec. iij.

DUO sunt quippe martirii genera; unum in mente, aliud in mente simul et accione. Itaque martires esse possumus, etsi ((*cod.* et si)) nullo ferro percuciencium trucidemur.

Lec. iv.

MORI quippe a persequente, martirium in aperto opere est; ferre vero contumelias, odientem diligere, martirium est in occulta cogitacione.

Lec. v.

QUIA duo sunt martirii genera, unum in occulto, aliud publico, testatur Veritas, que Zebedei filios requirit dicens, Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?

Lec. vj.

QUI cum protinus responderent, Possumus, illico ((*cod.* ilico)) Dñs respondit dicens, Calicem quidem meum bibetis. Quid enim per calicem nisi dolorem passionis accipimus?]

§ 37.) ¶ *Ante Laudes* ℣*s.* Ora pro nobis beate *N.* [℟*o.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi.] *Iste* ℣*s dicitur semper ante Laudes in festo Unius Martyris ix lect. Quando vero fiunt iij lectiones, dicitur* ℣*s* Posuisti Dñe. *vel* ℣*s* Justus ut palma florebit.

IN LAUDIBUS, *Aña* 1.

QUI me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. *Ps.* Dñs regnavit. [v. § 5].

A. 2. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dñs. *Ps.* Jubilate Deo omnis terra.

A. 3. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui in cœlis est, dicit Dñs. *Ps.* Deus, Deus meus.

A. 4. Qui mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic erit et minister meus. *Ps.* Benedicite.

A. 5. Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus. *Ps.* Laudate Dñm.

Cap. ut supra [*ad Vesp. I*] *dictum est.* *Hymnus.*

DEUS, tuorum militum
Sors et corona, præmium;
Laudes canentes Martyris
Absolve nexu criminis.

Hic nempe mundi gaudia,
Et blandimenta noxia,
Caduca rite deputans,
Pervenit ad cœlestia.

Pœnas cucurrit fortiter,
Et sustulit viriliter.
Pro te effundens sanguinem,
Æterna dona possidet.

Ob hoc precatu supplici
Te poscimus, piissime;
In hoc triumpho Martyris
Dimitte noxam servulis.

Sit Christe, Rex piissime,
Tibi Patrique gloria,
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣*s.* Justus germinabit [sicut lilium]. ℟*o.* Et florebit [in æternum ante Dñm].

Ant. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. *Ps.* Benedictus.

Alia Aña. Qui vult venire post me, dicit Dñs, abneget semetipsum,

Digitized by Google

et tollat crucem suam, et sequatur me. *Ps.* Benedictus.

Hæ prædictæ duæ antiphonæ dicuntur alternis vicibus per hebdomadam in festis Unius Martyris tam iij quam ix lectionum super psalmum Benedictus, *vel ad memoriam ejusdem Sancti; ita tamen quod semper in primis* [i. e. *primo loco*] *dicatur ant.* Nisi granum.

Oratio ut supra [*ad I Vesp.*].

§ 38.) AD PRIMAM, *A.* Qui me confessus (§ 37). *Ps.* Deus in nomine. [*&c.: v.* § 6.]

AD TERTIAM, *A.* Qui sequitur me (§ 37). *Ps.* Legem pone. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. ut supra [*ad Vesp. I*].

℟. Gloria et honore Coronasti eum, Dñe. [Gloria et honore Coronasti eum, Dñe.] ℣. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Coronasti [eum, Dñe]. Gloria Patri, [et Filio, et Sp. Sancto.] Gloria et honore [Coronasti eum, Dñe].

℣*s.* Posuisti, Dñe, [super caput ejus, ℟*o.* Coronam de lapide precioso.]

AD SEXTAM, *A.* Si quis mihi (§ 37). *Ps.* Defecit. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. (*Eccl'i* 46. [A. (*v. Annot.*)]

ISTE cognovit justitiam, et vidit mirabilia magna; et exoravit Altissimum, et inventus est in numero Sanctorum. [Deo gratias.]

℟. Posuisti, Dñe, Super caput ejus, [Posuisti, Dñe, Super caput ejus,] ℣. Coronam de lapide precioso. Super [caput ejus]. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. Sancto]. Posuisti, [Dñe, Super caput ejus.]

℣*s.* Justus ut [palma florebit. ℟*o.* Sicut cedrus Libani multiplicabitur].

§ 39.) AD NONAM, *A.* Volo, Pater (§ 37). *Ps.* Mirabilia. [*&c.: v.* § 6.]

Capitulum. (*Ubi supra*, B.)

STOLA jocunditatis induit cum Dñs, et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. [Deo gr.]

℟. Justus ut palma florebit, In domo Dñi. [Justus ut palma florebit, In domo Dñi.] ℣. Sicut cedrus Libani multiplicabitur. In [domo Dñi]. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. Sancto]. Justus [ut palma florebit, In domo Dñi.]

℣*s.* Justus germinabit [sicut lilium. ℟*o.* Et florebit in æternum ante Dñm].

AD II VESP. *A.* Qui me confessus (§ 37.) *Psalmi Feriales. Cap. ut supra* [*ad I Vesp.*] *Hymnus*, Deus tuorum militum [*ut ibid.*] ℣*s.* Justus germinabit [*ut ad Nonam*].

A. Hic vir, despiciens mundum et terrena triumphans,
Divitias cœlo condidit, ore, manu.

Ps. Magnificat.

Oratio ut supra [*ad I Vesp.*]

Alia Añia. Iste cognovit justitiam, et vidit mirabilia magna; et exoravit Altissimum, et inventus est in numero Sanctorum. *Ps.* Magnificat.

Hæ prædictæ añæ dicuntur alternis vicibus per hebdomadam in festis ix lec. Unius Mart. super Ps. Magnificat *ad II Vesp., vel ad memoriam ejusdem* [In L, *ejusdem Sancti*].

§ 40.) ITEM *alia Capitula Unius Martyris; et dicuntur cum Capitulis suprascriptis alternis vicibus per hebdomadam.*

¶ *Ad Vesperas et ad Mat's et ad Tertiam et ad II Vesp.*

Cap. (Eccl'i 14 C.)

BEATUS vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei.

¶ *Ad Sextam. Cap.* (Eccl'i 15. A.)

CIBABIT illum pane vitæ et intellectus; et aqua sapientiæ salutaris potabit illum.

¶ *Ad Nonam. Cap.* (*Ibid.*)

ET firmabitur in illo, et non flectetur; et continebit illum, et non confundetur; et exaltabit illum apud proximos suos: et nomine æterno hereditabit illum Dñs Deus noster.

§ 41.) *In Natali Unius Martyris et Pontificis tota cantetur Historia*

Digitized by Google

unius Martyris non Pontificis ut supra, cum Capitulis subscriptis et cum Oratione subnotata.

¶ *Ad utrasque Vesperas, et ad Mat's, et ad Tertiam.*

Cap. (Heb. 5. A.)

OMNIS Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. *Oratio.*

DEUS qui sanctam nobis hujus diei lætitiam pro beati Martyris tui *N.* atque Pontificis commemoratione fecisti; adesto familiæ tuæ precibus, et da ut cujus hodie festa celebramus, ejus meritis et intercessionibus adjuvemur. Per Dñm nostrum Jesum [*&c. ut supra,* § 27].

¶ *Ad Matutinas Unius Martyris et Pontificis.* *Lectio prima.*

DEBEMUS pensare, fratres charissimi, quod continue sanctis Apostolis dicitur, et per Apostolos nobis: Vos estis sal terræ. Si ergo sal sumus, condire mentes fidelium debemus. Vos ergo qui pastores estis, pensate quia animalia Dei pascitis. De quibus profecto animalibus Deo per Psalmistam dicitur: Animalia tua habitabunt in ea. Tu autem, [Dñe, miserere nostri.] *Lec. ij.*

ET sæpe videmus quod brutis animalibus petra salis ponitur, ut eandem salis petram lambere debeant et meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis, debet esse sacerdos in populis. [Tu autem, *&c.*] *Lec. iij.*

CURARE sacerdoti necesse est quæ singulis dicat, unumquemque qualiter admoneat. Ut quisquis sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur. Tu. *Lec. iiij.*

SAL enim terræ non sumus, si corda audientium non condimus. Quod profecto condimentum ille proximo impendit, qui prædicationis verba non subtrahit. Quid autem animas hominum nisi cibum Dei dixerim? Quæ ad hoc sunt conditæ, ut in ejus corpus trajiciantur; id est, ut in æternæ Ecclesiæ augmentum tendant. Tu. *Lec. v.*

SI ergo cibus Dei est populus, condimentum cibi sacerdotes esse debuerunt. Sed quia, dum nos ab orationis et eruditionis sanctæ usu cessamus, sal infatuatum est, condire non valet cibum Dei. Atque idcirco ab Auctore non sumitur, quia, exigente fatuitate nostra, minime conditur. *Lec. vi.*

PENSEMUS ergo, qui unquam per linguam nostram conversi? qui de perverso suo opere nostra increpatione correcti pœnitentiam egerunt? quis luxuriam ex nostra eruditione descruit? quis avaritiam, quis superbiam declinavit?

[§ 42.) Ex cod. L.) *Secundum Matheum* ((v. Annot.))

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nichil opertum quod non reveletur; neque occultum quod non sciatur. Et reliqua.

Omelia Rabani Presbiteri.

DE futuro tempore hoc scriptum est, quando indicabit Deus abscondita hominum, et illuminabit occulta tenebrarum, et manifesta faciet consilia cordium. *Lec. viij.*

ET est sensus: Nolite timere sevicias persecutorum, et blasphemancium rabiem; quia veniet dies iudicii, in quo nostra virtus et eorum nequicia demonstrabitur. *Lec. ix.*

QUOD dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, predicate super tecta. Quod auditis in misterio, apercius predicate: quod didicistis absconse, publice loquimini.]

§ 43.) ¶ *Hoc Euangelium legatur in festo cujuslibet exulati, sive Martyris, sive Confessoris.* [In L: *Aliud Euangelium; et legatur ad Mat's in festo cujuslibet exulati Pontificis ix leccionum, sive Martiris, sive Confessoris.*]

Digitized by Google

Secundum Lucam. (Cap. 19. B.)

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum et reverti. Et reliqua.

Homelia ex Commentario Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lectio vij. Homo Nobilis ille est cui cæcus supra clamabat, Fili David, miserere mei. Et cui venienti Hierosolymam concinebant, Osanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Dñi. *Lec. viij.*

Longinqua regio Ecclesia est ex gentibus; de qua eidem Nobili Homini (qui loquitur, Ego autem constitutus sum Rex ab eo) dicitur a Patre: Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam; et possessionem tuam terminos terræ. *Lec. ix.*

Hæc videlicet hereditas et possessio bifariâ ratione regio longinqua nuncupatur; vel quia a finibus terræ clamat ad Dñm, vel quia longe est a peccatoribus salus. Et cum Deus sit ubique præsens, longe tamen ab eorum sensu qui idola colunt verus Deus abest. Sed qui erant longe facti sunt prope in sanguine Christi. Tu autem, Dñe, [miserere nostri.]

¶ *Ad Tertiam Cap.* Omnis Pontifex (§ 41).

¶ *Ad Sextam. Cap.* (Heb. 5. B.)

Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron; sicut scriptum est: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

¶ *Ad Nonam. Cap.* (Eccl'i 24. A.)

In ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur: et in medio populi exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur.

§ 44.) IN NATALITIIS PLURIMORUM MARTYRUM EXTRA TEMPUS PASCHALE.

Ad I Vesperas, *super Psalmos Ant.* Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. *Psalmi Feriales.*

Cap. (Sap. 10. D.)

Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum, et deducet illos in via mirabili. [Deo gratias.]

℟. In circuitu [*v. post Lect. ix*].

Hymnus.

Sanctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus socii, gestaque fortia:
Nam gliscit animus promere cantibus
Victorum genus optimum.
Hi sunt quos retinens mundus inhorruit:
Ipsum nam sterili flore per aridum
Sprevere penitus, teque secuti sunt,
Rex Christe bone cœlitus.
Hi pro te furias atque ferocia
Calcarunt hominum sævaque verbera:
Cessit his laccrans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia.
Cæduntur gladiis more bidentium:
Non murmur resonat nec querimonia;
Sed corde tacito mens bene conscia
Conservat patientiam.
Quæ vox, quæ poterit lingua retexere.
Quæ tu martyribus munera præparas?
Rubri nam fluido sanguine laureis
Ditantur bene fulgidis.
Te summa Deitas unaque poscimus
Ut culpas abluas, noxia subtrahas,
Des paoem famulis, nos quoque gloriam
Per cuncta tibi sæcula. Amen.

§ 45.) ℣*s.* Lætamini [in Dño et exultate justi. ℟*o.* Et gloriamini omnes recti corde].

Ant. Gaudent in cœlis animæ Sanctorum qui Christi vestigia sunt

Digitized by Google

secuti; et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo regnabunt in æternum. *Ps.* Magnificat.

Alia A. Isti sunt Sancti qui pro Dei amore minas hominum contempserunt: sancti Martyres in regnum æternum exultant cum angelis: o quam preciosa est mors Sanctorum! qui assidue assistunt ante Dñm, et ab invicem non sunt separati. *Ps.* Magnificat.

Hæ duæ prædictæ añæ dicuntur alternis vicibus per hebdomadam in festis plurimorum Martyrum tam iij quam ix lectionum super Ps. Magnificat, *vel ad memoriam eorundem Sanctorum; ita tamen quod semper inprimis dicatur añа* Gaudent in.

¶ *In Natali Plurimorum Martyrum non Pontificum. Oratio.*

OMNIPOTENS sempiterne Deus, da nobis sanctorum Martyrum tuorum *N.* et *N.* ita digne merita venerari, quatenus ét ab instantibus liberemur periculis, èt digni efficiamur gaudiis sempiternis. Per [Dñm *&c. ut supra* § 27].

¶ *In Natali Plurimorum Martyrum et Pontificum. Or'o.*

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in sanctorum Martyrum tuorum atque Pontificum *N.* et *N.* cordibus flammam tuæ dilectionis accendisti; da mentibus nostris eandem fidei charitatisque virtutem; ut quorum gaudemus triumphis, proficiamus exemplis. Per Dñm [*&c.*]

§ 46.) AD MAT., *In festis ix lect. tantum, Inv.* Adoremus Regem magnum, Dñm: Qui in Sanctis suis semper est mirabilis. *Ps.* Venite (p. 122).

¶ *Item in festis ix lect., et in festis iij lect. quando habetur inv. duplex, Inv.* Mirabilem Deum in Sanctis suis: Venite adoremus collaudantes. *Ps.* Venite.

¶ *In festis iij lect. quando inv. est simplex, Inv.* Regem Martyrum Dñm: Venite adoremus. *Ps.* Venite.

Hymnus, Sanctorum meritis (§ 44).

IN PRIMO NOCTURNO, *Ant.* Secus decursus aquarum plantavit vineam justorum; sed in lege Dñi fuit voluntas eorum. *Ps.* Beatus vir (p 1).

A. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dñs; et quasi holocausta accepit illos in æternum. *Ps.* Quare fremuerunt (p. 2).

A. Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes electorum est immortalis in æternum. *Ps.* In Dño confido (p. 5).

℣. Lætamini (§ 45). *Lectio j.*

PSALMUS qui cantatur Dño videtur sanctis Martyribus convenire. Sed si membra Christi sumus, sicut esse debemus, ad omnes nos pertinere intelligamus. Qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

℟. 1. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum; et jam non erit amplius neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor: Quoniam priora transierunt. ℣. Non esurient neque sitient amplius; et non cadet super eos sol neque ullus æstus. Quoniam [priora transierunt].

§ 47.) *Lectio ij.*

QUO euntes, et unde venientes? Qui seminantes in lachrymis? Quæ sunt semina? Qui manipuli? Euntes in mortem, venientes a morte. Euntes nascendo, venientes resurgendo. Seminantes opera bona, metentes mercedem æternam.

℟. 2. Viri sancti gloriosum sanguinem fuderunt pro Dño: amaverunt Christum in vita sua: imitati sunt eum in morte sua. Et ideo coronas triumphales meruerunt. ℣. Unus spiritus et una fides erat in eis. Et ideo coronas [triumphales meruerunt]. *Lec. iij.*

SEMINA ergo nostra sunt, quicquid boni fecerimus. Manipuli, quod in

Digitized by Google

fine recipiemus. Si ergo bona semina sunt bona opera, quare cum lachrymis, cum hilarem datorem diligat Deus?

℟. 3. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Et meruerunt habere coronas perpetuas. ℣. Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. Et meruerunt habere [coronas perpetuas]. Gloria Patri, [et Filio, et Sp. Sancto.] Et meruerunt [*&c.*]

¶ *In Natali quorumlibet fratrum Martyrum, de quocunque Nocturno dicatur, hoc sequens Responsorium semper erit tertium.*

℟. Hæc est vera fraternitas quæ nunquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine secuti sunt Dñm. Contemnentes aulam regiam, Pervenerunt ad regna cœlestia. ℣. Ecce quam bonum et quam jocundum habitare fratres in unum. Contemnentes [aulam regiam, Pervenerunt ad regna cœlestia]. Gloria [— Sp. S.] Pervenerunt [*&c.*]

Et hæc sunt festa in quibus prædictum Responsorium semper dicetur; scil. Sanctorum Marci et Marcelliani, Sanctorum Gervasii et Prothasii, Sanctorum Septem Fratrum, Sanctorum Cosmæ et Damiani, Sanctorum Crispini et Crispiniani.

§ 48.) In II Nocturno, *A.* Dabo Sanctis meis locum nominatum in regno Patris mei, dicit Dñs. *Ps.* Dñe, quis habitabit (p. 7).

A. Sanctis qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates meas inter illos. *Ps.* Conserva (p. 7).

A. Sancti qui sperant in Dño habebunt fortitudinem: assument pennas; ut aquilæ volabunt et non deficient. *Ps.* Dñi est terra (p. 17).

℣*s.* Exultent justi [in conspectu Dei. ℟*o.* Et delectentur in lætitia].

Lec. iv.

Hic primum videte, charissimi, quomodo maxime ad beatos Martyres verba ista pertineant. Nulli enim tantum impenderunt quantum illi qui seipsos impenderunt; sicut dicit Paulus Apostolus, Et ipse impendar pro animabus vestris.

℟. 4. Sancti tui, Dñe, mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi. In aquis validis terra apparuit arida; et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Victricem manum tuam laudaverunt pariter, et decantaverunt, Dñe, nomen sanctum tuum. In aquis validis [*&c.*] *Lec. v.*

Impenderunt enim seipsos confitendo Christum, et implendo in ejus adjutorio quod dictum est: Ad mensam magnam sedisti: scito quoniam talia oportet te præparare. Quæ est mensa magna, nisi unde Corpus Christi accipimus et Sanguinem?

℟. 5. Verbera carnificum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Christi nomine; Ut heredes fierent in domo Domini. ℣. Immania enim pro Christo in suis corporibus pertulerunt tormenta; Ut heredes fierent [in domo Dñi]. *Lec. vj.*

Quid est, Scito quoniam talia oportet te præparare, nisi quod Beatus Joannes exponit? Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus pro fratribus animam ponere.

℟. 6. O veneranda Martyrum gloriosa certamina; qui in suis corporibus pro Christo immania pertulerunt tormenta. Et ideo percipere meruerunt immarcescibilem æternæ gloriæ coronam. ℣. Despecta namque præsentis vitæ luce, contemptoque suorum corporum cruciatu, sævientem mundum Dei pro amore vicerunt. Et ideo [*&c.*] Gloria Patri, [et Filio, et Sp. Sancto.] Et ideo [*&c.*]

§ 49.) In III Nocturno, *A.* Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dñm est merces eorum. *Ps.* Exultate [justi (p. 34)].

A. Tradiderunt corpora sua prop-

Digitized by Google

ter Deum ad supplicia; ut heredes fierent in domo Dñi. *Ps.* Benedicam (p. 34).

A. Ecce merces Sanctorum copiosa est apud Deum: ipsi vero mortui sunt pro Christo, et vivent in æternum. *Ps.* Deus, venerunt (p. 64).

℣*s.* Justorum animæ [in manu Dei sunt. ℟*o.* Et non tanget illos tormentum malitiæ].

¶ *Secundum Lucam.* (Cap. 6. C.) In illo tempore, Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Hjerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis, qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et reliqua.

Sermo ex Commentario Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lectio vij. Turbæ quæ de longe ad audiendum veniunt, descendentis in campum Dñi curantur attactu. Discipuli, quia in minoribus jam sunt instituti, in montis cacumine ad majora provehuntur. Ex quibus etiam eliguntur qui eum transfiguratum secreto in monte speculentur.

℟ 7. Propter testamentum Dñi et leges paternas, Sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis. Quia unus semper fuit spiritus in eis, et una fides. ℣. Fuerunt sine querela ante Dñm, et ab invicem non sunt separati. Quia unus semper [*&c.*]

Lec. viij.

Unus, præ omnibus sublimioris sapientiæ fonte debriandus, Magistri recumbit in pectore. Raroque uspiam invenies vel turbas ad altiora Dñm sequi, vel quempiam debilem in monte curari; sed extincta febre libidinum, accensaque sapientiæ luce, pedetentim unumquemque ad eum Lumen subire Virtutum.

℟ 8. Sancti mei qui in isto sæculo certamen habuistis, Mercedem laborum ego reddam vobis. ℣. Venite benedicti Patris mei. Mercedem [*&c.*]

Lec. ix.

Et ipse, elevatis oculis in discipulos suos, dixit, Beati pauperes; quia vestrum est regnum Dei. Et si generaliter omnibus loquitur, specialius tamen oculos Salvator in Discipulos levat; ut his qui verba intentâ cordis aure percipiunt, latius saporis intimi lumen aperiatur.

℟ 9. In circuitu tuo, Dñe, lumen est quod nunquam deficiet. Ubi constituisti lucidissimas mansiones, Ibi requiescunt Sanctorum animæ. ℣. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Dñe; et æternitas temporum. Ubi [constituisti lucidissimas mansiones, Ibi requiescunt Sanctorum animæ]. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. Sancto]. Ibi [requiescunt Sanctorum animæ].

[§ 50.) *Ante Laudes*] ℣*s.* Justi autem in perpetuum vivent. ℟*o.* Et apud Dñm est merces [eorum].

In Laudibus, *Ant* 1.

Justorum autem animæ in manu Dei sunt; et non tanget illos tormentum malitiæ. *Ps.* Dñs regnavit. [*v.* § 5.]

A. 2. Cum palma ad regna pervenerunt Sancti: coronas decoris meruerunt de manu Dñi. *Ps.* Jubilate.

A. 3. Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt; et vivent nomina eorum in æternum. *Ps.* Deus, Deus [meus].

A. 4. Martyres Dñi, Dñm benedicite in æternum. *Ps.* Benedicite omnia [opera].

A. 5. Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis. *Ps.* Laudate Dñm de cœlis.

Cap. Reddet (§ 44). *Hymnus.*

Rex gloriose Martyrum,
Corona confitentium,
Qui respuentes terrena
Perducis ad cœlestia;

Aurem benignam protinus
Appone nostris vocibus.
Trophæa sacra pangimus:
Ignosce quod deliquimus.

Digitized by Google

Tu vincis in Martyribus,
Parcendo Confessoribus:
Tu vince nostra crimina,
Donando indulgentiam.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Et nunc et in perpetuum. Amen.

℣. Mirabilis Deus in Sanctis suis.
℟. Et gloriosus [in majestate sua].

Ant. Istorum est enim regnum cœlorum qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. *Ps.* Benedictus.

Alia A. Laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni. *Ps.* Benedictus.

Hæ prædictæ duæ antiphonæ dicantur alternis vicibus per hebdomadam in festis Plurimorum Martyrum tam trium quam ix lectionum super Psalmum Benedictus, *vel ad memoriam eorundem Sanctorum; ita quod semper in primis dicatur A.* Istorum est enim.

Oratio ut supra [*ad I Vesp.*]

§ 51.) AD PRIMAM, *A.* Justorum autem (§ 50). *Ps.* Deus in nomine. [*&c.: v.* § 6.]

AD TERTIAM, *A.* Cum palma (§ 50). *Ps.* Legem pone. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. Reddet Deus (§ 44).

℟. Lætamini in Dño Et exultate justi. [Lætamini in Dño Et exultate justi.] ℣. Et gloriamini omnes recti corde. Et exultate justi. Gloria Patri, [et Filio, et Sp. Sancto.] Lætamini [in Dño Et exultate justi].

℣s. Exultent justi [in conspectu Dei. ℟o. Et delectentur in lætitia].

Oratio ut supra.

AD SEXTAM, *A.* Corpora Sanctorum (§ 50.) *Ps.* Defecit. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. (Sap. 10. D.)

TRANSTULIT illos per Mare Rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam; inimicos autem illorum demersit in mare; et ab altitudine inferorum eduxit eos. [Deo gratias.]

℟. Exultent justi In conspectu Dei. [Exultent justi In conspectu Dei.] ℣. Et delectentur in lætitia. In conspectu [Dei]. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. Sancto]. Exultent [justi In conspectu Dei].

℣s. Justorum animæ [in manu Dei sunt. ℟o. Et non tanget illos tormentum malitiæ].

Oratio ut supra.

§ 52.) AD NONAM, *A.* Exultabunt (§ 50). *Ps.* Mirabilia. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. (*Ubi supra.*)

JUSTI tulerunt spolia impiorum, et decantaverunt, Dñe, nomen sanctum tuum; et victricem manum tuam laudaverunt pariter, Dñe Deus noster. [Deo gratias.]

℟. Justorum animæ In manu Dei sunt. [Justorum animæ In manu Dei sunt.] ℣. Et non tanget illos tormentum malitiæ. In manu [Dei sunt]. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. Sancto]. Justorum [animæ in manu Dei sunt].

℣s. Mirabilis [Deus in Sanctis suis. ℟o. Et gloriosus in majestate sua].

Oratio ut supra.

AD [II] VESP. *A.* Justorum autem (§ 50). *Psalmi Feriales.*

Cap. Reddet (§ 44). *Hym.* Rex gloriose. ℣s, Mirabilis Deus [*ut ad Nonam*].

A. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum; et jam non erit amplius neque luctus neque clamor; sed nec ullus dolor; quoniam priora transierunt. *Ps.* Magnificat.

Oratio ut supra [*ad I Vesp.*]

§ 53.) *Item sequuntur alia Capitula Plurimorum Martyrum; et dicantur cum Cap'is suprascriptis alternis vicibus per hebdomadam, nisi quando propria ℟ia vel propriæ Laudes habentur.*

¶ *Ad* [*utrasque*] *Vesp., et ad Mat., et ad Tertiam, dicatur Cap.* (Heb. 11. F.)

SANCTI per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti

Digitized by Google

sunt repromissiones, in Christo. Deo gratias.

¶ *Ad Sextam. Cap.* (*Ubi supra*, G.)

SANCTI ludibria et verbera experti; insuper et vincula et carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt; in occisione gladii mortui sunt. [Deo gr.]

¶ *Ad Nonam. Cap.* (*Ubi supra.*)

CIRCUIERUNT in melotis, in pellibus caprinis; egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus. [Deo gr.]

§ 54.) *Item alia Capitula Plurimorum Martyrum, quando novem lectiones vel tres habeantur, cum propria historia.*

¶ *Ad utrasque Vesp., et ad Mat., et ad Tertiam, dicatur istud Cap.* (Sap. 3. A.)

JUSTORUM animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori; illi autem sunt in pace.

¶ *Ad Sextam. Cap.* (*Ubi supra.*)

SI coram hominibus tormenta passi sunt, spes autem illorum immortalitate plena est.

¶ *Ad Nonam. Cap.* (*Ubi supra.*)

IN paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se.

Et cetera ut supra.

[§ 55.) (Ex cod. L.) *Alie Lecciones Plurimorum Martirum.*

Leccio j.

QUOCIENSCUNQUE, fratres, sanctorum Martirum festa celebramus, tociens laudes Salvatoris edicimus; et quociens eorum passiones asserimus, tociens Christi gloriam predicamus. *Lec. ij.*

NON enim suscipimus quod passi sunt, sed propter quem passi sunt dubitamus, et admiramus: igitur non pena in laude, sed fides est. *Lec. iij.*

MAGNIFICAMUS ergo Martires, non quia gravibus subiacuere suppliciis, sed quia iusticie causa eadem toleravere supplicia. *Lec. iiij.*

NAM plurimos sceleratorum peiores penas vidimus esse perpessos, sed nichil eis prosunt: quia Martires causa iustificat, scelestos sua consciencia dampnat. *Lec. v.*

SUMMO igitur et precipuo loco propter fidem habendi sunt beati Martires: videte autem quem locum idem apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub altari meruerunt. *Lec. vj.*

DICIT enim Sacra Scriptura: Vidi sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant; et clamabant, Vindica, Dñe, sanguinem nostrum. Sub ara, inquit, Dei vidi animas occisorum.

§ 56.) *Secundum Matheum.*

IN illo tempore: Videns turbas, Jesus ascendit in montem; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Omelia Beati Gregorii Pape. (*V. Annot.*)

MONS in quo sedet Dñs, mistice significat maiora precepta iusticie: quia minora erant que Judeis data sunt. *Lec. viij.*

UNUS tamen Deus per sanctos prophetas et famulos suos, secundum ordinatissimam distribucionem temporum, dedit minora precepta populo quem timore adhuc alligari oportebat. *Lec. ix.*

ET per Filium suum maiora populo quem caritate iam liberari convenerat. Cum autem minora minoribus, majoribus dantur (*v. Annot.*)]

§ 57.) IN NATALI UNIUS CONFESSORIS ET PONTIFICIS EXTRA TEMPUS PASCHALE,

AD VESPERAS, *Ant.* Justum deduxit Dñs per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum

Digitized by Google

in laboribus, et complevit labores illius. *major. Psalmi Feriales.*

Cap'm. (Eccl'i 44. C.)

ECCE Sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus; et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

Quando ix lectiones vel iij, cum propria historia, vel cum propriis Laudibus, habentur; et etiam in omnibus festis Unius Conf. et Pont. in Tempore Paschali contingentibus; tunc ad utrasque Vesp., et ad Mat's, et ad Tertiam, dicatur hoc Cap. Ecce Sacerdos *supradictum. Et ad Sextam Cap.* Benedictionem. *Ad Nonam Cap.* Cognovit eum. *In omnibus vero aliis festis, tam iij quam ix lec., Unius Conf. et Pont., dicitur ad primas Vesperas tantum.*

℟. Miles Christi (§ 61). *Hymnus.*

ISTE Confessor Domini sacratus,
Festa plebs cujus celebrat per orbem,
Hodie lætus meruit secreta
Scandere cœli.
Qui pius, prudens, humilis, pudicus
Sobrius, castus fuit, et quietus;
Vita dum præsens vegetavit ejus
Corporis artus.
Ad sacrum cujus tumulum frequenter
Membra languentûm modo sanitati,
Quolibet morbo fuerint gravata,
Restituuntur.
Unde nunc noster chorus in honore
Ipsius hymnum canit hunc libentêr;
Ut piis ejus meritis juvemur
Omne per ævum.
Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui, supra cœli residens cacumen,
Totius mundi machinam gubernat,
Trinus et unus. Amen.

§ 58.) ℣*s.* Amavit eum Dñs, et ornavit eum. ℟*o.* Stola gloriæ induit eum.

Añа. Confessor Dñi *N.*, astantem plebem corrobora sancta intercessione; ut qui vitiorum pondere premimur, beatitudinis tuæ gloria sublevemur, et te duce æterna præmia consequamur. *Ps.* Magnificat (p. 99). *Or'o.*

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos beati *N.*, Confessoris tui atque Pontificis, hodiernâ festivitate lætificas; tuam supplices exoramus clementiam, ut cujus solennia devotis officiis veneramur, ejus piis suffragiis æternæ vitæ remedia consequamur. Per. *Alia Oratio.*

DA, quæsumus omnipotens Deus, ut beati *N.*, Confessoris tui atque Pontificis, veneranda solennitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per.

¶ *Cum vero duo festa unius Conf. et Pont. simul contigerint, tunc fiet memoria de alio festo cum hac Añа:* Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

℣*s.* Justum deduxit [Dñs per vias rectas. ℟*o.* Et ostendit illi regnum Dei].

Oratio ut decet.

§ 59.) AD MATUTINAS, *In festis ix lec., vel iij. quæ habent invitatorium duplex, Inv.* Unum Deum in trinitate fideliter adoremus: Cujus fide Deo vivit sanctus Præsul *N. Ps.* Venite (p. 122).

In festis iij lec. quando inv. est simplex, Inv. Regem Confessorum Dñm, Venite [adoremus]. *Ps.* Venite.

Hymnus, Iste Confessor (§ 57).

IN PRIMO NOCT. *Ant.* Beatus vir qui in lege Dñi meditatur: voluntas ejus permanet die ac nocte; et omnia quæcunque faciet semper prosperabuntur. *Ps.* Beatus vir (p. 1).

A. Beatus iste Sanctus qui confisus est in Dño: prædicavit præceptum Dñi: constitutus est in monte sancto ejus. *Ps.* Quare fremuerunt (p. 2).

A. Tu es gloria mea; tu es susceptor meus, Dñe; tu exaltans caput meum; et exaudisti me de monte sancto tuo. *Ps.* Dñe, quid multiplicati (p. 2).

℣*s*, Amavit eum (§ 58).

Digitized by Google

Lectio j.

DOMINICUS sermo, quem debemus omnes non solum studiose, verum etiam sapienter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire, moderationis suæ ubique tenens temperiem, ut nec ovibus desint pabula, nec pastoribus alimenta, quædam specialiter solis præcepit nobis, quædam vero generaliter nobis et vobis.

℟. 1. Euge serve bone et fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: Intra in gaudium Dñi tui. ℣. Dñe, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum. Intra [in gaudium Dñi tui]. *Lec. ij.*

NOBIS namque, — id est servis quos ille Paterfamilias, rerum omnium Dñs, ad hoc in magna domo sua constituit, ut populo ejus verbum gratiæ ministremus, — specialiter injungitur sanctæ prædicationis officium; generaliter vero et nobis et vobis salutaris indicitur obedientia mandatorum.

℟. 2. Ecce Sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo. Ideo jurejurando fecit illum Dñs crescere in plebem suam. ℣. Benedictionem omnium gentium dedit illi; et testamentum suum confirmavit super eaput ejus. Ideo jurejurando [*&c.*]

Lectio iij.

IN his denuo mandatis, tanquam ditissimis ferculis, sic cœlestium deliciarum copia spiritualis exuberat, ut in verbo Dei abundet quod perfectus comedat, abundet etiam quod parvulus sugat. Ibi est simul et lacteus potus quo tenera fidelium nutriatur infantia, et solidus cibus quo robusta perfectorum juventus spiritualia sanctæ virtutis accipiat incrementa.

℟. 3. Juravit Dñs, et non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum, Secundum ordinem Melchisedech. ℣. Dixit Dñs Dño meo: Sede a dextris meis. Tu es [— Melchisedech]. Gloria [— Sp. S.] Secundum [ordinem Melch.]

§ 60.) IN II NOCT. *A.* Invocantem exaudivit Dñs Sanctum suum: Dñs exaudivit eum, et constituit eum in pace. *Ps.* Cum invocarem (p. 2).

A. Lætentur omnes qui sperant in te, Dñe: quoniam tu benedixisti justo: scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum. *Ps.* Verba (p. 2).

A. Dñe Dñs noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! quia gloria et honore coronasti Sanctum tuum; et constituisti eum super opera manuum tuarum. *Ps. Ipsum* (p. 4).

℣*s.* Justum deduxit [Dñs per vias rectas. ℟*o.* Et ostendit illi regnum Dei]. *Lec. iij.*

IBI prorsus ad salutem consulitur universis quos Dñs salvare dignatur. Ibi est quod omni ætati congruat: ibi est quod omni professioni conveniat. Ibi audivimus præcepta quæ faciamus: ibi cognoscimus præmia quæ speremus. Ibi est jussio quæ nos per litteram doceat et instruat ad scientiam: ibi promissio quæ per gratiam trahat et perducat ad gloriam.

℟. 4. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea. Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum. Manus [*&c.*] *Lec. v.*

SERVORUM igitur quos populo suo præposuit Dñs specialiter volens officium demonstrare, ait quod in Euangelio sæpe audivimus: Quisputas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dñs super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus quem, cum venerit Dñs, invenerit sic facientem.

℟. 5. Magnificavit eum in conspectu regum. Et dedit illi coronam

Digitized by Google

gloriæ. ℣. Statuit illi testamentum sempiternum. Et [*&c.*] *Lec. vj.*

QUIS est iste Dñs, fratres? Christus sine dubio; qui suis discipulis ait: Vos vocatis me Magister et Domine; et bene dicitis: sum etenim. Quæ est etiam hujus Domini familia? Nimirum illa est quam ipse Dñs de manu inimici redemit, et Domino suo mancipavit. Hæc autem familia sancta est Ecclesia, quæ per orbem terrarum copiosâ fertilitate diffunditur, et redemptam se pretioso Christi sanguine gloriatur.

℟. 6. Sancte N., Christi Confessor, audi rogantes servulos, Et impetratam cœlitus Tu defer indulgentiam. ℣. O sancte N., sydus aureum Dñi gratia, servorum gemitus solita suscipe clementia. Et impetratam [cœlitus Tu defer indulgentiam]. Gloria [— Sp. S.] Tu [defer ind.]

§ 61.) IN III NOCT. *A.* Dñe, iste Sanctus habitabit in tabernaculo tuo: operatus est justitiam: requiescet in monte sancto tuo. *Ps.* Dñe, quis (p. 7).

A. Vitam petiit a te, et tribuisti ei, Dñe: gloriam et magnum decorem imposuisti super eum: posuisti in capite ejus coronam de lapide precioso. *Ps.* Dñe, in virtute (p. 11).

A. Hic accipiet benedictionem a Dño, et misericordiam a Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dñm. *Ps.* Dñi est terra (p. 17).

℣s. Justus ut palma florebit. *℟o.* Sicut cedrus [Libani multiplicabitur].

Secundum Matthæum. (Cap. 25. A.) IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua Et reliqua.

Homelia Beati Gregorii Papæ.

Lectio vij. Lectio sancti Euangelii, fratres charissimi, sollicite considerare nos admonet, ne nos qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi gravius inde judicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto igitur esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior, quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.

℟. 7. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est. Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat [p. p. o. p.]

Lectio viij.

ECCE homo qui peregre proficiscitur servos suos vocat, eisque ad negotium talenta partitur. Post multum vero temporis posturus rationem revertitur: bene operantes pro apportato lucro remunerat, servum vero a bono opere torpentem damnat. Quis itaque iste homo est qui peregre proficiscitur nisi Redemptor noster, qui in ea carne quam assumpserat abiit in cœlum?

℟. 8. Iste homo ab adolescentia sua partim meruit infirmos curare. Dedit illi Dñs claritatem magnam, cæcos illuminare, et dæmones effugare. ℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Dedit illi Dñs claritatem [*&c.*]

Lectio ix.

CARNIS enim locus proprius terra est; quæ quasi ad peregrinandum ducitur, dum per Redemptorem nostrum in cœlo collocatur. Sed homo iste peregre proficiscens servis suis bona sua tradidit, quia fidelibus suis spiritualia bona concessit. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum. Quinque enim sunt corporis sensus: videlicet, visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus. Quinque igitur talentis, donum quinque sensuum (id est exteriorum sci-

Digitized by Google

entia) exprimitur. Duobus vero, intellectus et operatio designatur. Unius autem talenti nomine tantummodo intellectus designatur.

℟. 9. Miles Christi gloriose, *N.* sanctissime, Tuo pio interventu Culpas nostras ablue. ℣. Ut cœlestis regni sedem valeamus scandere. Tuo [— ablue]. Gloria [— Sp. S.] Culpas [n. a.]

[§ 62.) *Ante Laudes*] ℣*s.* Ora pro nobis, beate *N.* [℟*o.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi.]

Iste ℣*s dicitur semper ante Laudes in festis novem lect. Unius Confessoris. In festis vero trium lect.* ℣*s* Justum deduxit (§ 60) *vel* ℣*s* Justus ut palma (§ 61).

In Laudibus, *Ant.* 1.

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus. *Ps.* Dñs regnavit. [*v.* § 5.]

A. 2. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. *Ps.* Jubilate Deo omnis terra.

A. 3. Fidelis servus et prudens, quem constituit Dñs supra familiam suam. *Ps.* Deus Deus meus.

A. 4. Beatus ille servus quem cum venerit Dñs et pulsaverit januam, et invenerit eum vigilantem. [*V. Annot.*] *Ps.* Benedicite.

A. 5. Serve bone et fidelis, intra in gaudium Dñi tui. *Ps.* Laudate Dñm de cœlis.

Cap'm. (Eccl'i 44. D.)

Benedictionem omnium gentium dedit illi Dñs; et testamentum suum confirmavit super caput ejus.

Quando fiunt ix vel iij lectiones cum communi historia Unius Conf. et Pont. extra Tempus Paschale, tunc dicatur ad Laudes, et ad Tertiam, et ad ij Vesp., hoc Cap. Benedictionem. [Cf. § 57, *et Annot.*] *Hymnus.*

Jesu Redemptor omnium,
Perpes corona præsulum,
In hac die clementius
Nostris faveto vocibus;

Tui sacri qua nominis
Confessor almus claruit
Cujus celebrat annua
Devota plebs solennia.

Qui rite mundi gaudia
Hujus caduca respuens,
Cum angelis cœlestibus
Lætus potitur præmiis.

Hujus benigne annue
Nobis sequi vestigia:
Hujus precatu servulis
Dimitte noxam criminis.

Sit, Christe, Rex piisime,
Tibi Patrique gloria;
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna sæcula. Amen.

℣*s.* Justus germinabit [sicut lilium. ℟*o.* Et florebit in æternum ante Dñm].

Añа. Euge serve bone et fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dñs. *Ps.* Benedictus (p. 15).

Oratio ut supra.

¶ *Si duo festa unius Conf. et Pont. simul contingant, tunc fiat memoria de alio festo cum hac añа,* Iste est qui ante Deum. *require hanc ant. ad ij Vesp's Unius Conf. et Pont.*

℣*s,* Justus ut palma (§ 61).

Oratio ut supra.

§ 63.) Ad Primam. *A.* Ecce sacerdos (§ 62*).*

Ps. Deus in nomine. [*&c.: v.* § 6.]

Ad Tertiam. *A.* Non est inventus (§ 62). *Ps.* Legem pone. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. Benedictionem.

℟. Amavit eum Dñs, Et ornavit eum. [Amavit eum Dñs, Et o. e.] ℣. Stola gloriæ induit eum. Et ornavit [eum]. Gloria [— Sp. S.] Amavit [eum — eum].

℣*s,* Justum deduxit (§ 58).

Oratio ut supra.

Ad Sextam. *A.* Fidelis servus (§ 62). *Ps.* Defecit. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. (*Ubi supra.*)

Cognovit eum in benedictionibus suis: conservavit illi misericor-

Digitized by Google

diam suam; et invenit gratiam coram oculis Dñi.

℟. Justum deduxit Dñs Per vias rectas. [Justum — rectas.] ℣. Et ostendit illi regnum Dei. Per [v. r.] Gloria [— Sp. S.] Justum [— rectas].

℣*s*, Justus ut palma (§ 61).

Oratio ut supra.

Ad Nonam, *A.* Serve bone et fidelis (§ 62). *Ps.* Mirabilia. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. (Eccl'i 45. A, B. [*v. Ann.*])

MAGNIFICAVIT eum in conspectu regum, et dedit illi coronam gloriæ.

℟. Justus ut palma florebit, In domo Dñi. [Justus — Dñi.] ℣. Sicut cedrus Libani multiplicabitur. In domo Domini. Gloria [— Sp. S.] Justus ut palma [— Dñi].

℣*s*, Justus germinabit (§ 62).

Oratio ut supra.

Ad II Vesp's, *A.* Ecce sacerdos magnus (§ 62). *Psalmi Feriales.*

Cap. Benedictionem. [*V.* § 57 *et* 62, *cum Annott.*]

Si duplex festum fuerit, dicitur ℟. Sancte *N.*, Christi Confessor (§ 60): *sin autem, nullum* ℟ *dicatur.*

Hymnus, Jesu Redemptor (§ 62).

℣*s*, Justus germinabit (§ 62).

A. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. *Ps.* Magnificat.

Oratio ut supra.

§ 64.) ¶ *Item aliæ Lectiones Unius Conf. et Pont.*

Lectio prima.

SERVUS igitur qui geminata talenta retulit, a Dño laudatur, atque ad æternam remunerationem perducitur; cum ei voce Dominica dicitur: Euge serve bone et fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. *Lectio ij.*

PAUCA quippe, fratres, sunt bona omnia præsentis vitæ, quantumlibet esse multa videantur, in comparatione retributionis æternæ. Sed tunc fidelis servus supra multa constituitur, quando, devicta omni corruptionis molestia, de æternis gaudiis in illa cœlesti sede gloriatur.

Lectio iij.

TUNC enim in Dñi sui gaudium perfecte intromittitur, quando in illa æterna patria assumptus, atque angelorum cœtibus admixtus, sic interius gaudet de munere, ut non sit quod jam exterius doleat de corruptione.

§ 65.) *Lectio iiij.*

SERVUS qui operari de talento noluit, cum verbis excusationis ad Dñm redit, dicens: Dñe, scio quia homo durus es: metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti; et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est. Notandum vero quod inutilis servus Dñm durum vocat; cui tamen ad lucrum deservire dissimulat. Et timuisse se dicit in lucrum talentum expendere, qui hoc solum timere debuerat, ne hoc sine lucro ad Dominum reportaret. *Lectio v.*

SUNT autem plerique intra sanctam Ecclesiam quorum iste servus imaginem tenet, qui melioris vitæ vias aggredi metuunt, et tamen jacere in sui corporis ignavia non pertimescunt. Cum enim peccatores se considerant, sanctitatis vias arripere trepidant, et remanere in iniquitatibus suis non formidant. *Lectio vj.*

SED qui idcirco melioris habitus vias et rectioris vitæ apprehendere arcem nolunt, quia infirmos se esse conspiciunt, quasi ét peccatores se fatentur, èt Dñm repellunt; eumque in quo sanctificari debuerant refugiunt. Et, velut in perturbatione positi, consilium non habent; dum moriuntur et vitam timent. Unde et huic servo protinus respondetur: Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non spargo. Oportuit ergo te

Digitized by Google

dare pecuniam meam nummulariis, ut et ego veniens recepissem utique quod meum est cum usura.

§ 66.) *Euangelium secundum Matthæum.* (Cap. 24. D.)

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigilate; quia nescitis qua hora Dñs vester venturus sit. Et reliqua.

Homelia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lectio vij. Hac similitudine ostendit Dñs adventum suum semper debere esse suspectum. Paterfamilias enim animus noster est, qui corpus et omnia officia corporis more patrisfamilias regit et continet. Fur autem mors est improvise adveniens.

Lectio viij.

Fur igitur domum perfodit, cum mors repente et subito repentinum transitum parat. Paterfamilias vero si sciret adventum furis, utique vigilaret, et non sineret perfodi domum suam; quia si animus noster sedulo diem mortis inspiceret, sine dubio a torpore suo per omnia vigilaret.

Lectio ix.

Servus autem fidelis et prudens intelligitur chorus Apostolorum et imitatorum eorum. Recte ordo Apostolorum servus fidelis et prudens dicitur. Fidelis enim est, quia fideliter et devote substantiam Dñi sui dispensat. Prudens est, quia in distribuendo capacitatem singulorum discernit.

[§ 67.) COMMUNE UNIUS CONFESSORIS ABBATIS, CUM CAPITULIS ET TERTII NOCTURNI LECTIONIBUS DE QUOCUNQUE CONFESSORE, EXTRA TEMPUS PASCHALE.]

In Natali Unius Confessoris Abbatis,

Ad Vesp., *super Psalmos A.* Amavit eum Dñs, et ornavit eum: stola gloriæ induit eum; et ad portas Paradisi coronavit eum.

Psalmi Feriales.

Cap. (Eccl'i 39. A.)

Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dñm qui fecit illum; et in conspectu Altissimi deprecabitur. ℟. Vir Israelita (§ 68).

Hymnus, Iste Confessor (§ 57).

℣*s,* Amavit eum (§ 58).

Ańa. Similabo eum viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram. *Ps.* Magnificat.

Oratio de Proprietate.

§ 68.) Ad Mat. *In festis ix lectionum, vel iij quando invitatorium est duplex, Inv.* Justus florebit in domo Dñi plantatus. Gaudeamus et exultemus in ejus sacra solennitate. *Ps.* Venite (p. 122).

In festis trium lect. quando inv. est simplex, Inv. Regem Confessorum [Dñm, Venite adoremus]. *Ps.* Venite.

Hymnus, Iste Confessor (§ 57).

In primo Nocturno, et in sequentibus Nocturnis, ańæ, psalmi, et versiculi de Communi Unius Conf. et Pont.: lectiones legantur de Proprietate.

℟ *j.* Euge serve. *quære in Communi unius Conf. et Pont.*

℟ *ij.* Justus germinabit sicut lilium. Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et [*&c.*]

℟ *iij.* Vir Israelita, gaude coheres Christi. Intercede pro nobis. ℣. Ut precibus tuis a Deo veniam speremus, devoti ad te confugimus. Intercede pro [nobis. Gloria — Sp. S. Intercede pro nobis].

In II Noct. *A.* Invocantem. *Ps.* Cum invocarem. *et cetera ańæ cum suis psalmis* [*ut* § 60].

℣*s,* Justum deduxit (§ 60).

Digitized by Google

℟ *iiij.* Magnificavit. *quære in Communi unius Conf. et Pont.*

℟ *v.* Amavit eum Dñs, et ornavit eum: stola gloriæ induit eum. Et ad portas Paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dñs lorica fidei, et ornavit eum. Et [*&c.*]

℟ *vj.* Sancte *N.*, Christi Confessor. *quære in Communi Unius Conf. et Pont.*

§ 69.) In III Noct. *A.* Dñe, iste Sanctus. *Ps.* Dñe, quis habitabit. [*et ceteræ añæ cum psalmis suis, ut* § 61].

℣*s*, Justus ut palma (§ 61).

℟ *vij*, Iste est qui ante: ℟ *viij*, Iste homo: ℟ *ix*, Miles Christi gloriose: *quære hæc iij* ℟*ia in Communi unius Conf. et Pont.*

¶ ℣*s*, Justus ut palma. [*v. Ann.*]

Secundum Lucam. (Cap. 11. D.)

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nemo accendit lucernam et in abscondito ponit, neque sub modio; sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homelia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lectio vij. De seipso Dñs hoc loquitur; ostendens, et si supra dixerat nullum generationi nequam nisi signum Jonæ prophetæ dandum, nequaquam tamen lucis suæ claritatem fidelibus occultandam. ℟. Iste est qui ante Deum (§ 61). *Lec. viij.* Ipse quippe lucernam accendit, qui testam humanæ naturæ flamma suæ divinitatis implevit. Quam profecto lucernam nec credentibus abscondere, nec modio supponere, hoc est sub mensura legis includere, vel intra unius Judææ gentis terminos voluit cohibere. Sed super candelabrum, inquit; ut qui ingrediuntur lumen videant. ℟. Iste homo (§ 61).

Lectio ix.

Candelabrum Ecclesiam dicit; cui lucernam superposuit, quia in nostris frontibus fidem suæ Incarnationis affixit. Ut qui Ecclesiam ingredi fideliter voluerint, lumen veritatis palam queant intueri. Qua sententia Judæorum quoque proceres condemnat, qui signa quærentes exterius, apertam lucis januam noluerunt intrare credendo. ℟. Miles Christi gloriose, *N.* (§ 61).

[**§ 70.)** *Ante Laudes,*] *In festis ix lect.* ℣*s* Ora pro nobis (§ 62). *In festis iij. lect.* ℣*s* Justum deduxit (§ 60), *vel* ℣*s* Justus ut palma (§ 61).

In Laudibus, *Añæ* 1. Justum deduxit Dñs per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. [*minor: cf.* § 57.] *Ps.* Dñs regnavit. [*v.* § 5.]

A. 2. Non est inventus [*v. infra*]. *Ps.* Jubilate Deo omnis terra.

A. 3. Fidelis servus. *Ps.* Deus, Deus meus.

A. 4. Beatus ille. *Ps.* Benedicite.

A. 5. Serve bone. *Ps.* Laudate.

Require has iiij añas in Laudibus in Communi Unius Conf. et Pont. (§ 62).

Cap. Justus cor suum (§ 67). *Hymnus*, Jesu Redemptor (§ 62). ℣*s*, Justus germinabit (*ibid.*)

Añæ, Euge serve. (*ib.*) *Ps.* Benedictus.

Oratio ut supra.

§ 71.) Ad Primam, *A.* Justum deduxit [*minor:* § 70.] *Ps.* Deus in. [*&c.: v.* § 6.]

Ad Tertiam, *A.* Non est inventus (§ 62). *Ps.* Legem pone. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. Justus cor suum (§ 67).

℟*ia et versiculi ad omnes Horas dicuntur ut supra in Communi Unius Conf. et Pont.*

Ad Sextam, *A.* Fidelis servus (§ 62). *Ps.* Defecit. [*&c.: v.* § 6.]

Capitulum. (Eccl'i 39. A.)

Si enim magnus Dñs voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum; et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, et in oratione confitebitur Dño.

Ad Nonam, *A.* Serve bone et fidelis (§ 62). *Ps.* Mirabilia. [*&c.: v.* § 6.]

Digitized by Google

Capitulum (*Ubi supra*, B.)

DOMINUS diriget consilium ejus et disciplinam; et in lege testamenti Dñi gloriabitur.

AD VESPERAS, *A.* Justum deduxit *minor* (§ 70). *Psalmi Feriales.*

Cap. Justus cor suum (§ 67). *Hymnus*, Jesu Redemptor (§ 62). ℣*s*, Justus germinabit (*ibid.*) *A.* Iste est qui ante Deum (§ 63). *Ps.* Magnificat.

Oratio ut supra.

§ 72.) ¶ Item alia Capitula, [cum aliis Nocturni Tertii Lectionibus,] de quocunque Confessore.

[*Ad utrasque Vesp's, et ad Mat's, et ad Tertiam,*]

Capitulum. (Sap. 10. B.)

JUSTUM deduxit Dñs per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.

Ad Sextam. *Cap.* (Sap. 10. C.)

CUSTODIVIT eum Dñs ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum; et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia.

Ad Nonam. *Cap.* (Sap. 10. C.)

SAPIENTIA venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum.

Secundum Marcum. (Cap. 13. D.)

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Videte, vigilate, et orate: nescitis enim quando tempus sit. Et reliqua.

Homelia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lec. vij. Vigilare et orare, et cautos existere, discipulos suos Dñs monuit; sed tamen eis judicii ultimi tempus ostendere noluit: quia magis illis profuit hoc nescire quam scire; ut semper suspecti, semperque parati, vigilarent. *Lec. viij.* UNDE is quidem vigilat qui vanis mundi gaudiis dormit, et præceptis divinis excubat. Utiliter enim orat qui talem se exhibet, ut percipere valeat quod in orationibus postulat.

Lectio ix.

NESCITIS enim quando tempus sit. Ac si diceret, Sicut ignorastis diem introitus vestri in mundum, ita ignoratis et diem exitus vestri de mundo.

[¶ *Ante Laudes*] ℣*s*. Ora pro nobis, beate *N.* [℟*o*. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.]

§ 73.) IN NATALI PLURIMORUM CONFESSORUM [EXTRA TEMPUS PASCHALE],

AD VESPERAS, *Ant.* Sancti per fidem (§ 44). *Psalmi Feriales.*

Capitulum. (Heb. 7. D.)

PLURES facti sunt sacerdotes secundum legem, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Jesus autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.

℟. Justi in perpetuum vivent, et apud Dñm est merces eorum, Et cogitatio eorum Apud Altissimum. ℣. Ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Dñi. Et [cogitatio eorum apud Altissimum.] Gloria, laus, et honor; decus, potestas, et jubilatio; Patri et Nato et Spiritui Sancto. Apud [Altissimum].

Hymnus: [*Tres versus, nempe,*] Sanctorum meritis. Hi sunt quos. Te summa Deitas. [*ex Comm. Plur. Martt.*, § 44.]

℣*s*, Lætamini. [*ibid.*]

Ańa. Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent: judicabunt nationes, et regnabunt in æternum. *Ps.* Magnificat. *Or'o.* BEATORUM Confessorum tuorum *N.* et *N.* nos, Dñe, tuere præsidiis; ut quorum festivitatem annua devotione recolimus, eorum inter-

Digitized by Google

cessione ab omnibus adversitatibus eruamur. Per Dñm nostrum [*&c.*]

Alia Oratio.

DEUS qui nos sanctorum Confessorum tuorum *N.* et *N.* confessionibus gloriosis circundas et protegis; da nobis, ét eorum imitatione proficere, èt intercessione gaudere. Per Dñm [*&c.*]

§ 74.) AD MAT'S, *In festis ix lec. Inv.* Mirabilem Deum in Sanctis suis, Venite adoremus collaudantes. *Ps.* Venite (p. 122).

In festis vero iij lec. Inv. Regem Confessorum (§ 59). *Ps.* Venite.

Hymnus: [*Tres versus,*] Sanctorum meritis. Hi sunt quos. Te summa. [*ut* § 73].

IN I NOCT. *A.* Secus decursus aquarum plantavit vineam justorum; sed in lege Dñi fuit voluntas eorum. *Ps.* Beatus vir qui non (p. 1).

A. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dñs; et quasi holocausta accepit illos in æternum. *Ps.* Quare fremuerunt (p. 2).

A. Filii hominum, scitote quia Dñs Sanctos suos mirificavit. *Ps.* Cum invocarem (p. 2).

℣. *s*, Lætamini (§ 45). *Lectio j.*

BEATI sunt servi illi quos cum venerit Dñs, invenerit vigilantes. Vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat qui servat operando quod credit. Vigilat qui a se torporis et negligentiæ tenebras repellit. Hinc enim Paulus dicit: Evigilate justi, et nolite peccare.

℟. 1. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum; et jam non erit amplius neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor. Quoniam priora transierunt. ℣. Non esurient neque sitient amplius; et non cadet super illos sol, neque ullus æstus. Quoniam [p. t.] *Lec. ij.*

HINC rursus ait: Hora est jam nos de somno surgere. Sed veniens Dñs quid servis vigilantibus exhibeat audiamus. Amen dico vobis quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Præcinget se: id est, ad retributionem præparabit. Faciet illos discumbere: id est, in æterna quiete refoveri. Discumbere quippe nostrum, est in æterno regno quiescere.

℟. 2. Exultabunt Sancti in gloria: Lætabuntur in cubilibus suis. ℣. Epulentur et exultent in conspectu Dei. Lætabuntur [in c. s.] *Lec. iij.*

UNDE rursus Dñs dicit: Venient et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob. Transiens autem Dñs ministrat, quia lucis suæ illustratione nos satiat. Transire vero Dñi est cum de judicio ad regnum redit. Sed certe Dñs nobis post judicium transit, quia ab humanitatis forma in divinitatis suæ contemplatione nos elevat.

℟. 3. Justi in perpetuum. *ut supra ad j Vesp.* (§ 73.)

§ 75.) IN II NOCT. *A.* Lætentur omnes qui sperant in te, Dñe; quoniam tu benedixisti justis: scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eos. *Ps.* Verba (p. 2).

A. Dabo sanctis meis locum nominatum in regno Patris mei, dicit Dñs. *Ps.* Dñe, quis habitabit (p. 7).

A. Sanctis qui in terra ejus sunt, mirificavit omnes voluntates meas inter illos. *Ps.* Conserva (p. 7).

℣. *s.* Exultent justi in conspectu Dei. [℟*o.* Et delectentur in lætitia].

Lectio iv.

EST transire ejus est in claritatis suæ speculationem nos ducere, cum eum quem in humanitate in judicio cernimus, etiam in divinitate post judicium videamus. Ad judicium quippe veniens in forma servi omnibus apparet; quia scriptum est, Videbunt in quem transfixerunt: sed reprobi in supplicium corruunt, justi ad claritatis ejus gloriam pertrahuntur, sicut scriptum est: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.

℟. 4. Lætamini justi, et exultate in

Digitized by Google

Dño. Et gloriamini omnes recti corde. ℣. Cantate ei canticum novum: bene psallite ei in vociferatione. Et [&c.] *Lec. v.*

SED quid si servi in prima vigilia negligentes existunt? Prima vigilia primævæ ætatis custodia est. Sed neque sic desperandum et a bono opere cessandum est. Nam longanimitatis suæ patientiam insinuans Dñs subdit, Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.

℟. 5. Sancti tui, Dñe, mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis; ut invenirentur illæsi. In aquis validis terra apparuit arida, et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Victricem manum tuam laudaverunt pariter; et decantaverunt, Dñe, nomen sanctum tuum. In [&c.]

Lec. vj.

PRIMA quippe vigilia primævum tempus est; id est pueritia. Secunda, adolescentia vel juventus. Tertia autem senectus accipitur. Qui ergo vigilare noluerit in prima vigilia, custodiat vel secundam. Ut qui converti a pravitatibus suis in pueritia neglexerit, ad vias vitæ saltem in tempore juventutis evigilet. Et qui vigilare in secunda vigilia noluerit, tertiæ vigiliæ remedia non amittat.

℟. 6. In circuitu tuo, Dñe, lumen est quod nunquam deficiet. Ubi constituisti lucidissimas mansiones, Ibi requiescunt Sanctorum animæ. ℣. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Dñe; et æternitas temporum. Ubi constituisti [— animæ]. Gloria Patri, [—Sp. S.] Ibi requiescunt [Sanctorum animæ].

§ 76.) IN III NOCT. *A.* Sancti qui sperant in Dño habebunt fortitudinem: assument pennas ut aquilæ: volabunt, et non deficient. *Ps.* Dñi est terra (p. 17).

A. Justi autem in perpetuum vivent; et apud Dominum est merces eorum. *Ps.* Exultate justi (p. 34).

A. O quam gloriosum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti: amicti stolis albis sequuntur Agnum quocunque ierit. *Ps.* Quam dilecta (p. 68).

℣*s.* Justorum animæ in manu [Dei sunt. ℟*o.* Et non tanget illos tormentum malitiæ].

Secundum Lucam. (Cap. 12. E.)

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homelia Beati Gregorii Papæ.

Lectio vij. Sancti Euangelii, fratres charissimi, aperta est lectio recitata; sed ne aliquibus ipsa ejus planicies alta fortasse videatur, eam sub brevitate transcurrimus; quatenus ejus expositio ita nescientibus fiat cognita, ut tamen scientibus non sit onerosa. Quia viris luxuria in lumbis sit, feminis in umbilico, testatur Dñs; qui de diabolo ad beatum Job loquitur dicens, Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo ejus in umbilico ventris ejus. A principali igitur sexu lumborum nomine luxuria designatur, cum Dñs dicit, Sint lumbi vestri præcincti.

℟. 7. Sacerdotes ejus induant justitiam. Et Sancti ejus exultatione exultabunt. ℣. Illuc producam cornu David: paravi lucernam Christo meo. Et Sancti ejus [ex. ex.]. *Lec. viij.*

LUMBOS enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coartamus. Quia vero minus est mala non agere, nisi etiam quisque studeat et bonis operibus insudare, protinus additur, Et lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. De quibus profecto operibus Dñs dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona,

Digitized by Google

et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

℟. 8. Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt. Et vivent nomina eorum in æternum. ℣. Sapientiam Sanctorum narrabunt omnes populi, et laudem eorum pronunciat omnis Ecclesia Sanctorum. Et vivent [*&c.*]

Lectio ix.

Duo autem sunt quæ jubentur; ét lumbos restringere, èt lucernas tenere. Ut ét mundicia sit castitatis in corpore, èt lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro unum sine altero placere nequaquam potest. Castitas ergo non magna est sine bono opere; nec opus bonum est aliquod sine castitate. Sed si utrumque agitur, restat ut (quisquis est) spe ad supernam patriam tendat.

℟. 9. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Et vos similes hominibus expectantibus Dñm suum Quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dñs vester venturus sit. Et vos similes [— a nuptiis]. Gloria [— Sp. S.] Quando [r. a. n.]

[§ 77.) *Ante Laudes*] ℣*s.* Justi autem [in perpetuum vivent. ℟*o.* Et apud Dñm est merces eorum].

In Laudibus, *Añа* 1.

Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ. *Ps.* Dominus regnavit. [*v.* § 5.]

A. 2. Cum palma ad regna pervenerunt Sancti; coronas decoris meruerunt de manu Dñi. *Ps.* Jubilate Deo omnis terra.

A. 3. Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt; et vivent nomina eorum in æternum. *Ps.* Deus, Deus.

A. 4. Sacerdotes Dei benedicite Dño: servi Dñi hymnum dicite Deo in æternum. *Ps.* Benedicite omnia.

A. 5. Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis. *Ps.* Laudate Dñm de cœlis.

Cap. Plures facti sunt (§ 73).

Hym. Rex gloriose Martyrum. *totus hymnus dicitur sicut in Communi Plurimorum Martyrum.*

℣*s.* Mirabilis Deus in Sanctis [suis. ℟*o.* Et gloriosus in majestate sua].

Ant. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris; et vos similes hominibus expectantibus Dñm suum quando revertatur a nuptiis. *Ps.* Benedictus.

Oratio ut supra.

§ 78.) Ad Primam, *A.* Justorum autem animæ (§ 77). *Ps.* Deus in nomine. [*&c.*: *v.* § 6.]

¶ *Ad Tertiam, A.* Cum palma (§ 77). *Ps.* Legem pone. [*&c.*: *v.* § 6.]

Cap. Plures facti (§ 73).

℟*ia et Versiculi de Communi Plurimorum Martyrum ad omnes Horas dicantur.*

¶ *Ad Sextam, A.* Corpora (§ 77). *Ps.* Defecit. [*&c.*: *v.* § 6.]

Cap. (*Phil.* 3. [A: *v. Annot.*])

Sancti et justi, in Dño gaudete: vos elegit Deus in hereditatem sibi.

¶ *Ad Nonam, A.* Exultabunt (§ 77). *Ps.* Mirabilia. [*&c.*: *v.* § 6.]

Cap. (*Sap.* 5. C.)

Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dñm est merces eorum, et cogitatio eorum apud Altissimum.

Ad II Vesp. *A.* Justorum autem (§ 77). *Psalmi Feriales.*

Cap. Plures facti (§ 73). *Hym.* Rex gloriose Martyrum. ℣*s*, Mirabilis Deus (§ 77.)

Añа. Sanctum est verum lumen, et admirabile; ministrans lucem his qui permanserunt in agone certaminis: recipient a Christo splendorem sempiternum, in quo assidue felices lætantur. *Ps.* Magnificat.

Oratio ut supra ad j Vesp's.

Digitized by Google

§ 79.) IN NATALI UNIUS VIRGINIS ET MARTYRIS.

[*De Tempore Paschali vide Annotationes.*]

AD I VESPERAS, *Ant.* Hæc est virgo prudens, quæ veniente Sponso aptavit lampades suas, et introivit cum Domino ad nuptias. *Psalmi Feriales.*

Cap'm. (Eccl'i 51. B.)

DOMINE Deus meus, exaltasti super terram habitationem meam; et pro morte defluenti deprecata sum.

℟. Regnum mundi (§ 82).

Hymnus.

VIRGINIS proles, opifexque Matris,
Virgo quem gessit, peperitque (Virgo;
Virginis festum canimus trophæum:
Accipe votum.

Hæc tua virgo, duplici beata
Sorte, dum gestit fragilem domare
Corporis sexum, domuit cruentum
Corpore sæc'lum.

Unde nec mortem nec amica mortis
Sæva pœnarum genera pavescens,
Sanguine fuso meruit secreta
Scandere cœli.

Hujus obtentu, Deus alme, nostris
Parce jam culpis, vitia remittens;
Quo tibi puri resonemus almum
Pectoris hymnum.

Gloria Patri genitæque Proli,
Et tibi, compar utriusque, semper,
Spiritus alme; Deus unus omni
Tempore sæc'li. Amen.

℣. Diffusa est [gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum].

Añia. Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti; quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. *Ps.* Magnificat (p. 99). *Oratio.*

INDULGENTIAM nobis, Dñe, Beata *N.*, Virgo et Martyr, imploret; quæ tibi grata semper extitit et merito castitatis et tuæ professione virtutis. Per [*&c. ut* § 27]. *Alia Oratio.*

EXAUDI nos, Deus salutaris noster, ut, sicut de Beatæ *N.*, Virginis tuæ et Martyris, festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dñm [*&c.*]

§ 80.) AD MATUTINAS, *In festis ix lectionum tantum, Invitatorium:* Christum venerantes Deum, adoremus Regem Regum: Qui in cœlis *N.* palmam hodie dedit æternam. *Ps.* Venite (p. 122).

In festis ix lec. vel trium quando est inv. duplex, Inv. Agnum Sponsum Virginum: Venite adoremus, Dñm Jesum Christum. *Ps.* Venite.

In festis iij lec. quando est inv. simplex, Inv. Regem Virginum Dñm: Venite adoremus. *Ps.* Venite.

Hymnus: Virginis proles (§ 79).

IN I NOCT. *Ant.* Ante thorum hujus virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis. *Ps.* Dñe Dñs noster (p. 4).

A. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. *Ps.* Cœli enarrant (p. 10).

A. Favus distillans labia tua, sponsa; et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. *Ps.* Dñi est terra (p. 17).

℣. Diffusa (§ 79). *Lectio j.*

QUONIAM hodie natalis est virginis, congruum aliquid de virginibus est loquendum. Immaculatus enim Dominus, immaculatam sibi famulam, etiam in hoc pleno colluvionum fragilitatis humanæ corpore positam, misericorditer consecravit. Natalis est Virginis: integritatem sequamur. Natalis est Sanctæ *N.*: mirentur viri: non desperent virgines. Non autem ideo laudabilis virginitas, quia et in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres facit.

℟. 1. Diffusa est gratia in labiis tuis. Propterea benedixit te Deus in æternum. ℣. Dilexisti justitiam, et

Digitized by Google

odisti iniquitatem. Propterea [benedixit te Deus in æternum].

Lectio ij.

QUIS enim humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? Hæc virgo accersivit e cœlis quod imitaretur in terris. Nec immerito vivendi sibi usum quæsivit e cœlo, quæ Sponsum sibi invenit in cœlo. Quanquam ego laudationem non suscepi virginitatis, sed expressionem, ad rem tamen pertinere arbitror, ut quæ sit ci patria, quis auctor, appareat.

℟. 2. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Et [deducet te mirabiliter dextera tua]. *Lectio iij.*

PATRIUS ubi sit patria diffiniamus. Si ibi est patria, ubi genitale domicilium, in cœlo profecto est patria castitatis. Itaque hîc advena, ibi incola est. Quid est castitas virginalis, nisi expers contagionis integritas? atque ejus auctorem quem possumus æstimare, nisi immaculatum Dei Filium? cujus caro non vidit corruptionem, divinitas non est experta contagionem? Videte ergo quanta virginitatis merita sint. Christus ante virginem: Christus ex virgine.

℟. 3. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Unxit [*&c.*] Gloria Patri, et Filio, [et Sp. S.] Unxit [*&c.*]

§ 81.) IN II NOCT. *A.* Specie tua et pulchritudine tua: intende, prospere procede, et regna. *Ps.* Eructavit (p. 45).

A. Adjuvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus; non commovebitur. *Ps.* Deus noster refugium (p. 46).

A. Unguentum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis. *Ps.* Fundamenta (p. 69).

℣*s.* Specie tua et pulchritudine tua. [℟*o.* Intende, prospere procede, et regna.] *Lec. iiij.*

CHRISTUS, Virginum Sponsus, ante virginem fuit. Idem est natus: natus est de virgine. A Patre quidem natus ante sæcula; sed ex virgine renatus ob sæcula. Illud naturæ suæ; hoc nostræ utilitatis est. Illud erat semper; hoc voluit. Spectate et aliud virginitatis meritum. Christus Virginis Sponsus, et, si dici potest, Christus virgineæ castitatis. Virginitas enim Christi; non virginitatis est Christus.

℟. 4. Hæc est virgo sapiens; quam Dñs vigilantem invenit; quæ acceptis lampadibus sumpsit oleum secum. Et veniente Dño introivit cum eo ad nuptias. ℣. Inventa una margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam. Et veniente [*&c.*] *Lec. v.*

VIRGO est quæ nupsit, Virgo quæ nos sub utero portavit; Virgo quæ genuit, Virgo quæ proprio lacte nutrivit. Sed jam a Matre descendamus ad filias. De virginibus, inquit sanctus Apostolus, præceptum Dñi non habeo. Si Doctor Gentium non habuit, habere quis potuit? Et præceptum quidem non habuit, sed habuit exemplum. Non enim potest imperari virginitas, sed optari. Sancta mater Ecclesia immaculata est coitu, sed fecunda partu. Virgo est in castitate, Mater est in prole.

℟ *de Una Virgine et Martyre.* ℟. 5. Veni, sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dñs præparavit; pro cujus amore sanguinem tuum fudisti. Et cum angelis in paradisum introibis. ℣. Veni electa mea, et ponam in te thronum meum; quia concupivit Rex speciem tuam. Et cum angelis [in p. i.]

Aliud ℟ *de Una Virgine Non Martyre.* ℟. [5]. Induit me Dñs vestimento salutis, et indumento lætitiæ

Digitized by Google

circundedit me. Et tanquam sponsam decoravit me corona. ℣. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, et circundedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Et [*&c.*] *Lec. vj.*

PARTURIT nos Virgo, non viro plena, sed spiritu. Parit nos Virgo, non cum dolore membrorum, sed cum gaudiis angelorum. Nutrit nos Virgo, non corporis lacte, sed apostoli, cum infirmam adhuc crescentis populi lactavit ætatem. Virginitas Dei donum est, munus Parentis, sacerdotium castitatis. Virgo Matris Ecclesiæ Hostia est, cujus quotidiano sacrificio vis divina placatur. Virgo est Ecclesia, quam studuit Apostolus virginem castam assignare Christo. Virgo est Filia Sion; Virgo est civitas ista Hjerusalem quæ in cœlo est, in quam nihil intrat commune atque immundum.

℟. 6. Audi filia et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Et concupiscet Rex speciem tuam: Quoniam ipse est Dñs Deus tuus. ℣. Induet te Dñs vestimento salutis, et indumento lætitiæ circundabit te. Et concupiscet [Rex — D. D. tuus]. Gloria [— Sp. S.] Quoniam [ipse est D. D. tuus].

§ 82.) IN III NOCT. *A.* Hæc est quæ nescivit torum in delicto: habebit fructum in refectione animarum sanctarum. *Ps.* Cantate Dño. *j.* (p. 73.)

A. Nigra sum, sed formosa, filiæ Hjerusalem: ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum. *Ps.* Dominus regnavit; [exultet terra. *p.* 73.]

A. O quam pulchra est casta generatio cum claritate. *Ps.* Cantate Domino. *ij.* (p. 75.)

℣*s.* Adjuvabit eam Deus [vultu suo. ℟*o.* Deus in medio ejus: non commovebitur].

¶ *Secundum Matthæum.*

(*Cap.* 13. F.)

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. Et reliqua.

Homelia Beati Gregorii Papæ.

Lec. vij. Regnum cœlorum, fratres charissimi, idcirco terrenis rebus simile dicitur, ut ex his quæ animus novit, surgat ad incognita quæ non novit. Quatenus exemplo visibilium se ad invisibilia rapiat, et per ea quæ usu didicit confricatus incalescat. Ut per hoc quod scit, notum diligere, discat et incognita amare.

℟. 7. Veni electa mea, et ponam in te thronum meum. Quia concupivit Rex speciem tuam. ℣. Audi filia et vide, et inclina aurem tuam. Quia [*&c.*] *Lec. viij.*

ECCE enim regnum cœlorum thesauro abscondito in agro comparatur; quem qui invenit homo abscondit, et præ gaudio illius vadit et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. Qua in re quoque notandum est quod inventus thesaurus absconditur ut servetur. Quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit qui hoc ab humanis laudibus non abscondit.

℟. 8. Pulchra facie, sed pulchrior fide, beata es, virgo, respuens mundum. Lætaberis cum angelis: intercede pro omnibus nobis. ℣. Specie tua et pulchritudine tua. Lætaberis cum angelis: [*&c.*] *Lec. ix.*

IN præsenti etenim vita, quasi in via sumus qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderant, qui thesaurum publice in via portant. Hoc autem dico, non ut proxi-

Digitized by Google

mi opera nostra non videant, cum scriptum sit, Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est; sed ut per hoc quod agimus laudes exterius non quæramus. Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto. Ut et de bono opere proximis exemplum præbeamus, et tamen, per intentionem qua soli Deo placere quærimus, semper secretum optemus.

℟. 9. Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Dñi mei Jesu Christi. Quem vidi, quem amavi; Quem credidi, quem dilexi. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Quem vidi, [quem amavi; Quem credidi, quem dilexi.] Gloria [Patri, et Filio, et Sp. S.] Quem credidi, [quem dilexi.]

§ 83.) *In festis ix lectionum dicatur iste ℣s ante Laudes.*

℣s. Ora pro nobis beata *N.* [℟o. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.]

In festis vero trium lec. dicatur ℣s Specie tua (§ 81), *vel ℣s* Adjuvabit eam Deus vultu suo. [℟o. Deus in medio ejus: non commovebitur.]

In Laudibus, *Añа* 1.

Hæc est virgo sapiens, quam vigilantem Dñs invenit. *Ps.* Dñs regnavit. [*v.* § 5.]

A. 2. Hæc est virgo sapiens, et una de numero prudentum. *Ps.* Jubilate.

A. 3. Hæc est virgo sancta atque gloriosa; quia Dñs omnium dilexit eam. *Ps.* Deus, Deus meus.

A. 4. Benedico te, Pater Dñi mei Jesu Christi; quia per Filium tuum tentationis ignis extinctus est. *Ps.* Benedicite omnia.

A. 5. Veni sponsa Christi; accipe coronam quam tibi Dñs præparavit in æternum. *Ps.* Laudate Dominum de cœlis.

Cap. Dñe Deus meus, exaltasti super [terram. § 79]. *Hymnus.*

Jesu corona virginum,
Quem Mater illa concipit
Quæ sola Virgo parturit,
Hæc vota clemens accipe.

Qui pascis inter lilia,
Septus choreis virginum;
Sponsas decorans gloria,
Sponsisque reddens præmia;

Quocunque pergis, virgines
Sequuntur, atque laudibus
Post te canentes cursitant,
Hymnosque dulces personant.

Te deprecamur, largius
Nostris adauge sensibus
Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

℣s. Adducentur Regi Virgines post eam. ℟o. Proximæ ejus afferentur tibi.

Añа. Veniente Sponso, prudens virgo præparata introivit cum eo ad nuptias. *Ps.* Benedictus (p. 15).

Oratio ut supra (§ 79).

§ 84.) Ad Primam, *A.* Hæc est virgo sapiens, [quam. § 83.] *Ps.* Deus, in nomine tuo salvum [me fac. *&c.*: *v.* § 6.]

Ad Tertiam, *A.* Hæc est virgo sapiens, [et una. § 83.] *Ps.* Legem pone. [*&c.*: *v.* § 6.]

Cap. Domine Deus (§ 79).

℟. Diffusa est gratia In labiis tuis. [Diff. — tuis]. ℣. Propterea benedixit te Deus in æternum. In labiis [tuis]. Gloria [— Sp. S.] Diffusa [— tuis].

℣s, Specie tua (§ 81).

Ad Sextam, *A.* Hæc est virgo [sancta. § 83]. *Ps.* Defecit. [*&c.*: *v.* § 6.]

Cap. (Eccl'i *ultimo*, B.)

Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione: et exaudita est oratio mea.

℟. Specie tua, Et pulchritudine tua. [Specie tua, Et p. t.] ℣. In-

Digitized by Google

tende, prospere procede, et regna. Et pulchritudine tua. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Specie tua, Et pulchritudine [tua].

℣s, Adjuvabit (§ 82).

AD NONAM, *A.* Veni sponsa Christi (§ 83). *Ps.* Mirabilia. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. (*Ubi supra.*)

LIBERASTI me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo: propterea confitebor et laudem dicam nomini tuo, Dñe Deus meus.

℟. Adjuvabit eam Deus vultu suo. [Adj. — suo.] ℣. Deus in medio ejus: non commovebitur. Deus [vultu suo]. Gloria [— Sp. S.] Adjuvabit [eam Deus vultu suo].

℣s, Adducentur Regi virgines (§ 83).

AD II VESPERAS, *A.* Hæc est virgo sapiens, [quam. § 83.] *Psalmi Feriales.*

Cap. Dñe Deus meus (§ 79). *Hym.* Jesu corona virginum (§ 83). ℣s, Adducentur Regi virgines (*ibid.*)

Ant. Simile est regnum cœlorum homini negociatori quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa margarita, dedit omnia sua et comparavit eam. *Ps.* Magnificat.

Oratio ut supra (§ 79).

§ 85.) ¶ *Item alia Capitula Unius Virginis et Martyris; et dicantur cum Cap'is supra scriptis alternis vicibus per hebdomadam. Ita tamen quod in primis dicatur Cap.* Domine Deus; *nisi in festo S. Agnetis, S. Agathæ, et S. Katherinæ: in his festis dicitur Cap.* Confitebor tibi.

Ad utrasque Vesp's, et ad Mat's, et ad Tertiam, Cap. (*Ubi supra,* A.)

CONFITEBOR tibi Dñe Rex, et collaudabo te Deum Salvatorem meum: confitebor nomini tuo; quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione.

Ad Sextam, Cap. (*Ubi supra.*)

LAUDABIT usque ad mortem anima mea Dñm; et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Deo gratias.

Ad Nonam, Cap. Liberasti (§ 84).

§ 86.) IN NATALI UNIUS VIRGINIS NON MARTYRIS,

AD UTRASQUE VESP'S, *etiam ad Mat's et ad Tertiam.*

Cap. (2 Cor. 10. D.)

QUI gloriatur, in Dño glorietur: non enim qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.

Hymnus: [*Tres versus,*] Virginis: Hujus obtentu: Gloria: [*ex hymno* Virginis proles. § 79.]

℣s. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟o. Propterea [benedixit te Deus in æternum].

Ant. Simile est regnum cœlorum sagenæ *&c.* (§ 79.) *Ps.* Magnificat.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, auctor virtutis et amator virginitatis; da nobis, quæsumus, Sanctæ *N.* virginis tuæ tibi placitis meritis commendari, cujus vita merito castitatis tibi complacuit. Per Dñm [*&c.*]

Cetera omnia, [*præter subnotata,*] *ad utrasque Vesperas, et ad Matutinas, et ad alias Horas, ut supra in Historia Unius Virginis et Martyris; cum ista Oratione,* Omnipotens sempiterne Deus.

§ 87.) AD MAT'S *Inv. ut supra* (§ 80).

Hymnus: [*Tres versus*] Virginis proles: Hujus obtentu: Gloria: [*ex hymno* Virginis proles. § 79].

Aliæ ut supra: ix lectiones fiant.

Lectio j.

SIMILE est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ; dicit Dominus. Istæ quinque et quinque virgines, omnes om-

Digitized by Google

nino sunt animæ Christianorum. Sed, ut dicamus vobis quod Deo inspirante sentimus, non qualescunque animæ, sed tales quæ habent Catholicam fidem et habere videntur bona opera in Ecclesia Dei. Et tamen ex ipsis quinque sunt prudentes, et quinque fatuæ. *Lec. ij.*

QUARE ergo appellatæ sunt quinque, et quare virgines, prius videamus; et deinde cetera consideremus. Omnis anima in corpore ideo quinario numero censetur, quia quinque sensibus utitur. Nihil est enim quo sentimus ex corpore, nisi janua quincupertita; aut videndo, aut audiendo, aut odorando, aut gustando, aut tangendo. *Lec. iij.*

QUI ergo se abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito gustu, ab illicito tactu, propter istam integritatem virginis nomen accipit. Si bonum est abstinere ab illicitis sentiendi moribus, et ideo unaquæque anima Christiana virginis nomen habet,— quare quinque admittuntur, et quinque repelluntur? Palam est quia virgines sunt, et lampades habent.

§ 88.) *Lectio iv.*

VIRGINES, propter abstinentiam ab illicitis sensibus. Lampades habentes, propter opera bona; de quibus operibus Dñs dicit, Luceant opera vestra coram hominibus; ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Item Discipulis dicit Dñs, Sint lumbi vestri accincti, et lucernæ ardentes. In lumbis accinctis virginitas, in lucernis ardentibus, opera bona. *Lec. v.*

NON solet dici virginitas utique in conjugatis: tamen etiam ibi est fidei virginitas, quæ exhibet pudicitiam conjugalem. Nam et noverit sanctitas vestra, non importune, secundum animam et secundum integritatem fidei, (qua etiam fide ab illicitis abstinetur, et bona opera sunt,) unumquemque vel unamquamque animam virginem dici. Tota Ecclesia, quæ constat ex virginibus, et pueris, et maritis feminis, et uxoratis viris, uno nomine Virgo est appellata. Unde hoc probamus? Apostolum audi dicentem, non solis sanctimonialibus, sed universæ prorsus Ecclesiæ: Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. *Lec. vj.*

ET quia hujus virginitatis corruptor diabolus cavendus est, continue ipse Apostolus, cum dixisset, Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, adjunxit et ait, Timeo autem ne, sicut serpens Evam seduxit in versutia sua, sic et vestri sensus corrumpantur a castitate quæ est in Christo. In corpore virginitatem pauci habent: in corde omnes habere debent.

§ 89.) *Secundum Matthæum.* (*Cap.* 25. A.)

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum cœlorum decem virginibus; quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Et reliqua.

Homelia Beati Gregorii Papæ.

Lectio vij. Sæpe vos, fratres charissimi, admoneo prava opera fugere, mundi hujus inquinamenta devitare; sed hodierna sancti Euangelii lectione compellor vobis dicere, ut et bona quæ agitis cum magna cautela timeatis; ne pro hoc quod a vobis rectum geritur, favor aut humana gratia requiratur; ne appetitus laudis subrepat, et quod foris ostenditur, intus ab æterna mercede vacuetur. Ecce enim Redemptoris voce decem virgines, et omnes dicuntur virgines; sed tamen intra beatitudinis januam non omnes receptæ sunt. Quia earum quædam, dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt.

Digitized by Google

Lectio viij.

PRIUS quærendum nobis est quid sit cœlorum regnum, aut cur decem virginibus comparetur; quæ etiam prudentes virgines, et quæ fatuæ dicuntur. Cum enim regnum cœlorum constat quia reproborum nullus ingreditur, etiam fatuis virginibus cur simile esse perhibetur? Sed sciendum est quod sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur. De quo alio in loco Dñs dicit: Mittet Filius Hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inveniri scandala poterunt, quæ colligantur. Unde et rursum dicitur: Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Lec. ix.* MANDATUM solvit et docet, quando hoc quisque voce prædicat, quod vivendo non implet: sed ad regnum æternæ beatudinis pervenire non valet qui non vult opere implere quod docet. Quomodo ergo in eo minimus vocabitur, qui ad hoc nullo modo intrare permittetur? Quid itaque per hanc sententiam, nisi præsens Ecclesia, cœlorum regnum dicitur? In qua doctor qui mandatum solverit, minimus vocabitur; quia cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur.

[**§ 90.**) *Ante Laudes*] ℣. Ora pro nobis beata *N.* [℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.]

IN LAUDIBUS, *Añа* 1. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit. *Ps.* Dominus regnavit. [*v.* § 5.]

A. 2. Hæc est virgo sapiens, [et una] *&c.* (§ 83.) *Ps.* Jubilate.

A. 3. Hæc est virgo sancta. (*ibid.*) *Ps.* Deus, Deus [meus].

A. 4. Benedico te, Pater. (*ib.*) *Ps.* Benedicite omnia opera.

A. 5. Veni sponsa Christi: (*ib.*) *Ps.* Laudate Dñm.

Cap. Qui gloriatur (§ 79).

Hymnus, Jesu, corona virginum (§ 83).

℣. Adducentur Regi virgines post eam. ℟. Proximæ ejus [afferentur tibi in lætitia].

Ant. Veniente Sponso (§ 83). *Ps.* Benedictus Dñs.

Oratio ut supra.

AD PRIMAM, *A.* Hæc est virgo sapiens, [quam. *ut supra ad Laudes*]. *Ps.* Deus, in nomine tuo. [*&c.*: *v.* § 6.]

¶ *Ad Tertiam*, *A.* Hæc est virgo sapiens, et una (§ 83). *Ps.* Legem pone mihi Dñe. [*&c.*: *v.* § 6.]

Cap. Qui gloriatur (§ 79).

℟. Diffusa est gratia In labiis tuis. [Diffusa — tuis.] ℣. Propterea benedixit te Deus in æternum. [In labiis tuis. Gloria Patri, — Sp. S. Diffusa — tuis.]

℣, Specie tua (§ 81.)

Orationes ut supra in Communi Unius Virginis Non Martyris (§ 86) *ad omnes Horas dicuntur.*

¶ *Ad Sextam*, *A.* Hæc est virgo sancta (§ 83). *Ps.* Defecit in salutare. [*&c.*: *v.* § 6.] *Cap.* (2 Cor. 11. A.) ÆMULOR enim vos Dei æmulatione: despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.

¶ *Ad Nonam*, *A.* Veni sponsa (§ 83). *Ps.* Mirabilia. [*&c.*: *v.* § 6.]

Cap. [Sap. 7 D. et 8 A.]

SAPIENTIA vincit malitiam: attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Deo gratias.

℟, ℣, *et Oratio*, [*tam ad Sextam quam ad Nonam*,] *ut supra* (§§ 84 *et* 86).

Digitized by Google

§ 91.) IN NATALI PLURIMARUM VIRGINUM.

Ad Vesp's, *Añæ et Psalmi Feriales.* *Cap.* (Sap. 4. A.)

QUAM pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: quoniam ét apud Deum nota est, èt apud homines.

Hymnus, Jesu, corona virginum (§ 83).

℣. Adducentur Regi. (*ibid.*)

Añа, Simile est regnum cœlorum sagenæ (§ 79). *Ps.* Magnificat.

Oratio Plurimarum Virginum et Martyrum.

DEUS qui ut humanum genus ad confessionem tui nominis provocares, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti; præsta quæsumus, ut Ecclesia tua, hoc exemplo commonita, néc pati pro te metuat, èt cœlestis præmii gloriam concupiscat. Per Dñm [*&c.*]

¶ *Item alia Oratio Plurimarum Virginum Non Martyrum. Oratio.*

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos idoneos non esse perpendis ad majestatem tuam sicut dignum est exorandum, fac quæsumus sanctas Virgines tuas *N.* et *N.* pro nostris intervenire peccatis; quarum meritis nobis indulgentiam largiaris. Per Dñm [*&c.*]

§ 92.) **Ad Mat.** *Inv.* Regem virginum Dñm, Venite adoremus. *Ps.* Venite.

Hymnus, Jesu, corona virginum (§ 83).

Super psalmos hæc sola añа: O quam pulchra est casta generatio cum claritate. *Ps.* Dñe Dñs noster (p. 4). *et omnes psalmi Unius Virg. et Mart.:* [*v.* § 80 — 82.]

℣. Adducentur (§ 83). *Lec. j.*

INTERROGATUS Dñs a Discipulis de consummatione sæculi, inter multa quæ locutus est, parabolam quoque dixit de decem virginibus, bonorum et malorum discretionem significantibus; quarum quinque admittuntur, et quinque excluduntur. Videntur itaque mihi quinque virgines significare quincupertitam continentiam a carnis illecebris.

℟. 1. Audivi vocem de cœlo venientem: Venite omnes virgines sapientissimæ: Oleum recondite in vasis vestris, dum Sponsus advenerit. ℣. Media nocte clamor factus est: Ecce Sponsus venit. Oleum recondite [*&c.*] *Lec. ij.*

CONTINENDUS est enim animi appetitus a voluptate oculorum, a voluptate aurium, et a voluptate olfaciendi, gustandi, sive tangendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit, ut illi placeatur in interiori gaudio conscientiæ, partim coram hominibus tantum, ut gloria humana capiatur, quinque dicuntur sapientes, et quinque stultæ. Utræque tamen virgines, quia utraque continentia est, quamvis diverso fomite gaudeat.

℟. 2. Feliciter virgines vincunt mundum: Quæ post victoriam vinci non nôrunt. ℣. Beatæ de prælio redeunt, et hostem victrices moriendo devincunt. Quæ [*&c.*] *Lec. iij.*

LAMPADES autem quæ manibus portantur, opera sunt quæ secundum istam continentiam fiunt. Dictum est enim: Luceant opera vestra coram hominibus. Omnes vero acceperunt lampades suas, et venerunt obviam sponso et sponsæ. Intelligendum est ergo Christi nomine censeri de quibus agitur. Non enim possunt qui Christiani non sunt, Sponso Christo venire obviam.

℟. 3. Innumerabilis virginum chorus, spreta liberorum propagine, Dum Sponso qui in cœlis est perenni mente Actu et habitu applicari maluit, ℣. Ecce florentem mundum despectu mentis calcavit. Dum [— maluit]. Gloria Patri, [— Sp. S.] Actu [— maluit].

Digitized by Google

[§ 93.) *Ante Laudes*] ℣*s.* Media nocte clamor factus est. ℟*o.* Ecce Sponsus venit: exite obviam ei.

In Laudibus *hæc sola añа.* Virgines sanctæ Dei, orate pro nobis; ut scelerum veniam per vos accipere mereamur. *Ps.* Dñs regnavit; decorem. *et ceteri psalmi consueti.* [*v.* § 5.]

Cap. O quam pulchra (§ 91).

Hym. Rex gloriose Martyrum (§ 50). *totus hymnus dicatur per omnia sicut in Communi Historia Plurimorum Martyrum.*

℣*s.* Mirabilis Deus in Sanctis suis. [℟*o.* Et gloriosus in majestate sua.]

Añа. Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ. *Ps.* Benedictus.

Oratio ut supra (§ 91).

Ad Primam, *A.* Virgines sanctæ [*ut supra ad Laudes*]. *Ps.* Deus, in nomine. [*&c.: v.* § 6.]

Ad Tertiam, *A.* Media nocte clamor factus est: Ecce Sponsus venit; exite obviam ei. *Ps.* Legem pone. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. O quam pulchra (§ 91). ℟. Adducentur Regi virgines Post eam. [Adducentur — eam.] ℣. Proximæ ejus afferentur tibi. Post eam. Gloria [— Sp. S.] Adducentur [— eam].

℣*s.* Media nocte clamor factus est. [℟*o.* Ecce Sponsus venit: exite obviam ei.]

Oratio ut supra.

Ad Sextam, *A.* Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. *Ps.* Defecit. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. Æmulor enim vos (§ 90). ℟. Media nocte Clamor factus est. [Media — est.] ℣. Ecce sponsus venit: exite obviam ei. Clamor [factus est]. Gloria Patri, [— Sp. S.] Media [— est].

℣*s.* Prudentes virgines [acceperunt oleum. ℟*o.* In vasis suis cum lampadibus].

Oratio ut supra.

Ad Nonam, *A.* Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. *Ps.* Mirabilia. [*&c.: v.* § 6.]

Cap. Sapientia vincit malitiam (§ 90). ℟. Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis Cum lampadibus. [Prudentes — lampadibus.] ℣. Et exierunt obviam Sponso et Sponsæ. Cum lampadibus. Gloria [— Sp. S.] Prudentes — lampadibus].

℣*s.* Adducentur Regi virgines [post eam. ℟*o.* Proximæ ejus afferentur tibi].

Oratio ut supra.

§ 94). IN NATALI UNIUS MATRONÆ: (NON SECUNDUM SAR.)

Ad I Vesp's, *super Psalmos Feriales, A.* Simile est regnum cœlorum sagenæ (§ 79).

Cap. (Prov. *ult.* B.)

Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus precium ejus: confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit.

Hymnus: [*Ultimi duo versus Hymni* Virginis proles: *nempe,*] Hujus obtentu: Gloria Patri genitæque. (§ 79.)

℣*s.* Diffusa est gratia in labiis tuis. [℟*o.* Propterea benedixit te Deus in æternum.]

Ant. Anima mea liquefacta est ut Dilectus locutus est: quæsivi, et non inveni illum: vocavi, et non respondit mihi: invenerunt me custodes civitatis: percusserunt me et vulneraverunt me: tulerunt pallium meum custodes murorum: filiæ Hjerusalem, nunciate Dilecto quia amore langueo. *Ps.* Magnificat.

Digitized by Google

Oratio.

DEUS, omnium Creator et Rector, qui hodiernam diem in Beatæ *N.* festivitate nobis exultabilem fecisti; præsta quæsumus, ut, ipsius apud te intervenientibus meritis, ab omnibus mereamur absolvi peccatis. Per Dñm [*&c.*]

§ 95.) AD MAT. *Inv.* Christum venerantes Deum, adoremus Regem Regum: Qui in cœlis *N.* palmam hodie dedit æternam. *Ps.* Venite.

Hymnus: [*Duo versus,*] Hujus obtentu. Gloria Patri [genitæque. *ut* § 94].

IN I NOCT. *A.* Ecce tu pulchra es, amica mea: ecce tu pulchra; oculi tui columbarum. *Ps.* Dñe, Dñs noster (p. 4).

A. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. *Ps.* Cœli enarrant (p. 10).

A. Favus distillans labia tua, sponsa; et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. *Ps.* Dñi est terra (p. 17).

℣*s.* Diffusa est gratia in labiis tuis. [℟*o.* Propterea benedixit te Deus in æternum.]

Lectiones ut in festis earum.

℟ (1). Diffusa est gratia in labiis [tuis. § 80].

℟ (2). Propter veritatem (§ 80).

℟ (3). Dilexisti justitiam (§ 80).

IN II NOCT. *A.* Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. *Ps.* Eructavit cor meum (p. 45).

A. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. *Ps.* Deus noster refugium (p. 46).

A. Venit dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum. *Ps.* Fundamenta (p. 69).

℣*s.* Specie tua et pulchritudine tua. [℟*o.* Intende, prospere procede, et regna.]

℟ (4). Ista est speciosa inter filias Hjerusalem, sicut vidistis eam plenam charitate et dilectione, In cubilibus et in hortis aromatum. ℣. Ista est quæ ascendit de deserto, deliciis affluens. In cubilibus et in hortis [aromatum].

℟ (5). Veni electa (§ 82).

℟ (6). Audi filia et vide (§ 81).

IN III NOCT. *A.* Veni in hortum meum, soror mea sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis. *Ps.* Cantate Dño. *j.* (p. 73.)

A. Comedi favum cum melle meo: bibi vinum cum lacte meo. *Ps.* Dominus regnavit; exultet (p. 73.)

A. Talis est dilectus meus; et ipse est amicus meus, filiæ Hjerusalem. *Ps.* Cantate. *ij.* (p. 75).

℣*s.* Adjuvabit eam Deus vultu suo. [℟*o.* Deus in medio ejus: non commovebitur.]

℟ (7). Induit me Dñs (§ 81).

℟ (8). Accinxit Beata *N.* fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum. Ideoque lucerna ejus non extinguetur in sempiternum. ℣. Gustavit et vidit quia bona est negociatio sapientiæ Dei. Ideoque [*&c.*]

℟ (9). Regnum mundi (§ 82).

[§ 96.) *Ante Laudes*] ℣*s.* Ora pro nobis, [Beata *N.* ℟*o.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi].

IN LAUDIBUS, *Ant* 1.

UNGUENTUM effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis. *Ps.* Dominus regnavit; decorem. [*v.* § 5.]

A. 2. Læva ejus sub capite meo; et dextera ejus amplexabitur me. *Ps.* Jubilate Deo.

A 3. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis. *Ps.* Deus, Deus meus.

A. 4. Jam enim hyems transiit: imber abiit et recessit. *Ps.* Benedicite omnia.

A. 5. Sicut malum inter ligna silvarum, sic amica mea inter filias. *Ps.* Laudate.

Cap. Mulierem fortem (§ 94).

Digitized by Google

Hymnus: [*Ultimi tres versus Hymni* Iste Confessor; *nempe,*] Ad sacrum cujus: Unde nunc noster: Sit salus illi. (§ 57.)

℣*s.* Elegit eam Deus, et præelegit eam. ℟*o.* Et habitare eam facit in tabernaculo suo.

Ant. Simile est regnum cœlorum homini negociatori quærenti bonas margaritas: inventa una preciosa margarita, dedit omnia sua et comparavit eam. *Ps.* Benedictus Dñs.

Vel aña, Anima mea liquefacta est (§ 94).

Oratio ut supra (§ 94).

§ 97.) AD PRIMAM, *A.* Unguentum effusum (§ 96). *Ps.* Deus, in nomine tuo. [*&c.*: *v.* § 6.]

AD TERTIAM, *A.* Læva ejus (§ 96). *Ps.* Legem pone. [*&c.*: *v.* § 6.]

Cap. Mulierem fortem (§ 94).

℟*ia et Versiculi, ut supra, Unius Virginis et Martyris.*

AD SEXTAM, *A.* Dum esset (§ 96). *Ps.* Defecit. [*&c.*: *v.* § 6.]

Cap. (Prov. *ult.* B.)

ACCINXIT fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum: gustavit et vidit quia bona est negociatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus.

AD NONAM, *A.* Sicut malum (§ 96). *Ps.* Mirabilia. [*&c.*: *v.* § 6.]

Cap. (Prov. *ult.* D.)

MULIER timens Deum, ipsa laudabitur: date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.

Oratio [*ad Tertiam, Sextam, et Nonam,*] *ut supra ad Primas Vesperas* (§ 94).

AD II VESP. *A.* Unguentum effusum (§ 96).

Psalmi Feriales.

Cap. Mulierem fortem (§ 94).

Hymnus: [*Tres versus,*] Ad sacrum cujus: [Unde nunc noster: Sit salus illi. *ut* § 96.]

℣*s,* Adducentur (§ 93).

Aña. Laus tibi, Christe, Redemptor piissime; qui tantam Sanctæ *N.* dedisti gloriam, ut, te Sponsum amans, tuum membrum fieret: ejus clementiæ nos precatu per ævum conserva. *Ps.* Magnificat.

Vel aña. Descendi in hortum [meum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruissent vineæ, et germinassent mala punica: revertere, revertere, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te].

Oratio ut supra (§ 94).

Explicit Commune Sanctorum et Sanctarum.

Digitized by Google

[§ 98.) OFFICIA VARIA.]

[TRANSLATIO SANCTI CEDDÆ.]

TRANSLATIO SANCTI CEDDÆ *semper celebratur in Dominica proxima ante Festum Ascensionis Domini; et fiat servitium hoc modo.*

AD PRIMAS VESPERAS,

Ant. Germanorum [quatuor unus est Beatus
Cedda, quorum quilibet erat consecratus; alleluja].
Psalmi Feriales.
Cap. Ecce Sacerdos (§ 57).
℟. O pastor. *absque Prosa.*
[℟. O pastor digne, miseris concede benignè
Quod poscunt a te, Confessor Cedda Beate. Alleluja.
℣. Funde preces Christo, pro cœtu jugiter isto.
Quod poscunt a te, Confessor Cedda Beate. Alleluja.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Alleluja.]
Hym. Iste Confessor (§ 57).
℣s. Tristitia [vestra, ℟o. Vertetur in gaudium; alleluja].
Ant. Sis pro nobis, [Sancte Cedda, patronus ad Dominum;
Ut nos regat, et perducat ad cœli palatium;
Ubi tecum et cum Sanctis simus in perpetuum; alleluja.]
Ps. Magnificat (p. 99). *Oratio.*

DEUS, qui nobis Translationem Beati Ceddæ, Confessoris tui atque Pontificis, celebrare concedis; te supplices exoramus, ut ejus meritis et precibus a vitiis ad virtutes, et a carcere transferamur ad regnum. Per Dñm nostrum Jesum Christum, Filium tuum; qui tecum vivit et regnat in unitate [Spiritus Sancti Deus,] per omnia [sæcula sæculorum. Amen].

Memoria de Sancto, si habeatur; sub silentio, nisi duplex festum fuerit: deinde de Dominica.

[*Memoria de Dñica. Ant.* Magna et mirabilia opera tua, Dñe Deus omnipotens: justæ et veræ viæ tuæ, Rex Sæculorum: quis non timebit te, Dñe, et magnificabit nomen tuum? quia tu es solus pius: quoniam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo; quoniam judicia tua justa sunt: alleluja.

℣s. Mane nobiscum Dñe. ℟o. Quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies, alleluja. *Oratio.*

DEUS a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, et te gubernante eadem faciamus. Per Dñm nostrum *&c. ut supra.*]

§ 99). AD MATUTINAS,

Inv. In qua viget [jugiter memoria
Sancti Ceddæ, Jubilet Ecclesia; alleluja.
Ps. Venite (p. 122).
Hym. Iste Confessor (§ 57)].

Digitized by Google

Deinde dicuntur iij añæ cum iij psalmis primi Nocturni [in Officio Depositionis ejusdem Sancti, die Martii 2, cum alleluja, *ut sequitur:*

A. 1. Mundi calcans gloriam, Cedda declinavit
Corporis lasciviam, dum sese claustravit; alleluja.
Ps. Beatus vir (p. 1).

A. 2. Jugo se supposuit Christi quem dilexit:
Qui tenendam docuit viam quam dilexit; alleluja.
Ps. Quare fremuerunt (p. 2).

A. 3. Quem, cum vitæ sanctitas ut lux se monstravit,
Eboraci civitas archipræsulavit; alleluja.
Ps. Dñe, quid multiplicati (p. 2).

℣. Preciosa est in conspectu Dñi, ℟. Mors Sanctorum ejus; alleluja].

Lectio sancti Euangelii secundum Joannem. [*Cap.* 15. A.]

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Et reliqua.

Homelia S. Augustini Episcopi.

De sancto Euangelio præsenti tempori consonantem similitudinem audistis, [de his] qui operantur in vinea. Est enim modo tempus vindemiæ temporalis. Est autem et spiritualis vindemiæ, ubi Deus gaudet ad fructum vineæ suæ. Colimus enim Deum, et colit nos Deus. Sed non sic Deum colimus, ut nos eum meliorem [colendo] faciamus. Colimus enim eum adorando, non arando. Ille autem colit nos tanquam agricola agrum. Quod ergo ille nos colit, meliores nos reddit; quia et agricola agrum colendo facit meliorem. Et ipsum fructum in nobis quærit, ut eum colamus. Cultura ipsius est in nos, quod non cessat verbo suo extirpare mala semina de cordibus nostris, aperire cor nostrum tanquam aratro sermonis, plantare semina præceptorum, expectare fructum pietatis. Cum enim [istam] culturam acceperimus in cor nostrum, ut eum bene colamus, non existimus ingrati agricolæ nostro, sed fructum reddimus quo gaudeat. Et fructus noster non illum ditiorem facit, sed nos beatiores. Tu autem, Dñe, miserere nostri. Deo gratias.

℟ (1). Hunc, quem magnum reddit auctoritas,
[Ceddam parvum facit humilitas:
Cui nunquam deest benignitas; alleluja.

℣. Non attollit illum prosperitas;
Neque frangit quævis adversitas:
Cui nunquam deest benignitas; alleluja.]

§ 100.) *Lectio ij de proprietate.*

OBIIT autem S. Cedda anno sexcentesimo septuagesimo ab Incarnatione Dñi, sexto die Nonarum Martiarum; et sepultus est, primo quidem juxta Ecclesiam S. Mariæ, sed postmodum, constructa ibidem Ecclesia beatissimi Apostolorum principis Petri, in eandem sunt ejus ossa translata. In quo utroque loco, ad indicium virtutis illius, solent celebria sanitatum miracula fieri. Denique, nuper freneticus quidam, dum per cuncta errando discurreret, devenit ibi vespere, nescientibus sive non curantibus loci custodibus. Et ibi tota nocte requiescens, mane sanato

Digitized by Google

sensu egressus, mirantibus et gaudentibus cunctis, quid ibi sanitatis Domino largiente consequerentur ostendit. Tu autem Domine [miserere nostri. Deo gratias].

℟ (2). Hic legati [verbo paruerat,
Cedens sede cui præfuerat.
Claustrum petit, et non remurmurat; alleluja.
℣. Sed indignum fore se dixerat
Tanta cura quam prætenuerat.
Claustrum petit, et non remurmurat; alleluja].

Lectio iij.

Est autem locus ejusdem sepulchri tumbâ ligneâ in modum domunculæ factâ coopertus, habentis foramen in pariete, per quod solent hi qui causa devotionis illic adveniunt manum suam immittere, ac partem pulveris inde assumere. Quam cum in aquis miserint, atque has infirmantibus jumentis sive hominibus gustandas dederint, mox infirmitatis ablata molestia, cupitæ sospitatis gaudia revehunt.

℟ (3). Pie Pastor. *absque Prosa.*
[℟. Pie pastor et pater ovium,
Merciorum gregis solatium;
Contra mundum, carnem, dæmonium,
Assit nobis per te remedium. Alleluja.
℣. Ut finito cursu præsentium,
Capiamus æternum bravium.
Assit nobis per te remedium. Alleluja.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Alleluja.]

[**§ 101.**) *Ante Laudes*] ℣*s.* Ora pro nobis, [Beate Cedda. ℟*o.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi; alleluja.]

In Laudibus, *A.* Claustri clausus. *et ceterœ añæ. Cap. ut supra. Hym.* Jesu Redemptor. ℣*s.* Gaudete. *Añа.* Præsul pie. *Require hæc omnia in Festo* [*Depositionis*] *S. Ceddæ.*

[*A.* 1. Claustri clausus carcere, Cedda monachatur;
Ut divinis libere vacans, his utatur; alleluja.
Ps. Dñs regnavit. [*v.* § 5.]
A. 2. Cujus fama claruit quod pontificatur;
Lucerna quæ latuit ne plus abscondatur; alleluja.
Ps. Jubilate Deo.
A. 3. Pastor pavit populum pabulo doctrinæ,
Reddens receptaculum regulæ divinæ; alleluja.
Ps. Deus, Deus meus.
A. 4. Præsulis officium Cedda sic implevit,
Quod cujusque vitium generis delevit; alleluja.
Ps. Benedicite omnia.
A. 5. Deviantes moribus oves informavit:
Persistentes, actibus sacris excitavit; alleluja.
Ps. Laudate Dñm de cœlis.

Cap. Ecce Sacerdos (§ 57).
Hym. Jesu Redemptor (§ 62).
℣*s.* Gaudete, justi, in Dño. ℟*o.* Rectos decet collaudatio; alleluja.
Ant. Præsul pie, Sancte Cedda, ora Deum pro nobis;

Digitized by Google

Ne, peccatis aggravati, tradamur suppliciis;
Sed perfruamur in cœlo perennibus gaudiis; alleluja.]

Ps. Benedictus Dñs (p. 15).

Oratio ut supra (§ 98).

Memoria de Dominica et de Resurrectione, sub silentio.

[1.) *Mem. de Dñica. Ant.* Usque modo non petîstis quicquam: petite et accipietis; alleluja.

℣*s.* Surrexit Dñs de sepulchro. ℟*o.* Qui pro nobis pependit in ligno; alleluja.

Oratio ut supra, § 98.

2.) *De Resurrectione. Ant.* Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole; alleluja.

℣*s.* Surrexit Dñs vere. ℟*o.* Et apparuit Simoni; alleluja. *Oratio.* DEUS qui per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti; vota nostra, quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eundem Dñm nostrum *&c. ut* § 98.]

§ 102.) AD PRIMAM, *et ad alias Horas* [*Breves*], *añæ et Capitula sicut in alio festo, cum ℟iis de Communi Paschalis Temporis, et Oratione* Deus qui nobis. *ut supra.*

[¶ *Ad Primam, A.* Claustri (§ 101). *Ps.* Deus, in nomine. *&c.*: *v.* § 6.
¶ *Ad Tertiam, A.* Cujus fama (§ 101). *Ps.* Legem pone. *&c.*: *v.* § 6.
Cap. Ecce Sacerdos (§ 57). ℟ *et* ℣*s ut* § 6. *Oratio ut* § 98.
¶ *Ad Sextam, A.* Pastor pavit (§ 101). *Ps.* Defecit. *&c.*: *v.* § 6.
Cap. Benedictionem (§ 62). ℟ *et* ℣*s ut* § 6. *Oratio ut* § 98.
¶ *Ad Nonam, A.* Deviantes (§ 101). *Ps.* Mirabilia. *&c.*: *v.* § 6.
Cap. Cognovit (§ 63). ℟ *et* ℣*s ut* § 6. *Oratio ut* § 98.]

AD II VESP. *A.* Claustri clausus (§ 101). *Psalmi Feriales.*

Cap. ut supra [*ad j Vesp's.*] ℟. Pie pastor (§ 100).

Hym. Jesu Redemptor (§ 62).

℣*s.* Gaudete, [justi, in Dño. ℟*o.* Rectos decet collaudatio; alleluja].

Ant. Sis pro nobis (§ 98). *Ps.* Magnificat anima.

Oratio. Deus qui nobis Translationem. *ut supra* (§ 98).

§ 103.) IN COMMEMORATIONE [SIVE OFFICIO HEBDOMADALI] SANCTÆ ETHELDREDÆ, VIRGINIS NON MARTYRIS: ELIENSIS DIŒCESIS.

Oratio.

DEUS qui eximiæ castitatis privilegio sanctissimam virginem Etheldredam multipliciter decorasti; da nobis famulis tuis, ut sicut ejus Commemoratio nobiscum agitur in terris, ita per ejus interventum nostri memoria apud te semper habeatur in cœlis. Per Dñm [*&c. ut* § 98].

Cetera, Unius Virginis Non Martyris.

Lectio j.

IN præsentis vitæ et fluctuantis sæculi naufragio constituti, ad tui portum præsidii confugimus, virgo piisima atque celeberrima Etheldreda, ut tuæ circa nos pietatis sentiamus viscera, qui de tua jugiter gratulamur præsentia. Respice igitur, pia mater et domina, pio intuitu ad exiguum, sed devotum, nostri famulatus obsequium; et quos premit humanæ fragilitatis immensitas, tuæ virginitatis, quæ Sponso

Digitized by Google

Virginum placuit, relevet ac sustentet veneranda sublimitas. Credimus enim atque confidimus, te ab eodem Sponso tuo, qui speciem tuam concupivit, quicquid petieris impetrare; quam, in thalamo Regis æterni collocatam, cum virginum choris de palma virginitatis certum est exultare.

§ 104.) *Lectio ij.*

SUCCURRE domina, succurre mater misericordissima Etheldreda, nostræ miseriæ. Suffragiis precum tuarum scelerum nostrorum maculas absterge, tibique famulantes tales effice, ut tuæ integritati pure valeant deservire. Gregi tuo tuæ sollicitudinis atque protectionis semper assit custodia; ut sicut tui sacratissimi corporis incorruptione jugiter gaudemus atque præsentia, sic et de tua subventione gaudeamus assidua. Protege itaque mater filios, domina servos; ut qui se tuæ memoriæ ac venerationi profitentur obnoxios, tuæ largitatis et pietatis beneficia se gratulentur adeptos.

Lectio iij.

RESPICE, benignissima virgo Etheldreda, ad nostras angustias quas nostris meritis sustinemus, et per tuæ sanctitatis merita et intercessiones, ét iram judicis placa quem offendimus, èt veniam impetra quam non meruimus. Tuis precibus ad misericordiam inclina justitiam districti, sed justi, examinis; quia Agni, qui Sponsus est Virginum, vestigia quocunque ierit virgo sequeris. Repræsenta quæsumus supernæ clementiæ gemitus nostros atque suspiria; ut divinæ miserationis per te suscipiamus incrementa. Quo tecum in æternum gaudere mereamur, te petente, illo largiente, qui te integritatis coronavit gloria, per cuncta sæculorum sæcula. Amen.

Cetera de Communi Unius Virginis Non Martyris.

§ 105.) IN COMMEMORATIONE SANCTI THOMÆ MARTYRIS.

AD VESP'S, [*super Psalmos Feriales,*] *Ant.* Iste Sanctus (§ 25). *Cap.* Omnis Pontifex (§ 41). *Hym.* Martyr Dei (§ 26). *Vs*, Gloria et honore (§ 27).

Antiphona.

Pastor cæsus [in gregis medio
Pacem emit cruoris precio:
Lætus dolor in tristi gaudio:
Grex respirat pastore mortuo:
Plangens plaudit mater in filio,
Quia vivit victor sub gladio].

Ps. Magnificat (p. 99).

Oratio.

DEUS pro cujus Ecclesia gloriosus Pontifex Thomas gladiis impiorum occubuit; præsta, quæsumus, ut omnes qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dñm nostrum [*&c. ut* § 98].

Memoria de aliquo Sancto si habeatur.

§ 106.) AD MATUTINAS,

Inv. Adest Thomæ Martyris memoria: Virgo mater jubilat Ecclesia.

Ps. Venite (p. 122).

Hym. Martyr Dei (§ 26).

Ant. Summo Sacerdotio. *Ps.* Beatus vir (p. 1). *et cetera prout in festo ejusdem Natalis Domini et Translationis ejus sunt notata.*

[*A.* 1. Summo sacerdotio Thomas sublimatus,
Est in virum alium subito mutatus.

Ps. Beatus vir (p. 1).

Digitized by Google

A. 2. Monachus sub clerico clam ciliciatus,
Carnis carne fortior edomat conatus.
Ps. Quare fremuerunt (p. 2).
A. 3. Cultor agri Domini, tribulos evellit;
Et vulpes a vineis arcet et expellit.
Ps. Dñe, quid multiplicati (p. 2).
A. 4. Nec in agnos sustinet lupos desævire,
Nec in hortum olerum tineam transire.
Ps. Cum invocarem (p. 2).
A. 5. Exulat vir optimus, sacer, et insignis;
Ne cedat Ecclesiæ dignitas indignis.
Ps. Verba mea (p. 2).
A. 6. Exulantis prædia præda sunt malignis;
Sed in igne positum non exurit ignis.
Ps. Dñe Dñs noster (p. 4).
A. 7. Sathanæ satellites irrumpentes templum,
Inauditum perpetrant sceleris exemplum.
Ps. In Dño confido (p. 5).
A. 8. Strictis Thomas ensibus obviam procedit:
Non minis, non gladiis, sed nec morti cedit.
Ps. Dñe, quis habitabit (p. 7).
A. 9. Felix locus, felix ecclesia,
In qua Thomæ viget memoria:
Felix terra quæ dedit præsulem;
Felix illa quæ fovit exulem.
Felix pater, succurre miseris,
Ut felices jungamur superis.
Ps. Dñe, in virtute tua (p. 11).]
℣*s*, Gloria et honore (§ 27).

§ 107.) *Lectio j.*

DORMIENTE cum patribus suis in senectute bona felicis memoriæ Theobaldo Archiepiscopo, Thomas Cantuariensis Archidiaconus in Archiepiscopum et Primatem totius Angliæ in nomine sanctæ Trinitatis solenniter eligitur, et postmodum consecratur. Inerat autem piis mentibus spes firma et fiducia in Dño, quod idem consecratus, utriusque hominis habitu mutato, moribus melioratus præsideret. Probatissimum siquidem tenebatur, sedem illam sedem Sanctorum esse; Sanctum recipere, aut Sanctum facere; vel citius et facile indignum abjicere. Quod et in Beato Thoma Martyre impletum est.

℟. 1. Studens livor Thomæ supplicio,
Thomæ genus damnat exilio.
Tota simul exit cognatio.
In Tempore Paschali [*addendum*]; alleluja.
℣. Ordo, sexus, ætas, conditio,
Nullo gaudet hîc privilegio.
Tota simul [exit cognatio.
In Tempore Paschali addendum; alleluja].

§ 108.) *Lectio ij.*

PROMOTUS ergo electus Dei Pontifex, sacræque unctionis sanctificatione delibutus, e vestigio rem Sacramenti est adeptus. Et multi-

Digitized by Google

plici Sancti Spiritus gratia repletus, ambulans in novitate vitæ, novus homo mutatus est in virum alterum, cujus opera in melius conversa sunt. In tanta autem gratia sacravit sui præsulatus primordia, ut indutus, sed clanculo, monachali schemate, monachi adimpleret opus et meritum.

℟. 2. Thomas manum mittit ad fortia:
Spernit damna, spernit opprobria.
Nulla Thomam frangit injuria.
In Tempore Paschali [*addendum*]; alleluja.
℣. Clamat cunctis Thomæ constantia,
Omne solum est forti patria.
Nulla [Thomam frangit injuria.
In Tempore Paschali addendum; alleluja].

§ 109.) *Lectio iij.*

Et qui exemplo Baptistæ cum constantia zelum justitiæ perfecte conceperat in corde, parificari ei quoque studuit in veste pœnitentiæ. Rejecta namque sindone qua hactenus, dum mollia regum blandirentur, uti consueverat, cilicio asperrimo super nudum vestiebatur. Addidit etiam femoralia cilicina, ut arctius carnem mortificaret, et spiritum vivificaret. Hæc autem, sicut et alia spiritualis vitæ exercitia, superindutus aliis vestibus, paucis admodum consciis, oculis et notitiæ hominum eximebat; quia non ab homine, sed a Deo, gloriam quærebat.

℟. 3. Jacet granum oppressum palea,
Justus cæsus pravorum framea.
Cœlum domo commutans lutea.
In Tempore Paschali [*addendum*]; Alleluja, alleluja.
℣. Cadit custos vitis in vinea,
Dux in castris, cultor in area.
Cœlum domo [commutans lutea.
In Tempore Paschali addendum; Alleluja, alleluja.]
Gloria Patri, [et Filio, et Spiritui Sancto.]
Cœlum domo [commutans lutea.
In Tempore Paschali, hujus ultimæ repetitionis loco dicendum: Alleluja, alleluja].

[§ 110.) *Ante Laudes*] ℣*s.* Ora pro nobis, Beate Thoma. [℟*o.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi.]

In Laudibus, una tantum [*prima scilicet*] *ańa.*

Cetera [*tam ad Laudes quam ad Horas Breves*] *prout in festo ejusdem Natalis Dñi et Translationis ejusdem sunt notata; præter ańam ad Primam super Psalmum* Quicunque; *quæ* [*extra hebdomadam Sanctissimæ Trinitatis*] *erit* Te jure laudant. [§ 129; *intra hanc hebd.* O beata, et benedicta, et gloriosa Trinitas; Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.]

In Laudibus, *Ańa*:
Granum cadit; copiam germinat frumenti:
Alabastrum frangitur; fragrat vis unguenti.

Ps. Dñs regnavit. *et ceteri*: *v.* § 5.

Cap. Omnis Pontifex (§ 41). *Hym.* Deus tuorum militum (§ 37). ℣*s.* Justus germinabit (*ibid.*)

Antiphona.
Opem nobis, O Thoma, porrige:
Rege stantes, jacentes erige:
Mores, actus, et vitam corrige:
Et in pacis nos viam dirige.

Ps. Benedictus (p. 15).

Oratio. Deus pro cujus (§ 105).

Digitized by Google

§ 111.) AD PRIMAM, *A.* Granum cadit (§ 110). *Ps.* Deus, in nomine. *&c.: v.* § 6. *Añia ad Ps.* Quicunque (p. 20) *ut supra* (§ 110) *dictum est.*

AD TERTIAM, *Añia:*

Totus orbis Martyris certat in amorem;
Cujus signa singulos agunt in stuporem.

Ps. Legem pone. *&c.: v.* § 6.

Cap. Omnis Pontifex (§ 41).

℟ia *et* ℣li *ad Tertiam, Sextam, et Nonam, de Communi Unius Martyris et Pontificis dicuntur.*

AD SEXTAM, *Añia:*

Aqua Thomæ quinquies varians colorem,
In lac semel transiit, quater in cruorem.

Ps. Defecit. *&c.: v.* § 6.

Cap. Nemo sumit (§ 43).

AD NONAM, *Añia:*

Tu per Thomæ sanguinem, quem pro te impendit,
Fac nos, Christe, scandere, quo Thomas ascendit.

Ps. Mirabilia. *&c.: v.* § 6.

Cap. In ecclesiis (§ 43.)]

§ 112.) Tamen in Tempore Paschali,

quando de hac Commemoratione S. Thomæ fit servitium:

AD VESP'S, *super psalmos A.* Lux perpetua. *minor* (§ 1). *Psalmi Feriales.*

Cap. Omnis Pontifex (§ 41).

Hym. Martyr Dei qui unicum (§ 26). *In fine hymni* [*pro versu* Deo Patri.] *dicitur* Quæsumus auctor omnium. *et* Gloria tibi, Domine, Qui surrexisti. [*ut* § 2.]

℣*s.* Tristitia vestra, [℟*o.* Vertetur in gaudium, alleluja.]

Añia, Pastor cæsus (§ 105). *et finiatur cum* alleluja. *Ps.* Magnificat.

Oratio. Deus pro cujus (§ 105).

COMPLETORIUM *de Temporali non mutatur.*

§ 113.) AD MAT'S, *Inv.* Adest Thomæ (§ 106). *et finiatur cum* alleluja. *Ps.* Venite.

Hym. Martyr Dei (§ 26).

Super psalmos dicitur hæc sola añia, Summo sacerdotio (§ 106). *et finiatur cum* alleluja.

Psalmi: Beatus vir (p. 1). Quare fremuerunt gentes (p. 2). Dñe, quid multiplicati (*ibid.*)

℣*s.* Tristitia vestra, [℟*o.* Vertetur in gaudium, alleluja.]

Hi prædicti psalmi cum prædicta añia et versiculo dicuntur quotienscunque de hac Commemoratione Tempore Paschali dicitur; et non dicuntur alii psalmi, nec alia añia, nec alius ℣*s.*

Lectiones et ℟*ia sicut prius.*

§ 114.) *Ante Laudes* ℣*s,* Vox lætitiæ (§ 5).

IN LAUDIBUS, *hæc sola ant.* Granum cadit (§ 110). *et finiatur cum* alleluja. *Ps.* Dñs regnavit. [*et ceteri: v.* § 5.]

Cap. Omnis Pontifex (§ 41).

Hym. Deus tuorum militum (§ 37). *In fine* [*pro versu* Sit Christe.] *dicitur* Quæsumus auctor. *et* Gloria tibi, Domine, Qui surrexisti. [*ut* § 2.]

℣*s,* Gaudete (§ 6).

Digitized by Google

Ant. Opem nobis (§ 110). *et finiatur cum* alleluja. *Ps.* Benedictus. *Oratio ut supra* (§ 105).

AD PRIMAM, ET AD ALIAS HORAS, *omnia fiant sicut supra dictum est* (§ 111); *præter* ℟ia *et Versiculos ad Tertiam, Sextam, et Nonam; quæ erunt de Communi Unius Mart. sive Pont. Paschalis Temporis; ita tamen quod omnes añæ super Primam et alias Horas finiantur cum* alleluja.

[§ 115.) SERVITIUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.]

Quotidie per totum annum dicantur Vesperæ et Matutinæ de Sancta Maria in choro vel extra.

[Officium Parvum Dominae Nostrae in Adventu.]

VESPERÆ *de Sancta Maria per Adventum usque ad Vigiliam Nativitatis Dñi.*

Añæ. Prophetæ prædicaverunt nasci Salvatorem de Virgine Maria.

Psalmi: Lætatus sum (p. 89). Ad te levavi (p. 90). Nisi quia (*ibid.*): Qui confidunt (*ib.*): In convertendo (*ib.*)

In feria iij, quando isti prædicti Psalmi ad Vesp's de die dicantur, tunc ad Vesp. de S. Maria dicantur isti Psalmi, viz. Dixit Dñs (p. 86). Confitebor (*ibid.*): Beatus vir (*ib.*): De profundis (p. 91). Memento (p. 92). *Quod observetur in omni feria iij per totum annum quando fit de S. Maria Commemoratio in conventu.*

Cap. (Esajæ 7. C.)

ECCE, Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.

§ 116.) *Hym.* Ave Maris Stella.

AVE Maris Stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.
Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Euæ.
Solve vinc'la reis,
Profer lumen cæcis:
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse Matrem:
Sumat per te preces*
Qui pro nobis Natus
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto,
Tribus, honor unus. Amen.]

§ 117.) ℣*s.* Diffusa [est gratia in labiis tuis. ℟*o.* Propterea benedixit te Deus in æternum].

Ant. Ne timeas Maria; invenisti gratiam apud Dñm: ecce concipies et paries Filium; alleluja. *Ps.* Magnificat (p. 99). *Oratio.*

CONCEDE nos famulos tuos, quæsumus Dñe Deus, perpetuâ mentis et corporis salute gaudere; et gloriosâ Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione a præsenti liberari tristitia et æterna perfrui lætitia. *quæ terminetur sic.* Per Christum Dñm nostrum. [Amen.]

Non dicitur Dñs vobiscum. *nec* Benedicamus Dño. *sed statim dicitur Memoria de Sancto Spiritu.*

Añæ. Veni Sancte Spiritus: [reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.]

[* Vide Annotationes.]

Digitized by Google

℣. Emitte Spiritum [tuum, et creabuntur. ℟. Et renovabis faciem terræ].

Oratio. Deus qui corda [fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dm̃ nostrum].

Deinde fit Memoria de Sancto in cujus honorem dedicata est ecclesia; ut in præbendatis vel aliis ecclesiis Parochialibus. Et postea fiat Memoria de Reliquiis.

Añ̃a Corpora Sanctorum [in pace sepulta sunt; et vivent nomina eorum in sæculum sæculi].

℣. Beati qui habitant in domo [tua, Dñe. ℟. In sæcula sæculorum laudabunt te]. *Oratio.*

PROPITIARE, quæsumus Dñe, nobis famulis tuis per Sanctorum tuorum quorum reliquiæ in hac continentur ecclesiâ merita gloriosa; ut eorum pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per [Christum Dm̃ nostrum. Amen].

¶ *Alia Oratio ad Matutinas.*

PRÆSTA, quæsumus omnipotens Deus, ut Sanctorum tuorum quorum reliquiæ in hac continentur ecclesiâ nos protegant merita; quatenus eorum precibus tranquilla pace in tua jugiter laude lætemur. Per [Christum] Dominum [nostrum. Amen].

§ 118.) *Memoria de Omnibus Sanctis per Adventum cum ista añ̃a:* Ecce Dñs veniet, et omnes Sancti ejus cum eo; et erit in die illa lux magna; alleluja.

℣. Ecce apparebit Dñs super nubem candidam. ℟. Et cum eo Sanctorum millia. *Oratio.*

CONSCIENTIAS nostras, quæsumus Dñe, visitando purifica; ut veniens Jesus Christus Filius tuus Dñs noster cum omnibus Sanctis paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum [vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.]

Memoria de Pace. Añ̃a. Da pacem [Dñe in diebus nostris; quia non est alius qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster].

℣. Dñe fiat pax [in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis].

Oratio. Deus a quo [sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera; da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut ét corda nostra mandatis tuis dedita, èt, hostium sublatâ formidine, tempora sint tuâ protectione tranquilla]. *quæ terminetur sic:* Per Dm̃ nostrum *&c* [Per Dm̃ nostrum Jesum Christum, Filium tuum; Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.] *cum* Dñs vobiscum. [Et cum spiritu tuo.] *et* Benedicamus [Dño. Deo gratias.]

Alia Oratio subsequens dicitur ad Matutinas tantum. *Oratio.*

DEUS, auctor pacis et amator, quem nôsse vivere, cui servire regnare est; protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos; ut qui in defensione tua confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per Dm̃ [*&c. ut supra*].

Dñs vobiscum. [Et cum spiritu tuo.]

Benedicamus Dño. [Deo gratias.]

§ 119.) AD COMPLETORIUM *de S. Maria per Adv., Ant.* Beata es Maria, quæ credidisti: perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Dño; alleluja.

Psalmi: Usquequo (p. 6). Judica (p. 48). Sæpe expugnaverunt (p. 91). Dñe, non est (p. 92).

Cap. [Eccl'i 24. B.] Sicut cinnamomum [et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris].

Hymnus: [*Tres versus,*] Virgo singularis. Vitam præsta. Sit laus. [*ex hymno* Ave Maris Stella. § 116.]

℣. Elegit [eam Deus, et præelegit eam. ℟. Et habitare eam facit in tabernaculo suo].

Digitized by Google

Añа. Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. *Ps.* Nunc dimittis (p. 101).

Oratio. Gratiam tuam, [quæsumus Dñe, mentibus nostris infunde; ut qui Angelo nunciante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur.] *quæ finiatur sic*: Per eundem Dñm nostrum Jesum Christum.

Dñs vobiscum. [Et cum spiritu tuo.]

Benedicamus Dño. [Deo gratias.]

§ 120.) AD MAT. *de S. Maria per totum Adv., quando non fit Plenum Servitium de ea, Inv.* Ave Maria, gratia plena: Dñs tecum. *Ps.* Venite (p. 122).

Hymnus, Quem terra.

[QUEM terra, pontus, æthera,
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam,
Claustrum Mariæ bajulat.

Cui luna, sol, et omnia,
Deserviunt per tempora,
Perfusa cœli gratia
Gestant puellæ viscera.

Beata Mater munere,
Cujus supernus artifex,
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.

Beata cœli nuncio,
Fecunda Sancto Spiritu;
Desideratus gentibus,
Cujus per alvum fusus est.

Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine;
Cum Patre et Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula.]

¶ *Dominica et Feria ij, Ant.* Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Psalmi: Dñe Dñs noster (p. 4). Cœli enarrant (p. 10). Dñi est terra (p. 17).

℣*s.* Specie tua [et pulchritudine tua. ℟*o.* Intende, prospere procede, et regna.]

¶ *Feria iij, Ant.* Specie tua et pulchritudine tua; intende, prospere procede, et regna.

Psalmi: Eructavit cor meum (p. 45). Deus noster refugium (p. 46). Fundamenta ejus (p. 69).

℣*s.* Diffusa est gratia [in labiis tuis. ℟*o.* Propterea benedixit te Deus in æternum].

Feria iiij, Ant. Gaude Maria Virgo: cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.

Psalmi: Cantate Dño. *j.* (p. 73.) Dñs regnavit; exultet (*ibid.*): Cantate Dño. *ij.* (p. 75.)

℣*s.* Speciosa [facta es et suavis, ℟*o.* In deliciis tuis, sancta Dei Genitrix].

Feria v, vj, et Sabbato, quando non fit Plenum Servitium de S. Maria, idem ordo añarum et psalmorum et versiculorum servetur qui in præcedentibus feriis.

[§ 121.) *Quotidie*:]

Lectio j. [Esajæ 11. A.]

EGREDIETUR virga de radice Jesse; et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Dñi; Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum Spiritûs timoris Dñi. Hæc dicit [Dñs Deus: convertimini ad me et salvi eritis].

℟ (1). Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuncians ei verbum; et expavescit Virgo de lumine: Ne timeas Maria: invenisti gratiam apud Dñm: ecce concipies et paries; Et vocabitur Altissimi Filius. ℣. Dabit ei Dñs Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum. Et vocabitur [Altissimi Filius].

Lec. ij. [*ibid.*]

NON secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Et

Digitized by Google

percutiet terram virga oris sui; et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. Hæc dicit Dñs [Deus: *&c. ut supra*].

℟. (2). Ave Maria, gratia plena: Dñs tecum. Spiritus Sanctus superveniet in te; et virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. ℣. Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognosco: et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te; [et virtus —— Filius Dei.]

§ 122.) *Lectio iij.* [Esajæ 7. B, C.] LOCUTUS est Dñs ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Dño Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dñm. Et dixit: Audite ergo, domus David. Nunquid parum est vobis molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dñs ipse vobis signum. Ecce, Virgo concipiet, et pariet Filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Hæc dicit Dñs [Deus: *&c. ut* § 121].

℟. (3). Suscipe verbum, Virgo Maria, quod tibi a Dño per angelum transmissum est: concipiens per aurem, Deum paries et hominem. Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Paries quidem Filium, sed virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida, et eris Mater semper intacta. Ut benedicta [*&c.*] Gloria [Patri, et Filio, et Sp. S.] Ut [*&c.*]

Non dicatur Ps. Te Deum. *per totum Adventum.*

§ 123.) *Ante Laudes* ℣*s.* Sancta Dei genitrix, Virgo semper Maria. ℟*o.* Intercede pro [nobis ad Dñm Deum nostrum].

IN LAUDIBUS, *hæc sola Añа.*

PROPHETÆ prædicaverunt nasci Salvatorem de Virgine Maria.

Ps. Dñs regnavit. *et ceteri Psalmi consueti*: [*v.* § 5.]

Cap. Ecce, Virgo concipiet (§ 115).

Hymnus, O gloriosa femina.

O GLORIOSA femina,
Excelsa supra sydera;
Qui te creavit provide
Lactasti sacro ubere.

Quod Eua tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cœli fenestra facta es.

Tu Regis alti janua,
Et porta lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.

Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine;
Cum Patre et Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula.]

℣*s,* Elegit eam (§ 119).

Añа. Spiritus Sanctus in te descendet, Maria: ne timeas, habens in utero Filium Dei.; alleluja. *Ps.* Benedictus (p. 15).

Oratio, Concede nos (§ 117). *quæ sic terminetur,* Per Christum Dñm nostrum. [Amen.] *sicut ad Vesperas supra dictum est.*

Et fiat Memoria de Sancto Spiritu, et de Sancto Ecclesiæ, et de Reliquiis, et de Omnibus Sanctis, et de Pace; ut supra ad Vesperas (§§ 117, 118).

§ 124.) AD PRIMAM, *et ad omnes alias Horas per totum annum, quando non fit Plenum Servitium de S. Maria, dicatur hic hymnus*: Memento salutis. Maria plena. Gloria tibi, Dñe.

MEMENTO salutis auctor,
Quod nostri quondam corporis,
Ex illibata Virgine,
Nascendo formam sumpseris.

(*E Breviario Romano*:
Maria mater gratiæ,
Dulcis parens clementiæ;

Digitized by Google

Tu nos ab hoste protege,
Et mortis horâ suscipe.)
Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine;
Cum Patre et Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula.]

[AD PRIMAM,] *Ant.* Prophetæ prædicaverunt (§ 123). *Psalmi*: Deus, in nomine (p. 18). Laudate Dñm omnes (p. 89). Confitemini. [*iiij.* p. 19.] *Cap.* (Esajæ 11. A.)

EGREDIETUR virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet; et requiescet super eum Spiritus Dñi.

℟. Ave Maria, [gratia plena: Dñs tecum. (Ave — tecum.) ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Dñs tecum. Gloria Patri, et Filio, et Sp. Sancto. Ave — tecum.]

℣*s*, Diffusa (§ 120). *Oratio.*

DEUS qui de Beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, angelo narrante, carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis ut qui vere eam Dei genitricem credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Christum [Dñm nostrum]. Benedicamus Dño. [Deo gratias.]

§ 123.) AD TERTIAM, *Ant.* Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Psalmi: Ad Dñm cum tribularer (p. 89). Levavi (*ibid.*): Lætatus (*ib.*)

Cap. (Esajæ 11. A.)

NON secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.

℟. Diffusa est gratia, [In labiis tuis. (Diff. — tuis.) ℣. Propterea benedixit te Deus in æternum. In labiis tuis. Gloria Patri, et Filio, et Sp. S. Diff. — tuis.]

℣*s*, Specie tua (§ 120).

Oratio, Deus qui de Beatæ (§ 124).

AD SEXTAM, *Ant.* Angelus Dñi nunciavit Mariæ, et concepit de Spiritu Sancto; alleluja.

Psalmi: Ad te levavi oculos (p. 90). Nisi quia (*ibid.*): Qui confidunt (*ib.*)

Cap. (*Ubi supra.*)

ET percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium; et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.

℟. Specie tua, Et pulchritudine [tua. (Specie tua, Et p. t.) ℣. Intende, prospere procede, et regna. Et pulchritudine tua. Gloria Patri, et Filio, et Sp. S. Specie tua, Et p. tua].

℣*s*. Adjuvabit eam [Deus vultu suo. ℟o. Deus in medio ejus: non commovebitur].

Oratio, Deus qui (§ 124).

AD NONAM, *Ant.* Ave Maria, gratia plena: Dñs tecum: benedicta tu in mulieribus; alleluja.

Psalmi: In convertendo (p. 90). Nisi Dñs (p. 91). Beati omnes (*ibid.*)

Cap. (Esajæ 7. B.)

LOCUTUS est Dñs ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Dño Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dñm.

℟. Adjuvabit eam, [Deus vultu suo. (Adj. — suo.) ℣. Deus in medio ejus: non commovebitur. Deus vultu suo. Gloria Patri, et Filio, et Sp. S. Adj. — suo].

℣*s*, Elegit eam (§ 119).

[*Oratio*, Deus qui. § 124.]

¶ HIC *ordo de Vesperis et Matutinis S. Mariæ servetur per totum Adventum, nisi quando fit Plenum Servitium de ea.*

PER *totum annum dicantur Vesperæ et Matutinæ de S. Maria in conventu, nisi in duplicibus festis, et nisi in Vigilia Nativitatis Dñi, et ab illinc usque ad Oct. S. Stephani, et nisi in Vig. Epiphaniæ, et nisi ab Cœna Dñi usque ad Oct. Paschæ, et nisi in hebdomada Pentecostes.*

Digitized by Google

§ 126.) Quando fit Plenum Servitium de S. Maria per totum Adventum,

Ad Vesp's, *super Psalmos Feriales A.* Prophetæ prædicaverunt (§ 123).

Cap. Ecce, Virgo concipiet (§ 115).

Hym. Ave Maris Stella (§ 116).

℣*s.* Egredietur Virga [de radice Jesse. ℟o. Et Flos de radice ejus ascendet].

Añia, Ne timeas (§ 117). *Ps.* Magnificat.

Oratio, Deus qui de Beatæ (§ 124).

Memoria de Adventu.

Completorium *de Adventu non mutatur, nisi quod in fine hymni dicitur:*

Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine;
[Cum Patre et Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.]

Ad Mat's, *Inv.* In honore [beatissimæ Mariæ Virginis; Jubilemus Dño]. *Ps.* Venite.

Hym. Quem terra, pontus (§ 120).

Ant. Benedicta tu (§ 120). *Ps.* Dñe Dñs noster. *et ceteræ añæ cum suis psalmis, usque ad nonam añam, quæ erit,* Rorate cœli desuper, et nubes pluant Justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem. *quære has añas cum suis psalmis inferius in Servitio Beatæ Mariæ ab Oct. Epiph. usque ad Purificationem* (§ 137).

℣*s,* Egredietur Virga [*ut supra ad Vesp's*].

§ 127.) *Lectio j.*

Missus est Gabriel Angelus a Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen virginis Maria. Ad Mariam ergo Virginem Gabriel mittitur; qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nunciare veniebat, qui ad debellandas aëreas potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur: Dñs fortis et potens: Dñs potens in prælio. Et rursus: Dñs virtutum, ipsè est Rex Gloriæ. [Tu autem, Dñe, miserere nostri.]

℟. Missus est Gabriel Angelus (§ 121). *Lec. ij.*

Per Dei ergo fortitudinem nunciandus erat qui, virtutum Dñs, fortis et potens in prælio contra potestates aëreas ad bella veniebat. Multas ob causas non de simplici virgine, sed de desponsata Dñs voluit nasci. Primo videlicet, ut per generationem Joseph, cujus Maria cognata erat, Mariæ quoque nosceretur origo. Neque enim mos est Scripturæ genealogiam feminarum texere. Nam et de utroque intelligi potest quod dicitur: de domo David. [Tu autem, *&c.*]

℟. Ave Maria (§ 121).

§ 128.) *Lectio iij.*

Deinde ne velut adultera lapidaretur a Judæis; malens aliquos de ortu suo quam de pudore dubitare parentum; simul et virginibus impudicis occasionem tollens, ne Matrem quoque Salvatoris dicerent falsis suspicionibus infamatam. Tertio, ut in Ægyptum iens et inde rediens haberet viri solatium, qui integerrimæ virginitatis custos pariter ac testis existeret. Quarto, ne partus ejus diabolo pateret, et ne eum quasi de virgine natum cognosceret, et forsitan quasi ceteris hominibus eminentiorem morti tradere timeret. [Tu autem, *&c.*]

℟. Suscipe verbum (§ 122).

Non repetatur iij ℟ium in Commemoratione Beatæ Mariæ, nec etiam de Festo Loci; quod per totum Adventum et a Septuagesima usque ad Quadragesimam observetur.

[*Ante Laudes*] ℣*s.* Ora pro nobis, [sancta Dei genitrix. ℟o. Ut digni efficiamur promissionibus Christi].

In Laudibus, *A.* Prophetæ præ-

Digitized by Google

nostrum Jesum Christum Filium tuum. Amen.

Benedicamus Dño. Deo gratias.

Hoc modo debet hæc oratio terminari ad omnes Horas præterquam ad Nonam; quæ tunc debet sic terminari: [Per] Dñm nostrum Jesum Christum Filium tuum; Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. [*cum*] Dñs vobiscum. [Et cum spiritu tuo.] *et cum* Benedicamus Dño. [Deo gratias.]

§ 134.) AD TERTIAM, *Aña.* Quando natus [es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus, Deus noster].

Cap. (Ad Titum 3: A, B.)

APPARUIT benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei: non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.

℟. Sancta Dei genitrix, [Virgo semper Maria, (Sancta Dei — Maria,) ℣. Intercede pro nobis ad Dñm Deum nostrum. Virgo semper Maria. Gloria Patri, et Filio, et Sp. S. Sancta Dei — Maria.]

℣*s.* Post partum virgo [inviolata permansisti. ℟*o.* Dei genitrix, intercede pro nobis].

AD SEXTAM, *Aña.* Rubum [quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei genitrix, intercede pro nobis]. *Capitulum.*

TE laudant angeli, sancta Dei genitrix; quæ virum non cognovisti, et Dñm in tuo utero bajulasti.

℟. Post partum virgo [Inviolata permansisti. (Post p. v. I. p.) ℣. Dei genitrix, intercede pro nobis. Inviolata permansisti. Gloria Patri, et Filio, et Sp. S. Post p. v. I. p.]

℣*s.* Speciosa [facta es et suavis, ℟*o.* In deliciis tuis, sancta Dei genitrix].

AD NONAM, *Aña.* Germinavit radix Jesse; [orta est stella ex Jacob: Virgo peperit Salvatorem: te laudamus, Deus noster.] *Capitulum.*

VIRGO verbo concepit; Virgo permansit; Virgo peperit Regem omnium regum.

℟. Speciosa facta es [et suavis, In deliciis tuis, (Speciosa — tuis,) ℣. Sancta Dei genitrix. In deliciis tuis. Gloria Patri, et Filio, et Sp. S. Speciosa — tuis].

℣*s.* Dignare me [laudare te, Virgo sacrata. ℟*o.* Da mihi virtutem contra hostes tuos].

§ 135.) AD VESP's, *Ant.* Post partum [virgo inviolata permansisti: Dei genitrix intercede pro nobis]. *Ps.* Lætatus sum. [*et ceteri*: *v.* § 115.]

In tertia tamen feria, dicuntur psalmi Dixit Dominus (p. 86). Confitebor (*ibid.*): Beatus vir qui timet (*ib.*): De profundis (p. 91). Memento (p. 92). *Capitulum.*

BEATA es, Maria, quæ Dñm portasti Creatorem Mundi; genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

Hym. Enixa est puerpera. Gaudet chorus. Gloria tibi. [*ut* § 132.]

℣*s*, Diffusa est gratia (§ 120).

Aña. Nesciens Mater Virgo virum peperit sine dolore Salvatorem sæculorum: ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno. *Ps.* Magnificat.

Or. Concede nos [famulos tuos — lætitia. *ut* § 117. Per Dñm nostrum *&c. ut* § 118].

Memoriæ ut supra ad Mat. (§ 132) *subnotatum est; ita tamen quod de Omnibus Sanctis fiat Memoria cum hac aña*, Sancti Dei omnes, [qui estis consortes supernorum civium; intercedite pro nobis.]

℣*s.* Lætamini [in Dño et exultate justi. ℟*o.* Et gloriamini omnes recti corde].

Or. Infirmitatem [nostram, quæ-

Digitized by Google

sumus Dñe, propitius respice; et mala omnia quæ juste meremur, omnium Sanctorum tuorum intercessione averte. Per Dñm nostrum *&c. ut* § 118].

AD COMPLETORIUM, *Añа.* Completi sunt dies Mariæ ut pareret Filium suum primogenitum. *Ps.* Usquequo. [*et ceteri: v.* § 119.]

Cap. Sicut cinnamomum (§ 119).

Hym. Virgo singularis. [Vitam præsta. Sit laus. *ut* § 119.]

℣*s*, Elegit eam (§ 119).

Añа. Ecce completa sunt omnia quæ dicta sunt per angelum de Virgine Maria. *Ps.* Nunc dimittis.

Or. Concede, quæsumus misericors Deus. *Et dicatur ad Compl. B. Virginis per totum annum extra Adv. et Tempus Paschale.*

[CONCEDE quæsumus, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium; ut qui sanctæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ commemorationem agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Dñm nostrum *&c. ut* § 118.]

§ 136.) Quando vero fit Plenum Servitium de Sancta Maria ab Oct. Epiph. usque ad Purificationem Beatae Mariae:

AD VESPERAS, *Ant.* Post partum (§ 135). *Psalmi Feriales.*

Cap. Beata es, Maria (§ 135).

Non dicitur ℟*ium.*

Hym. Enixa est (§ 132).

℣*s*, Sancta Dei genitrix (§ 123).

Ant. Nesciens Mater (§ 135). *Ps.* Magnificat.

Or. Deus qui salutis (§ 133).

Memoria de aliquo Sancto, si habeatur, fiat tantùm: nulla enim fiat Memoria de Omnibus Sanctis.

AD COMPLETORIUM *omnia fiant sicut in Dominicis hujus temporis, cum hac Añа.* Glorificamus te, [Dei genitrix; quia ex te natus est Christus: salva omnes qui te glorificant.] *Ps.* Nunc dimittis.

Preces ad Compl., scilicet more solito, et cetera.

§ 137.) AD MAT. *Inv.* In honore beatissimæ Mariæ Virginis, Jubilemus Domino. *Ps.* Venite.

Hym. Castæ parentis (§ 130).

IN NOCTURNO, *Ant.* 1. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. *Ps.* Dñe Dñs noster (p. 4).

A. 2. Sicut myrrha electa odorem dedisti suavitatis, sancta Dei genitrix. *Ps.* Cœli enarrant (p. 10).

A. 3. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix. *Ps.* Dñi est terra (p. 17).

A. 4. Specie tua et pulchritudine tua: intende, prospere procede, et regna. *Ps.* Eructavit (p. 47).

A. 5. Adjuvabit eam I eus vultu suo: Deus in medio ejus; non commovebitur. *Ps.* Deus noster refugium (p. 46).

A. 6. Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei genitrix. *Ps.* Fundamenta (p. 69).

A. 7. Gaude Maria Virgo: cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. *Ps.* Cantate. *j.* (p. 73.)

A. 8. Dignare me laudare te, Virgo sacrata: da mihi virtutem contra hostes tuos. *Ps.* Dominus regnavit; exultet (p. 73).

A. 9. Post partum virgo inviolata permansisti: Dei genitrix, intercede pro nobis. *Ps.* Cantate. *ij.* (p. 75.)

℣*s*, Sancta Dei genitrix (§ 123).

§ 138.) *Lectio j.*

PARTURIENTE Maria natus est nobis Dei Filius; ut germanæ carnis nostræ conceptione productus, creato a se homini et pietatem paternam et fraternum largiretur affectum. Et natus sane ab intacta est femina; ut eum hominem testaretur partus humanus, et Deum probaret æterna

Digitized by Google

virginitas. Nam sicut non poterat nisi caro de carne nasci, ita non poterat Dei caro femineo utero nisi sine generante prodire. Propter quod ait angelus beatissimæ Mariæ: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

℟. Sancta et immaculata (§ 131).

Lectio ij.

SPIRITUS (inquit) Sanctus superveniet in te. Idcirco tibi, frater, virtutem Spiritus Sancti angelicus sermo prætexit, ne conjecturis carnalis disputationis hebetatus, cœleste tibi ipse mysterium terrena argumentatione confundas. Annon putas Eum novum puerum in alvo virginis potuisse formare, qui, cum primum conderet hominem, nec semen patris nec viscera materna quæsivit? Dic itaque, quicunque es supernæ dispensationis arbiter et discussor, quæ tibi videtur virtus eminentior, aut partum dedisse virgini, aut perfectum hominem creasse de terra. Primus enim homo, ut ait apostolus, de terra terrenus: Secundus Homo de cœlis cœlestis.

℟. Beata es Maria (§ 131).

§ 139.) *Lectio iij.*

SI contra naturam esse contendis quod in mysterio redemptionis nostræ sine viro puella asseritur concepisse, cujus quæso naturæ est quod in parente generis nostri caro sine carne formata est? Quæ est ista ratio, immo quam cæca contentio: ut non credatur Deus posse facere hominem de femina, quem creditur fecisse de pulvere? Si omnipotentis, o homo, tali in negocio esse perspicis voluntatem, de opere cur retractas? Omnia enim, sicut legitur, quæcunque voluit Dñs, fecit, in cœlo et in terra. Et si sollicitus perscruteris, præter hunc legitimum humanæ conceptionis usum, tres valde mirabiles nascendi species operatam reperies Trinitatem. Et prima siquidem est quod Adam figuratus est ex limo. Secunda, quod mulier formata est ex masculo. Tertia, quæ est cœlestis, quod Christus processit ex Virgine.

℟. Te laudant (§ 132).

[§ 140.) *Ante Laudes]* ℣*s*, Ora pro nobis (§ 128).

IN LAUDIBUS *hæc sola A.* O admirabile (§ 132).

Cap. Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris (§ 134).

Hym. Enixa est puerpera,
Quem Gabriel prædixerat;
[*&c. ut* § 132.]

℣*s*, Elegit eam (§ 119).

Ant. Beatus venter (§ 132). *Ps.* Benedictus.

Or. Deus qui salutis (§ 133).

Memoria ut supra, si aliquod festum habeatur: [*v.* § 136.]

AD PRIMAM, *A.* O admirabile (§ 132). *Ps.* Deus, in nomine (p. 18).. Beati immaculati (p. 19). Retribue (p. 20).

A. Te jure (§ 129). *Ps.* Quicunque (p. 20).

℟. Jesu Christe. ℣. Qui de Virgine. [*ut* § 129.]

AD TERTIAM, *A.* Quando natus (§ 134). *Ps.* Legem pone. [*et ceteri: v.* § 6].

Cap. Apparuit benignitas (§ 134).

℟. Sancta Dei genitrix (*ibid.*)

℣*s*, Post partum (*ib.*)

Or. Deus qui salutis (§ 133).

AD SEXTAM, [*A.*] Rubum quem (§ 134). *Ps.* Defecit. [*et ceteri: v.* § 6.]

Cap. Te laudant (§ 134).

℟. Post partum (*ibid.*)

℣*s*, Speciosa facta (*ib.*)

[*Oratio ut supra.*]

AD NONAM, *A.* Germinavit (§ 134). *Ps.* Mirabilia. [*et ceteri: v.* § 6.]

Cap. Virgo verbo concepit (§ 134).

℟. Speciosa (*ibid.*)

℣*s*, Elegit eam (§ 119).

Oratio ut supra.

Digitized by Google

§141.) Post Purificationem vero usque ad Adventum Domini, quando non fit Plenum Servitium de S. Maria,

Hoc *modo dicantur* Matutinæ *de ea.*

Inv. Ave Maria (§ 120). *Ps.* Venite.

Hym. Quem terra (§ 120).

Añæ, psalmi, et ℣li sicut supra [*ibidem*] *notati sunt.*

Lec. j. Sancta Maria, Virgo (§ 131). ℟. Sancta et immaculata (*ibid.*)

Lec. ij. Sancta Maria, piarum (§ 131). ℟. Beata es, Maria (*ibid.*)

Lec. iij. Sancta Dei genitrix (§ 131). ℟. Felix namque. ℣. Ora pro populo. *et dicitur in fine sic:* quicunque celebrant tuam commemorationem. Quia ex te. Gloria. Quia.

[℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima; Quia ex te ortus est Sol Justitiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum levamen, quicunque celebrant tuam commemorationem. Quia ex te ortus est Sol Justitiæ, Christus Deus noster. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Christus Deus noster.]

Ps. Te Deum (p. 11).

[**§ 142.)** *Ante Laudes*] ℣*s*, Sancta Dei genitrix (§ 123).

In Laudibus, *A.* O admirabile (§ 132). *Ps.* Dñs regnavit. *et ceteri psalmi consueti:* [*v.* § 5.]

Cap. Maria virgo (§ 132).

Hym. O gloriosa femina (§ 123).

℣*s.* Elegit eam [Deus, et prælegit eam]. ℟o. Habitare facit [eam in tabernaculo suo].

Ant. O gloriosa Dei genitrix.

[O Gloriosa Dei genitrix, Virgo semper Maria,
Quæ Dominum omnium meruisti portare,
Regem Angelorum sola virgo lactare;
Nostris precibus pie memorare,
Et pro nobis Christum semper deprecare;
Ut tuis suffulti patrociniis,
Ad cœlestia regna mereamur pervenire,
Per Christum ((Dominum nostrum)). ((? Amen.))]

Ps. Benedictus.

Or. Concede nos (§ 117). *quæ terminetur sic:* Per Christum Dominum nostrum. Amen. *sine* Dominus vobiscum. *et sine* Benedicamus Domino.

In fine, Memoriæ de Sancto Spiritu, et de Festo Loci, et de Reliquiis: et de Omnibus Sanctis, et de Pace, sicut antea: [*v.* §§ 117, 118.]

Ita tamen quod in Tempore Paschali fiat Memoria de Omnibus Sanctis tam ad Vesperas quam ad Matutinas sicut in ij feria post Oct. Paschæ notatum est. Quando vero fit aliqua talis Memoria ad servitium de die, vel fit Plenum Servitium, tunc non fiet Memoria in Servitio de Sancta Maria.

§ 143.) Ad Primam, *A.* O admirabile (§ 132). *Ps.* Deus, in nomine (p. 18). Laudate Dñm (p. 89). Confitemini. *iiij.* (p. 19).

Cap. [24. A]. In omnibus requiem [quæsivi, et in hereditate Dñi morabor. Tunc præcepit et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo].

℟. Ave Maria (§ 124).

℣*s*, Sancta Dei genitrix (§ 123).

Or. Concede nos. *quæ terminetur sic ad omnes Horas præterquam ad Nonam:* Per Christum Dominum nostrum. Amen. ℣*s.* Benedicamus Domino. ℟o. Deo gratias. *Ad Nonam vero ita finiatur:* Per Dñm nostrum Jesum Christum Filium tuum; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Dñs vobiscum.

Digitized by Google

Et cum [spiritu tuo]. Benedicamus Dño. Deo gratias.

§ 144.) AD TERTIAM, *A.* Quando natus (§ 134). *Ps.* Ad Dñm cum tribularer. [*et ceteri: v.* § 125.]

Cap. [24. A.] Ab initio [et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam; et in habitatione sancta coram ipso ministravi].

℟. Sancta Dei genitrix (§ 134.)

℣*s*, Post partum (*ibid.*)

AD SEXTAM, *A.* Rubum quem (§ 134). *Ps.* Ad te levavi. [*et ceteri: v.* § 125.]

Cap. [Eccl'i 24. B.] Et sic in Sion [firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Hjerusalem potestas mea].

℟. Post partum (§ 134).

℣*s*, Speciosa (*ibid.*)

AD NONAM, *A.* Germinavit (§ 134). *Ps.* In convertendo. [*et ceteri: v.* § 125.]

Cap. [Eccl'i 24. B]. Et radicavi [in populo honorificato, et in parte Dei mei hereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea].

℟. Speciosa (§ 134.)

℣*s*, Dignare (*ibid.*)

§ 145.) AD VESP'S, *Ant.* Post partum (§ 135). *Ps.* Lætatus. *vel, in feria iij, Ps.* Dixit Dñs. *et ceteri psalmi consueti*: [*v.* § 115.]

Cap. Beata es, Maria (§ 135).

Hym. Ave Maris Stella (§ 116).

℣*s*, Diffusa (§ 120).

Añа. Sancta Maria, succurre [miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu]. *Ps.* Magnificat.

Or. Concede nos (§. 117). *et finiatur sicut ad Mat's.*

Memoriæ sicut supra (§ 142) *dictum est.*

AD COMPL. *A.* Cum jocunditate [commemorationem Beatæ Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dñm Jesum Christum]. *Ps.* Usquequo. [*et ceteri: v.* § 119.]

Cap. Sicut cinnamomum (*ibid.*)

Hymnus. Virgo singularis. Vitam præsta. Sit laus Deo. [*ut ibid.*]

℣*s*, Elegit eam (*ibid.*)

Añа. Glorificamus te, [Dei genitrix; quia ex te natus est Christus: salva omnes qui te glorificant]. *Ps.* Nunc dimittis.

Or. Concede quæsumus, misericors Deus (§ 135). *Sed in Tempore Paschali usque ad Vig. Ascensionis, ac etiam per Adventum, dicitur Oratio* Gratiam tuam (§ 119).

§ 146.) Quando vero fit Plenum Servitium de S. Maria a Purificatione ipsius usque ad Adv. Domini, extra Tempus Paschale, hoc modo fiat Servitium.

AD VESP'S, *super psalmos A.* Post partum (§ 135.) *Psalmi Feriales.*

Cap. Beata es Maria (§ 135).

Non dicatur ℟*ium.*

Hym. Ave Maris Stella (§ 116).

℣*s*, Sancta Dei genitrix (§ 123).

Ant. Sancta Maria, succurre (§ 145). *Ps.* Magnificat.

Or. Concede (§ 117).

Memoria fiat de aliquo Sancto, si habeatur, tantùm: [*v.* § 136.]

COMPLETORIUM *Temporale non mutatur; nisi quod in fine hymni dicetur*, Gloria tibi, Domine, Qui natus [*&c. ut* § 116].

Super Psalmum Nunc dimittis *dicitur Ant.* Glorificamus te (§ 145).

§ 147.) AD MAT. *Inv.* In honore beatissimæ Mariæ Virginis: Jubilemus Dño. *Ps.* Venite.

Hym. Quem terra (§ 120).

IN NOCTURNO, *A.* 1. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. *Ps.* Dñe Dñs noster (p. 4).

A. 2. Sicut myrrha electa odorem

Digitized by Google

dedisti suavitatis, sancta Dei genitrix. *Ps.* Cœli enarrant (p. 10).

A. 3. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix. *Ps.* Dñi est terra (p. 17).

A. 4. Specie tua et pulchritudine tua: intende, prospere procede, et regna. *Ps.* Eructavit (p. 45).

A. 5. Adjuvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus; non commovebitur. *Ps.* Deus noster refugium (p. 46).

A. 6. Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei genitrix. *Ps.* Fundamenta (p. 69).

A. 7. Gaude Maria Virgo: cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. *Ps.* Cantate. *j.* (p. 73).

A. 8. Dignare me laudare te, Virgo sacrata: da mihi virtutem contra hostes tuos. *Ps.* Dñs regnavit; exultet (p. 73).

A. 9. Post partum virgo inviolata permansisti: Dei genitrix intercede pro nobis. *Ps.* Cantate. *ij.* (p. 75).

℣*s*, Sancta Dei genitrix (§ 123).

§ 148.) LEGENDA I:

Lectio prima.

O ALMA Virgo Maria, tanto cunctis angelorum spiritibus, omniumque electorum animabus, in conspectu Filii tui Dñi nostri Jesu Christi es gloriosior, quanto ab ipso fieri meruisti beatior. Obsecramus ergo lachrymosis suspiriis, ut nnnc ad gemitum nostri mœroris aurem inclines magnificæ pietatis. Nos quidem pro innumerabilibus delictis infernale supplicium meruimus, ubi nullatenus pœnitentiæ datur locus. Quoniam fidem aliquando Domino nostro Jesu Christo promisimus, sed male vivendo hactenus mentiti sumus. *Lec. ij.*

SURGE ergo, beata Virgo, misericorditer actura pro nobis. Surge et amplectere misericordiam Redemptoris. Da preces pro nobis, quos cernis offensos ante oculos Conditoris. Cæcos cordium oculos terge, atque semitas justitiæ ostende. Orando a nobis vitia subtrahe, atque sancta plantaria virtutum nobis insere. Impetra cursum quo consequitur supernum bravium. Sic certamen orationum obtine in cœlis, ut deleas quicquid deliquimus in terris. Non enim est aliquid in nobis tam pravum quod, si tibi placet, orando abolere non possis. *Lec. iij.*

O SACRATISSIMA Virgo, nos quidem hoc credimus, quod Virgo et Mater Dei sis: credendo sentiamus quod pro nobis depreceris, et juxta petentium vota impetrata assequaris. Et qui credimus te peperisse Deum et hominem, gaudeamus per te nobis advenisse salutem. Et qui fatemur te omnibus hominibus esse meliorem, gaudeamus per te percepisse felicitatem. Et quotienscunque ad nos processerit divina miseratio, tua, ne inflemur, assit tuitio. Et si processerit tribulatio, vel hora tentationis; ne labamur, præsens sit tua sancta oratio nobis. Sic compone nostras preces, ut nobis nôsti esse opus; quo servi Filii tui, Dñi Dei nostri, effici mereamur. Largiente eodem Domino nostro Jesu Christo; Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Et semper cantentur ℟*ia:* Sancta et immaculata (§ 131). Beata es, Maria (*ibid.*) *et* Felix namque es, sacra (§ 141).

§ 149.) ¶ *Item Aliæ Lectiones de Sancta Maria per Æstatem.*

LEGENDA II: *Lectio j.*

ADJUVA nos beata Dei genitrix, Virgo Maria, templum Dei vivi, aula regis æterni, sacrarium Spiritus Sancti. Tu virga de radice Jesse, tu cedrus in Libano, tu rosa purpurea in Hjerico, tu cypressus in monte Sion. Quæ singulari privilegio, sicut nescis in hominibus comparem, ita nihilominus et angelicam superas dignitatem. Cui novo

Digitized by Google

et inaudito miraculo datum est ut Verbum quod Deus ante sæcula genuit, fieret Filius tuus; et Homo quem tu in fine sæculorum genuisti, verus atque perfectus esset Filius Dei. Gemina quidem natura, sed una persona, Deus et Homo, unus Emmanuel. *Lec. ij.*

EXAUDI nos gloriosa puerpera, in qua sola reperitur fecunda virginitas. Quæ sic ex intemeratis visceribus Filium protulisti, ut illibatæ pudicitiæ integritas cresceret, non libido virginalis clausulæ signaculum violaret. Tibi Spiritus Sanctus dum conciperes obumbravit, non ut ipse (quod absit) in sacratissimo utero tuo fieret pro semine sobolis; sed potius usus est virtute ac potentia Creatoris. De te summus Pontifex noster sui Corporis hostiam sumpsit, quod in ara Crucis pro totius mundi salute sacrificium obtulit. Tu lux oriens Nazareth, tu gloria Hjerusalem, tu lætitia Israel, tu decus mundi, tu nobilitas populi Christiani.

Lectio iij.

O REGINA mundi, scala cœli, thronus Dei, janua Paradisi; audi preces pauperum, et ne despicias gemitus miserorum. Inferantur a te vota nostra atque suspiria conspectui Redemptoris; ut quæ nostris excluduntur meritis, per te locum apud aures obtineant divinæ pietatis. Dele peccata; relaxa facinora. Erige lapsos; solve compeditos. Per te succidantur vepres et germina vitiorum; præbeantur flores et ornamenta virtutum. Placa precibus Judicem, quæ singulari puerperio genuisti Salvatorem. Ut qui per te factus est particeps humanitatis nostræ, per te quoque nos consortes efficiat divinitatis suæ.

§ 150.) ¶ *Item Aliæ Lectiones de Sancta Maria.*

LEGENDA III: *Lectio j.*

O BEATA Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum et laudum præconia impendere; quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ tuo solo commercio recuperandi vitam aditum invenit. Accipe itaque quascunque exiles, et quascunque meritis tuis impares, gratiarum actiones; et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Tu autem, [*&c. ut* § 127]. *Lec. ij.*

ADMITTE, sancta Dei genitrix, preces nostras intra sacrarium tuæ exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile quod per te ingerimus, sit impetrabile quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus. Tu autem, Dñe, miserere [nostri]. *Lec. iij.*

SANCTA Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles: ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum levamen, quicunque celebrant tuam Commemorationem. Assiste parata votis poscentium, et repende omnibus nobis optatum effectum. Sit tibi studium assidue orare pro populo Dei, quæ meruisti benedicta precium proferre mundi, Jesum Christum Dñm Nostrum; Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. Tu autem, Dñe, miserere nostri. Deo gratias. [*v. Annot.*]

§ 151.) ¶ *Item Aliæ Lectiones de Sancta Maria.*

LEGENDA IV: *Lectio j.*

SACROSANCTAM venerabilis Dei genitricis Mariæ memoriam congrue divinis laudibus Catholica frequentat Ecclesia; quæ ejus sine intermissione salutari indiget auxilio. Nam reverentia quæ Matri defertur, illi etiam qui eam talem fecit ut Virgo et Mater esset exhibetur. Ideo ergo totis desideriis totisque præco-

Digitized by Google

niis ejus insistamus laudibus; ut et Matrem sentiamus nobis piissimam, et Filium ejus Judicem serenissimum. Hæc est Virgo quæ antiquum diabolicæ seditionis chirographum abolevit, totique sæculo subvenit, et cœleste regnum patefecit, dum per Spiritum Sanctum Dei Filium concepit. *Lec. ij.*

OPERÆ precium quippe est ut intentis celebretur laudibus ei in terris cui officiosissime angeli famulantur in cœlis. Nam si eam ille præcipuus Gabriel humiliter salutavit in terris, quanto magis super cœlos exaltatam, et, ut ita dicam, in throno Dei collocatam, nunc cum Sanctis omnibus honorat laudibus dignissimis? Hæc est sola cui nulla virgo potest comparari, quia tanta est ut quanta sit non possit enarrari. Hanc sancti expectabant patriarchæ, hanc sancti præcinebant prophetæ, omnesque quos Spiritus Sanctus attigerat, optabant videre. Tu autem, Dñe, miserere [nostri]. *Lec. iij.*

HÆC tanta tamque sancta et regia Virgo digno exigit venerari præconio, cujus constat mundus salvatus suffragio. Hæc, inquam, est fenestra cœli, aurora Solis æterni, janua paradisi, et vera arca propitiatorii. Hæc est ergo domina regum, decus mulierum, gemma virginum, lux sæculorum, congratulatio angelorum, consolatio miserorum, refugium peccatorum, omnium reparatio credentium. Quicquid igitur boni mundus habet, ab illa habet, ex qua salutis nostræ initium manat. Hæc nobis suis semper subvenire dignetur veneratoribus, atque pie sacris precibus a vitiis purget omnibus; seque considerare et collaudare donet in cœlestibus.

§ 152.) ¶ *Item Aliæ Lectiones de Sancta Maria.*

LEGENDA V: *Lectio j.*

LOQUAMUR aliquid, fratres, in laudibus sacratissimæ Virginis Mariæ. Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in ejus laudibus referemus; cum etiamsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? *Lectio ij.*

ALTIOR enim cœlo est de qua loqui nitimur, abysso profundior cui laudes dicere conamur. Deum enim quem omnis creatura non capit, ipsa immaculato utero clausum gestavit. Hæc est enim quæ sola meruit Mater [esse], et Sponsa Christi vocari. Hæc primæ matris damna resolvit; hæc homini perdito redemptionem adduxit. *Lec. iij.*

MATER enim generis nostri pœnam intulit mundo: genitrix Dñi Nostri Jesu Christi salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eua; auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percussit, ista sanavit. Hæc enim mirabili atque inæstimabili modo omnium rerum et suum peperit Salvatorem.

§ 153.) ¶ *Item Aliæ Lectiones de Sancta Maria.*

LEGENDA VI: *Lectio j.*

BEATA et venerabilis Virgo Maria Mater [est] Dñi nostri Jesu Christi secundum carnem; ex semine Abrahæ orta, ex tribu Juda; virga de radice Jesse, clara ex stirpe David. Filia Hjerusalem, stella maris, ancilla Dei, regina gentium, domina regum, Sponsa Dñi, Mater Christi, Conditoris templum, Spiritus Sancti sacrarium. Velut columba speciosa, pulchra ut luna, electa ut sol, signaculum fidei, reparatio viæ, introitus vitæ, janua cœli, decus mulierum, caput virginum, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium. *Lec. ij.*

MULTIPLICATUR ut cedrus Libani, florens ut palma, velut oliva fructifera in domo Dñi. Virgo sancta, Virgo prudens et una ex numero prudentum, Virgo pulcherrima, Virgo pu-

Digitized by Google

dica; corpore decora, animo fulgida, fide perspicua, mente præclara, amore virginitatis devota; ad obediendum parata, in ministerio sibi credito cauta, in persecutione pacifica, in passione Christi mente compassa. A prophetis Dei prædicata, ab Archangelo salutata, a Spiritu Sancto fecundata, atque ab eodem obumbrata; seminis virilis ignara, prole Filii fecunda, Virgo innupta, ex Filio læta, fide concipiens, gaudio pariens, Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum.

Lectio iij.

AUCTOR mortis diabolus, per cujus invidiam mors introivit in orbem terrarum, omne genus hominum in primo parente veneno nequitiæ suæ potavit; et quasi arborem in radice, antequam proles propaginis prodiret, vitiavit. Inde est ergo quod radix vitiata quotidie indesinenter frondet, frondesque ejus indesinenter per mortem marcescunt. Et sæpe contingit quod aurum fulgens reperiatur in luto, et ex pungente spinâ pulchra rubens oriatur et rosa. Hoc enim operante providentia divina, ex radice vitiata sine vitio prodiit Virga, quæ intelligitur beatissima Virgo Maria, attestante Esaja Propheta, qui dixit: Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Hujus enim gloriosæ Virginis, id est, Sanctæ Mariæ, figuram tenuit virga illa quæ in ministerio Aaron Sacerdotis, jubente Dño, a sancto Moyse in tabernaculo posita, atque altera die sola fronduit, nucesque protulit; quia proculdubio sola Virgo Maria fuit quæ Dñm peperit, et post partum virgo permansit.

[**§ 154.**) *Ante Laudes*] ℣. Ora pro nobis, [Sancta Dei Genitrix; ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi].

IN LAUDIBUS *hæc sola Ant.* O admirabile (§ 132). *Ps.* Dñs regnavit. [*et ceteri: v.* § 5.]

Cap. Ab initio (§ 144).

Hym. O gloriosa femina (§ 123).

℣*s*, Elegit eam (§ 142).

Ant. O gloriosa Dei genitrix (*ibid.*)

Ps. Benedictus.

Or. Concede nos (§ 117).

Memoria de aliquo Sancto, si habeatur.

AD PRIMAM, *A.* O admirabile (§ 132). *Ps.* Deus, in nomine. [*et ceteri: v.* § 129.]

Añia. Te jure (*ibid.*) *Ps.* Quicunque (p. 20).

℟. Jesu Christe. ℣. Qui de Virgine. [*ut* § 129.]

Preces quæ ad Primam pertinent expleantur.

§ 155.) AD TERTIAM, *A.* Quando natus (§ 134). *Ps.* Legem pone. [*et ceteri: v.* § 6.]

Cap. Ab initio (§ 144). ℟. Sancta Dei genitrix (§ 134).

℣*s*, Post partum (*ibid.*)

Or. Concede nos (§ 117).

AD SEXTAM, *A.* Rubum quem (§ 134). *Ps.* Defecit. [*et ceteri: v.* § 6.]

Cap. Et sic in Sion (§ 144). ℟. Post partum (§ 134).

℣*s*, Speciosa (*ibid.*).

Or. Concede (§ 117).

AD NONAM, *A.* Germinavit (§ 134). *Ps.* Mirabilia. [*et ceteri: v.* § 6.]

Cap. Et radicavi (§ 144). ℟. Speciosa (§ 134).

℣*s*, Elegit (§ 142).

Or. Concede nos (§ 117).

§ 156.) In Paschali Tempore, quando fit Plenum Servitium de S. Maria:

AD VESP'S, *super psalmos Ant.* Post partum. (§ 135). *et finiatur cum* alleluja. *Psalmi Feriales.*

Cap. Beata es, Maria (§ 135).

Hym. Ave Maris (§ 116).

℣*s*, Sancta Dei genitrix (§ 123).

Digitized by Google

Ańa, Sancta Maria, succurre (§ 145). *et finiatur cum* alleluja. *Ps.* Magnificat.

Or. Concede nos (§117).

Memoria fiat de aliquo Sancto, si habeatur; et postea de Resurrectione, sicut in aliis festis cum regimine chori.

[*Memoria de Resurrectione ad Vesperas.*

Ańa. Surrexit Dominus de sepulchro; qui pro nobis pependit in ligno; alleluja, alleluja.

℣. Resurrexit Dn̄s; ℟. Sicut dixit vobis, alleluja.

Oratio.

DEUS qui per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti; vota nostra quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eundem Dn̄m nostrum *&c. ut* § 118.]

COMPL. *de Temporali non mutatur, nisi quod in fine hymni dicetur* Quæsumus, Auctor. *et* Gloria tibi Domine, Qui natus.

[Quæsumus, Auctor omnium;
In hoc Paschali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine;
Cum Patre et Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.]

§ 157.) AD MAT. *Inv.* In honore (§ 147). *et finiatur cum* alleluja. *Ps.* Venite.

Hym. Quem terra (§ 120).

Et dicitur hæc sola ańa super psalmos: Ant. Benedicta tu (§ 147). *et finiatur cum* alleluja.

Psalmi: Dn̄e Dn̄s noster (p. 4). Cœli enarrant (p. 10). Dn̄i est terra (p. 17).

℣. Sancta Dei genitrix (§ 123).

Hi prædicti psalmi cum prædicta ańa et ℣lo dicuntur quotienscunque fit Plenum Servitium de S. Maria usque ad Pent.; et non alii psalmi, nec alia ańa, nec alius ℣.

Lectio j. [S. Joh. 19. E.]

STABANT juxta crucem Jesu, Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus Matrem, et discipulum stantem quem diligebat, dixit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo, Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.

℟. Sancta et immaculata (§ 131). *et finiatur cum* alleluja.

§ 158.) *Lectio ij.*

HÆC nimirum est illa hora de qua Jesus aquam conversurus in vinum dixerat Matri: Quid mihi et tibi est, Mulier? nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat; in qua deberet agnoscere moriturus de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis, sed infirmitatis Matrem velut incognitam reprehendebat; nunc autem, humana jam patiens, ex qua fuerat factus Homo, affectu commendabat humano. Tunc vero qui Mariam creaverat innotescebat virtute; nunc vero quem Maria pepererat pendebat in Cruce.

℟. Beata es (§ 131). *et finiatur cum* alleluja, alleluja. *Lec. ij.*

MORALIS igitur insinuatur locus. Facit quod faciendum admonet; et exemplo suo suos instruxit præceptor bonus ut a filiis piis impendatur cura parentibus. Tanquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fieret Magistri docentis. Ex hac doctrina sana didicerat Paulus Apostolus quod docebat quando dicebat: Si quis autem suis, et maxime domesticis, non providet, fidem negat, et est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum, quam parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque saluberrimi præcepti ipse Magister Sanctorum de ipso [seipso?] constituebat exemplum; quando non

Digitized by Google

ut famulæ Deus quam creaverat et regebat, sed ut Matri Homo de qua natus fuerat, et quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat.

℟. Felix namque (§ 141). *et finiatur cum* Alleluja. [*quod solum* (*sine* Christus Deus noster.) *post* Gloria Patri, et Filio, et Sp. S. *repetitur*].

Ps. Te Deum (p. 11).

[§ 159.) *Ante Laudes*] ℣*s*, Ora pro nobis (§ 154).

In Laudibus, *hæc sola Ant.* O admirabile (§ 132). *Ps.* Dñs regnavit. [*et ceteri: v.* § 5.]

Cap. Ab initio (§ 144).

Hym. O gloriosa femina (§ 123).

℣*s*, Elegit (§ 142).

Ant. O gloriosa (*ibid.*) *Ps.* Benedictus.

Or. Concede (§ 117).

Memoriæ ut supra dictum est ad Vesp's (§ 156).

[*Memoria de Resurrectione ad Matutinas.*

Añа. Cito euntes dicite Discipulis quia surrexit Dñs; alleluja.

℣*s.* Surrexit Dñs vere. ℟*o.* Et apparuit Simoni, alleluja.

Or. Deus qui per Unigenitum tuum. *ut* § 156.]

Ad Primam, et ad omnes Alias Horas, *omnia fiant sicut a Purif. usque ad Adv. quando de S. Maria fit Plenum Servitium; ita tamen quod omnes añæ, ℟ia, et versiculi* [i. e. *Responsiones Versiculorum*] *ad omnes Horas finiantur cum* alleluja. *et in fine omnium hymnorum dicantur versus* Quæsumus, Auctor. *et* Gloria tibi, Domine, Qui natus. [*v.* § 156.]

Et [*ad Vesp's et Laudes*] *fiat Memoria de Resurrectione, ut supra dictum est.*

Finis Servitii Beatæ Mariæ.

§ 160.) IN COMMEMORATIONE [SIVE OFFICIO HEBDOMADALI] SANCTI CEDDÆ EPISCOPI.

Ad Vesp's, *Ant.* Germanorum quatuor unus [est] Beatus
Cedda, quorum quilibet erat consecratus.

Psalmi Feriales.

Cap. Ecce sacerdos (§ 57).

Hymnus, Iste Confessor (*ibid.*)

℣*s*, Amavit (§ 58).

Ant. Sis pro nobis, Sancte Cedda, patronus ad Dominum;
Ut nos regat, et perducat ad cœli palatium;
Ubi tecum et cum Sanctis simus in perpetuum.

Ps. Magnificat (p. 99).

Oratio.

Deus qui Sanctorum tuorum meritis Ecclesiam toto orbe diffusam decorasti: præsta, quæsumus, ut intercessione beati Ceddæ Episcopi, in sorte justorum, tua opitulante pietate, sortiamur. Per [*&c.*]

§ 161.) Ad Mat. *Inv.* In qua viget jugiter memoria
Sancti Ceddæ: Jubilet Ecclesia.

Ps. Venite (p. 122).

Hymnus, Iste Confessor (§ 57).

A. 1. Mundi calcans gloriam, Cedda declinavit
Corporis lasciviam, dum sese claustravit.

Ps. Beatus vir (p. 1.)

Digitized by Google

A. 2. Jugo se supposuit Christi quem dilexit:
Qui tenendam docuit viam quam direxit.
Ps. Quare fremuerunt (p. 2).

A. 3. Quem, cum vitæ sanctitas ut lux se monstravit,
Eboraci civitas archipræsulavit.
Ps. Dñe quid (p. 2).

A. 4. Postes Agni sanguine templi tunc linivit;
Crucis memor Domini carnem dum punivit.
Ps. Cum invocarem (p. 2).

A. 5. Pugnans contra vitia, palmam acquisivit;
Armis nudam ferreis carnem dum vestivit.
Ps. Verba (p. 2).

A. 6. Qui sic fontem frigidum orans introivit;
Et non corpus calido balneo nutrivit.
Ps. Dñe Dñs noster (p. 4).

A. 7. Ab habenis mortui mortis excitantur:
Furiosi vinculis confractis sanantur.
Ps. Dñe, quis habitabit (p. 7).

A. 8. Et curatis languidi dum congratulantur,
Suis a languoribus statim liberantur.
Ps. Dñe, in virtute (p. 11).

A. 9. Aquæ mixtæ pulvere tumbæ cum potantur,
Bibentes a variis morbis expurgantur.
Ps. Dñi est terra (p. 17).

℣*s*, Amavit eum (§ 58).

§ 162.) *Lectio prima.*

TEMPORIBUS igitur Oswi Northanhimbrorum Regis, vir Dñi Cedda in Lindisfernensi insula [*v. Annot.*], in loco qui dicitur Lestingay, in Monasterio S. Mariæ, monasticam vitam juxta sanctorum Patrum institutionem agebat. Porro Tubâ [*legendum*, Tudâ], Dei famulo, de hoc mundo ad cœlestia regna sublato, Egfridus [*legendum*, Alchfridus], Oswi Regis filius, misit Wilfridum, virum eximiæ eruditionis ac religionis, ad Regem Galliarum; qui eum sibi suisque consecrari faceret Episcopum.

℟ 1. Hunc quem magnum reddit auctoritas,
Ceddam parvum facit humilitas:
Cui nunquam deest benignitas.
℣. Non attollit illum prosperitas;
Neque frangit quævis adversitas:
Cui nunquam [deest benignitas].

Lectio ij.

CUM adhuc Wilfridus in transmarinis partibus demoraretur, Rex Oswi misit Cantiam Ceddam virum sanctum, modestum moribus, qui Eboracensis Ecclesiæ ordinaretur Episcopus. Verum ille Cantiam perveniens invenit Archiepiscopum Deus dedit jam migrasse de sæculo. Unde divertit ad provinciam Occidentalium Saxonum, ubi erat Wyne Episcopus: et ab illo est vir præfatus consecratus Antistes. Non erat tunc ullus, (exepto illo Wyne,) in tota Britannia canonice ordinatus Episcopus.

Digitized by Google

℟. 2. Hic legati verbo paruerat,
Cedens sede cui præfuerat.
Claustrum petit, et non remurmurat.
℣. Sed indignum fore se dixerat
Tanta cura quam prætenuerat.
Claustrum petit, [et non remurmurat.]

Lectio iij.

CONSECRATUS igitur in Episcopum, Cedda maximam mox cœpit ecclesiasticæ veritati curam impendere; humilitati, continentiæ, lectioni operam dare; oppida, rura, casas, vicos, castella, propter euangelizandum, non equitando, sed apostolorum more, pedibus incedendo peragrare. Veniens postea Wilfridus Britanniam, jam Episcopus factus, ad ecclesiam unde ordinandus discesserat rediit.

℟. De quo Deus ita disposuit,
Merciorum quod inde præfuit
Gregi, regens hunc sicut decuit.
℣. Orans nocte, de die docuit:
Per quem Christi nomen innotuit.
Gregi, [regens hunc sicut decuit.]
Gloria [Patri, et Filio, et Spiritui Sancto].
Gregi, [regens hunc sicut decuit.]

§ 163.) IN LAUDIBUS, *Añ.*

CLAUSTRI clausus carcere, Cedda monachatur;
Ut divinis libere vacans, his utatur.
Ps. Dominus regnavit. [*et ceteri: v.* § 5.]
Cap. Ecce Sacerdos (§ 57).
Hym. Jesu Redemptor (§ 62).
℣s, Justus germinabit (*ibid.*)
Ant. Præsul pie, Sancte Cedda, ora Deum pro nobis;
Ne, peccatis aggravati, tradamur suppliciis;
Sed perfruamur in cœlis perennibus gaudiis.
Ps. Benedictus (p. 15).
Oratio ut supra.
AD PRIMAM, *A.* Claustri [*ut supra ad Laudes*].
AD TERTIAM, *A.* Cujus fama claruit quod pontificatur;
Lucerna quæ latuit ne plus abscondatur.
Cap. Ecce Sacerdos (§ 57).
AD SEXTAM, *A.* Pastor pavit populum pabulo doctrinæ;
Reddens repectaculum regulæ divinæ.
Cap. Benedictionem (§ 62).
AD NONAM, *A,* Deviantes moribus oves informavit:
Persistentes, actibus sacris excitavit.
Cap. Cognovit (§ 63).

§ 164.) IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

AD PRIMAS VESPERAS, *super Psalmos Feriales, Ant.* O quam metuendus est locus iste: vere non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli.

In Tempore Paschali finiatur cum alleluja.

In Tempore Nativitatis dicitur A. Tecum principium. *cum ceteris*

Digitized by Google

antiphonis et psalmis sequentibus, [ut in Officio Diei Nativitatis Dñi, ad Vesp's II, leguntur.]

["*Ad Vesp's A.* 1. Tecum princi-"pium in die virtutis tuæ, in splen-"doribus Sanctorum: ex utero ante "luciferum genui te. *Ps.* Dixit Dñs "(p. 86).

"A. 2. Redemptionem misit Dñs "populo suo: mandavit in æternum "testamentum suum. *Ps.* Confitebor "(*ibid.*)

"*A.* 3. Exortum est in tenebris "lumen rectis corde: misericors et "miserator et justus Dñs. *Ps.* Beatus "vir (*ibid.*)

"*A.* 4. Apud Dñm misericordia; et "copiosa apud eum redemptio. *Ps.* "De profundis (p. 91).

"*A.* 5. De fructu ventris tui po-"nam super sedem tuam. *Ps.* Me-"mento (p. 92).

"*Hæ prædictæ añæ cum suis psal-"mis dicuntur quotidie ad Vesp's "usque ad Oct. Epiph. et in ipsis Oc-"tavis, de quocunque fiat Servitium.*"]

Cap. (Apoc. 21. A.)

VIDI civitatem sanctam, Hjerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.

℟. Terribilis est locus iste: non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli. Vere etenim Dñs est in loco isto, et ego nesciebam. *In Tempore Paschali* [*additur*] Alleluja. ℣. Cumque evigilasset Jacob quasi de gravi somno, ait: Vere [etenim Dñs est in loco isto, et ego nesciebam. *In T. P. additur*; Alleluja]. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. S.] Vere [etenim Dñs est in loco isto, et ego nesciebam. *In Paschali vero Tempore, omisso* Vere — nesciebam, *repetitur tantùm* Alleluja].

§ 165.) *Hymnus.*

URBS beata Hjerusalem,
Dicta pacis visio;
Quæ construitur in cœlis,
Vivis ex lapidibus,
Et angelis coronata,
Ut sponsata comite.
Nova veniens e cœlo,
Nuptiali thalamo,
Præparata ut sponsata
Copuletur Domino.
Plateæ et muri ejus
Ex auro purissimo.
Portæ nitent margaritis,
Adytis patentibus;
Et virtute meritorum
Illuc introducitur
Omnis qui pro Christi nomine
Hîc in mundo premitur.
Tonsionibus, pressuris,
Expoliti lapides;
Suisque aptantur locis
Per manus artificis:
Disponuntur permansuri
Sacris ædificiis.
Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo;
Unâ Patri Filioque,
Inclyto Paraclito:
Cui laus est et potestas
Per æterna sæcula. Amen.

§ 166.) ℣s. Domum tuam Dñe decet sanctitudo. ℟o. In longitudinem dierum.

Añа. Sanctificavit Dñs tabernaculum suum: hæc est domus Dñi, in qua invocetur nomen ejus; de quo scriptum est, Erit nomen meum ibi, dicit Dñs. *In Paschali Tempore* [*additur*]: alleluja. *Ps.* Magnificat. (p. 99). *Oratio.*

DEUS qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis repræsentas incolumes; exaudi preces populi tui, et præsta ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Per [*&c. ut* § 118].

AD COMPLETORIUM *omnia fiant sicut in festo Trinitatis* [*Compl. xviij, p.* 106]; *et ita dicitur Compl. quotidie per Oct. et in Oct., quando per Æstatem hoc festum contigerit, vel ab*

Digitized by Google

Oct. Epiph. usque ad XL; sive de Dedicatione fit Servitium, sive de aliquo festo ix. lectionum.

§ 167.) AD MAT. *Inv.* Filiæ Sion currite: assunt enim celebria Matris vestræ solennia. Jubilemus igitur Deo nostro unanimes; qui sibi eam gratuita elegit clementia. *In Paschali Tempore* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Venite (p. 122).

Hym. Urbs beata Hjerusalem (§ 165).

IN PRIMO NOCT. *A.* Tollite portas, principes vestras; et elevamini portæ æternales. *In Paschali Tempore* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Dñi est terra (p. 17).

A. Vidit Jacob scalam, summitas cujus cœlos tangebat, et descendentes angelos; et dixit, Vere locus iste sanctus est. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Deus noster refugium (p. 46).

A. Cum evigilasset Jacob de somno, ait: Vere locus iste sanctus est. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Magnus Dñs (*ibid.*)

℣*s*, Domum tuam (§ 166). *Lec. j.*

QUOTIENSCUNQUE, fratres charissimi, altaris vel templi festivitatem colimus, si fideliter et diligenter attendimus, et pie et juste vivimus, quicquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spirituali ædificatione completur. Non enim mentitus est ille qui dixit: Templum enim Dei sanctum est; quod estis vos. Et iterum: Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti? Quibus meritis, nisi per gratiam Dei, meruimus fieri templum Dei?

℟ 1. In dedicatione templi decantabat populus laudem: Et in ore eorum dulcis resonabat sonus. *In Paschali Tempore* [*additur*]; alleluja. ℣. Obtulerunt sacrificium super altare Dñi, et ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum. Et [in ore eorum dulcis resonabat sonus. *In P. T. additur*; all'a].

§ 168.) *Lectio ij.*

QUANTUM enim possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, ne Deus noster in templo suo (hoc est in nobismetipsis) inveniat quod oculos suæ majestatis offendat. Sed habitaculum cordis nostri evacuetur vitiis, et virtutibus repleatur: claudatur diabolo, et aperiatur Christo. Et ita laboremus, ut nobis bonorum operum clavibus januam regni cœlestis aperire possimus. Sicut enim malis operibus (quasi quibusdam seris ac vectibus) vitæ nobis janua clauditur, ita absque dubio bonis operibus aperitur.

℟ 2. Fundata est domus Dñi super verticem montium, et exaltata est super omnes colles; et venient ad eum omnes gentes, Et dicent, Gloria tibi, Dñe. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; alleluja. ℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Et dicent, [Gloria tibi, Dñe. *In P. T. additur*; all'a.] *Lec. ij.*

ET ideo, fratres charissimi, unusquisque consideret conscientiam suam. Et quum aliquo crimine se vulneratum esse cognoverit, prius orationibus, jejuniis, vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, et sic Eucharistiam præsumat accipere. Si enim, cognoscens reatum suum, ipse se a divino altari subduxerit, cito ad indulgentiam divinæ misericordiæ perveniet. Quia, sicut qui se exaltat humiliabitur, ita econtrario qui se humiliat exaltabitur. Qui enim (sicut dixi), agnoscens reatum suum, ipse se humiliter ab altari eodem pro emendatione removere voluerit, æterno illo et cœlesti convivio communicari penitus non timebit.

℟ 3. Mane surgens Jacob, erigebat lapidem in titulum. Fundens oleum desuper, votum vovit Dño. Vere

Digitized by Google

locus iste sanctus est, et ego nesciebam. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; Alleluja, alleluja. ℣. Vidit Jacob scalam, summitas cujus cœlos tangebat, et descendentes angelos; et dixit: Vere locus [iste sanctus est, et ego nesciebam. *In P. T. additur;* All'a, all'a]. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. S.] Vere [locus iste sanctus est, et ego nesciebam. *In Paschali verò Tempore, loco* Vere — nesciebam, *repetitur* Alleluja, alleluja].

§ 169.) In II. Noct. *A.* Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli. *In Paschali Tempore* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Quam dilecta (p. 68).

A. Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper. *In Temp. Pasch.* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Benedixisti (p. 69).

A. Erit mihi Dñs in Deum, et lapis iste vocabitur domus Dei. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Fundamenta (*ibid.*)

℣s. Domus mea. ℟o. Domus orationis vocabitur. [*In P. T. additur*, all'a.] *Lec. iiij.*

Rogo vos, fratres; diligenter attendite. Si ad mensam cujuscunque potentis hominis nemo præsumit cum vestibus scissis et inquinatis accedere, quanto magis a convivio Regis Æterni (id est, ab altari Dñi) debet se unusquisque invidiæ vel odii veneno percussus, aut iracundiæ furore repletus, cum reverentia et humilitate subtrahere? Propter illud quod scriptum est: Vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum. Et iterum: Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?

℟. 4. Benedic Dñe domum istam quam ædificavi nomini tuo: venientium in locum istum Exaudi preces in excelso solio gloriæ tuæ. *In Paschali Tempore* [*additur*]; alleluja. ℣. Dñe, si conversus fuerit populus tuus, et oraverit ad sanctuarium tuum, Exaudi [pr. — tuæ. *In P. T. additur*; all'a].

§ 170.) *Lectio v.*

Hoc enim habet textus euangelicæ lectionis, quod quidam fecit nuptias filio suo; et intravit ut videret simul recumbentes. Videns autem hominem non habentem vestem nuptialem, dixit ministris: Ligate illi manus et pedes, et projicite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. Ecce qualem sententiam merebitur audire qui ad convivium nuptiale (id est, altare Dñi) aut ebriosus, aut adulter, aut odium in corde retinens, præsumit accedere.

℟. 5. O quam metuendus est locus iste: vere Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; alleluja. ℣. Mane surgens Jacob, votum vovit Dño, et dixit: Non est hic aliud nisi [domus Dei et porta cœli. *In P. T. additur*; all'a]. *Lec. vj.*

Avertat hoc Deus a nobis, fratres charissimi, et concedat ut mala ista aut nunquam velimus admittere, aut, si admissa fuerint, sine ulla mora pœnitentiâ vel pace studeamus sanare, et largioribus eleemosynis festinemus abluere. Ne forte, si cum peccatorum vulneribus ante tribunal æterni Judicis venerimus, ab illa æterna Ecclesia, et ab illa bona cœlesti Hjerusalem, perpetua excommunicatione separemur. Hæc ergo cogitantes, fratres charissimi, tam casti, et tam sobrii, et tam pacifici, ad istud altare studeamus accedere, ut ab illo æterno altari non mereamur excludi. Qui enim ad istud altare casto corpore et mundo corde cum secura conscientia venerit, ad illud altare quod in cœlis est felici transmigratione perveniet; Præstante Dño Nostro Jesu Christo; Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

℟. 6. Beati qui habitant in domo tua, Dñe: In sæcula sæculorum laudabunt te. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; Alleluja, alleluja. ℣. Non privabis bonis eos qui ambulant in innocentia, Dñe virtutum: beati omnes qui sperant in te. In sæcula [s. l. te. *In P. T. additur*; All'a all'a]. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. S.] In sæcula [s. l. te. *In Paschali verò Tempore, loco* In s. s. l. te, *repetitur;* All'a all'a].

§ 171.) In III. Noct. *A.* Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. *In Paschali Tempore* [*additur*]; alleluja. *Ps. Ipsum* (p. 100).

A. Domum istam protege, Dñe; et angeli tui custodiant muros ejus. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; all'a. *Ps.* Cantate. *j.* (p. 73).

A. Fundata est domus Dñi super verticem montium, et exaltata est super cœlos; alleluja. *Et sic semper finiatur hæc aña cum* all'a, *nisi a Septuagesima usque ad Pascha. Ps.* Dñs regnavit; exultet (*ibid.*)

℣. Hæc est domus Dñi, firmiter ædificata. ℟. Bene fundata est supra firmam petram. [*In P. T. additur*, all'a].

Tres ultimæ lectiones legantur in cappis sericis.

Secundum Lucam (Cap. 19. A.)

In illo tempore: Egressus [Ingressus] Jesus perambulabat Hjerico. Et ecce vir nomine Zachæus, et hic erat princeps publicanorum; et ipse dives. Et reliqua.

Sermo ex Commentariis Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lec. vij. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ecce enim camelus, deposita gibbi sarcina, per foramen acus transit: hoc est, dives et publicanus, relicto onere divitiarum, contemptoque censu fraudium, angustam portam et arctam viam quæ ducit ad vitam ascendit.

℟. 7. Orantibus in loco isto dimitte, Dñe, peccata populi tui; et ostende eis viam bonam per quam ambulent; Et da gloriam nomini tuo. *In Paschali Tempore* [*additur*]; alleluja. ℣. Dñe exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat. Et da gloriam [nomini tuo. *In P. T. additur*; all'a].

§ 172.) *Lectio viij.*

Qui mira devotione fidei, ad videndum Salvatorem quod natura minus habuerat, ascensu supplet arboris. Atque ideo juste, quamvis ipse rogare non audeat, benedictionem Dominicæ susceptionis, quam desiderabat, accepit. Mystice autem Zachæus, qui interpretatur Justificatus, credentem ex gentibus populum significat. Qui, quanto curis sæcularibus occupatior, tanto flagitiis deprimentibus erat factus humilior. Sed ablutus est, sed sanctificatus, sed justificatus, in nomine Dñi nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.

℟. 8. Lapides preciosi omnes muri tui; Et turres Hjerusalem gemmis ædificabuntur. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; alleluja. ℣. Hæc est domus Dñi, firmiter ædificata: bene fundata est supra firmam petram. Et turres Hjerusalem [g. æ. *In P. T. additur*; all'a].

Lec. ix.

Populus ergo gentilis intrantem Hjerico Salvatorem videre quærebat, sed præ turba non poterat. Quia gratiæ fidei, quam mundo Salvator attulit, participare cupiebat; sed inolita vitiorum consuetudo ne ad votum perveniret obstiterat. Eadem namque turba noxiæ consuetudinis quæ supra cæcum clamantem ne lumen peteret increpabat, etiam suspicientem publicanum ne Jesum videret tardabat. Sed sicut cæcus turbarum voces clamando devicit, ita pusillus necesse est turbæ nocentis obstaculum altiora petendo transcendat; terrena relinquat, arborem Crucis ascendat.

Digitized by Google

℟. 9. Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dñs. In ea omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; Alleluja. ℣. Domum tuam, Dñe, decet sanctitudo in longitudinem dierum. In ea [omnis — aperietur. *In P. T. additur;* All'a]. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. S.] In ea [omnis — aperietur. *In Paschali verò Tempore, loco* In ea — aperietur, *repetitur* All'a].

[§ 173.) *Ante Laudes*] ℣*s.* Domus mea. ℟*o.* Domus orationis vocabitur. [*In P. T. additur*, all'a].

IN LAUDIBUS, *Añа* 1.

DOMUM tuam, Dñe, decet sanctitudo in longitudinem dierum. *In Paschali Tempore* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Dñs regnavit. [*v.* § 5.]

A. 2. Domus mea domus orationis vocabitur. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Jubilate.

A. 3. Hæc est domus Dñi, firmiter ædificata: bene fundata est supra firmam petram. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Deus, Deus [meus].

A. 4. Bene fundata est domus Dñi supra firmam petram. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Benedicite.

A. 5. Lapides preciosi omnes muri tui; et turres Hjerusalem gemmis ædificabuntur. *In Pasch. Temp.* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Laudate.

Cap. (1 *Ad Cor.* 3: B, C.)

UNUSQUISQUE autem videat quid superædificet: fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.

§ 174.) *Hymnus.*

ANGULARE fundamentum
Lapis Christus missus est;
Qui compage parietum
In utroque nectitur:
Quem Sion sancta suscepit;
In quo credens permanet.

Omnis illa Deo grata
Et dilecta civitas,
Plena modulis, in laude
Et canore jubilo,
Trinum Deum, unum quoque,
Cum favore prædicat.

Hoc in templo, summe Deus,
Exoratus adveni;
Et clementi bonitate
Precum vota suscipe:
Largam benedictionem
Hîc infunde jugiter.

Hîc promereantur omnes
Petita acquirere,
Et adepta possidere,
Cum Sanctis perenniter:
Paradisum introire,
Translati in requiem.

Gloria et honor [Deo
Usquequo Altissimo:
Una Patri Filioque,
Inclyto Paraclito;
Cui laus est et potestas
Per æterna sæcula. Amen.]

§ 175.) ℣*s.* Beati qui habitant in domo tua, Dñe. ℟*o.* In sæcula sæculorum laudabunt te. [*In Paschali Tempore additur*, alleluja.]

Añа. Zachæe, festinans descende; quia hodie in domo tua oportet me manere: at ille festinans descendit et excepit illum gaudens in domum suam: hodie huic domui salus a Deo facta est; alleluja. [*Inter LXX et Pascha omittitur* all'a.] *Ps.* Benedictus (p. 15).

Oratio.

DEUS qui Ecclesiam tuam Sponsam vocare dignatus es; ut quæ habebat gratiam per fidei devotionem, haberet etiam ex nomine dignitatem; da ut omnis hæc plebs, tuo nomini serviens, hujus vocabuli consortio digna inveniatur; Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate *&c.* [*ut* § 118.]

¶ *Hæc oratio dicitur ad omnes Horas, præterquam ad ij Vesp's.*

AD PRIMAM, *Ant.* Domum tuam (§ 173). *Ps.* Deus, in nomine. [*et ceteri: v.* § 6].

Digitized by Google

Ańa. Gratias [tibi, Deus; gratias tibi, vera((et?)) una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una unitas. *In Paschali Tempore additur;* alleluja]. *Ps.* Quicunque (p. 20).

℟. Jesu Christe. *cum* alleluja. ℣. Qui sedes.

[℟. Jesu Christe, Fili Dei vivi; Miserere nobis, alleluja. (Jesu — all'a.) ℣. Qui sedes ad dexteram Patris; Miserere nobis, all'a. Gloria Patri, et Filio, et Sp. Sancto. Jesu — all'a.]

¶ *Si hoc festum infra Septuagesima usque ad Pascha contigerit, dicitur* ℟. Jesu Christe *sine* alleluja, *sicut in Dominicis illius temporis.*

§ 176.) AD TERTIAM, *Ant.* Domus mea (§ 173). *Ps.* Legem [pone. *et ceteri: v.* § 6].

Cap. Unusquisque autem (§ 175).

℟. Domum tuam, Dñe, decet sanctitudo; Alleluja, all'a. [Domum — all'a.] ℣. In longitudinem dierum. [All'a, all'a. Gloria Patri, et Filio, et Sp. Sancto. Domum — all'a.]

[*A Septuagesima usque ad Pascha dicendum, ut videtur:* ℟. Domum tuam, Dñe, Decet sanctitudo. (Domum — sanctitudo.) ℣. In longitudinem dierum. Decet sanctitudo. Gloria Patri, et Filio, et Sp. Sancto. Domum — sanctitudo.]

℣*s,* Domus mea (§ 173).

Or'o. Deus qui Ecclesiam (§ 175.)

Hæc oratio dicitur ad omnes Horas, usque ad ij Vesp's.

AD SEXTAM, *Ant.* Hæc est domus (§ 173). *Ps.* Defecit. [*et ceteri: v.* § 6.]

Cap. (Apoc. 21. A.)

ECCE tabernaculum Dei cum hominibus, et habitavit cum eis; et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit, eorum Deus.

℟. Domus mea; Alleluja, all'a; [Domus mea; All'a, all'a;] ℣. Domus orationis vocabitur. [All'a, all'a. Gloria Patri, et Filio, et Sp. Sancto. Domus mea; All'a, all'a.]

℣*s,* Beati qui habitant (§ 175).

A LXX usque ad Pascha, hôc modo dicetur istud ℟. Domus mea, Dicit Dñs, [Domus mea, Dicit Dñs,] ℣. Domus orationis vocabitur. Dicit Dñs. Gloria [Patri, et Filio, et Sp. Sancto.] Domus mea, [Dicit Dñs.]

℣*s,* Beati qui habitant (§ 175).

Oratio, Deus qui Ecclesiam (*ibid.*)

§ 177.) AD NONAM, *Ant.* Lapides preciosi (§ 173). *Ps.* Mirabilia. [*et ceteri: v.* § 6.]

Cap. (1 Cor. 3. B.)

UNUSQUISQUE autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem: Dei enim adjutores sumus; Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.

℟. Beati qui habitant in domo tua, Dñe; Alleluja, all'a. [Beati — all'a]. ℣. In sæcula sæculorum laudabunt te. [All'a all'a. Gloria Patri, et Filio, et Sp. Sancto. Beati — all'a.]

[*A LXX. usque ad Pascha dicendum, ut videtur:* ℟. Beati qui habitant In domo tua, Dñe. (Beati – Dñe.) ℣. In sæcula sæculorum laudabunt te. In domo tua, Dñe. Gloria Patri, et Filio, et Sp. Sancto. Beati — Dñe.]

℣*s.* Hæc est domus Dñi, firmiter ædificata. ℟*o.* Bene fundata est supra firmam petram.

AD II VESP'S, *Ant.* Domum tuam (§ 173). *Ps.* Credidi, propter (p. 88). *Ps.* Lætatus (p. 89). *Ps.* Nisi Dñs (p. 91). *Ps.* Laudate Dñm, quoniam bonus est (p. 98). *Ps.* Lauda Hjerusalem (*ibid*).

Cap. (Matth. *ult.* [*v. Annot.*])

HÆC est domus Dñi, firmiter ædificata: bene fundata est supra firmam petram.

℟. Domus mea (§ 172).

Hym. Angulare fundamentum (§ 174).

℣*s,* Beati qui habitant (§ 175).

Ańa. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et Spiritus Dei habitat in nobis: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos; pro cujus

Digitized by Google

amore celebratis hodie gaudia tempore festi. *In Paschali Tempore* [*additur*]; alleluja. *Ps.* Magnificat.

Oratio, Deus qui nobis per singulos annos (§ 166).

[Rubricæ Generales.]

§ 178.) *Et sic fiat servitium quotidie de Dedicatione per octo dies, cum regimine chori; et etiam in Dominica; nisi festum ix lectionum intercurrat, vel trium lectionum cum regimine chori; scilicet si ab Oct. Paschæ usque ad Ascensionem Dñi, vel a festo Sanctæ Trinitatis usque ad Adventum Dñi, hoc festum contigerit; vel etiam ab Oct. Epiphaniæ usque ad LXX. Quotidie etiam per Octavas, ad Mat. inv., hym., añæ, et psalmi sicut in prima die, V℣us et R℟ia secundum ordinem Nocturnorum, dicuntur; et una sola añа super Laudes. Et quotidie infra Octavas ad Vesp's et ad Mat. et ad alias Horas dicitur ista Oratio*, Deus qui Ecclesiam tuam Sponsam (§ 175).

§ 179.) ¶ *Si vero infra Adventum, vel infra Septuagesimam usque ad Caput Jejunii, hoc festum contigerit, Octavæ erunt sine regimine chori usque ad octavum diem; tunc enim fiant ix lectiones et invitatorium triplex, nisi in Dominica contigerit. Et si aliquod festum trium lec. vel Octava Sanctorum infra has Octavas contigerit, totum fiat servitium de festo vel de Octava, et tantum memoria de Dedicatione; Dominicâ vero quæ tunc infra Octavas vel in Octava evenerit, totum fiat servitium de ipsa Dñica, et tantum memoria de Dedicatione.*

¶ *Cum autem a Circuncisione Domini usque ad Oct. Epiph., vel a iiij feria in capite jejunii usque ad quartam feriam ante Pascha, vel a Vigilia Ascensionis Dñi usque ad Vig. Pent., hoc festum forte contigerit, nihil fiat de festo infra Octavas, nec etiam in Octava, nisi tantum memoria.*

§ 180.) ¶ *Si autem a Vig. Nativ. Dñi usque ad Circ. Dñi, vel a quarta feria proxima ante Pascha usque ad Oct. Paschæ, vel in Vig. Pent. et ab illinc usque ad festum Sanctæ Trinitatis, hoc festum evenerit, semper differatur ubi convenientius possit celebrari; videlicet post Oct. Epiph., vel post Octavas Paschæ, vel post primam Dñicam post festum Sanctæ Trinitatis.*

¶ *Si vero festum in Dñica j Adventus Dñi, vel in iv feria in capite jejunii, vel in Dñica Passionis, vel in Dñica Palmarum, vel in Oct. Paschæ, vel in festo Sanctæ Trinitatis, vel in festo Corporis Christi, forte contigerit, differatur in crastinum, et erunt Vesperæ de Dedicatione. Similiter fiat si in die Asc. Dñi evenerit; sed et tunc nihil fiat de Dedicatione infra Octavas usque ad octavum diem, nisi tantum memoria.*

§ 181.) ¶ *Si vero hoc festum Dedicationis Ecclesiæ a festo Sanctæ Trinitatis usque ad Adventum Dñi in Dñica forte contigerit, et in ipsa Dñica historia inchoanda fuerit quæ non fuerit duratura nisi per unam hebdomadam tantum, tunc ibi inchoetur historia cum memoria tantum, et hoc privatim; et totum servitium fiat de Dedicatione; et in tribus feriis per hebdomadam tota cantetur historia cum Responsoriis Ferialibus; et in illis tribus feriis fiat primo memoria de Dedicatione, et deinde de Cruce, de S. Maria, de Sancto Loci, et de Omnibus Sanctis; et Expositio Euangelii de Dñica eo anno omnino prætermittatur. Ita tamen quod si aliquod festum trium lec. in illis tribus feriis contigerit, illo anno omnino prætermittatur. Tamen Octavæ Dedicationis Ecclesiæ erunt in sequentibus diebus cum regimine chori, nisi per prædictam causam impediantur, usque ad octavum diem; et tunc erunt ix lec. cum invitatorio triplici; nisi duplex*

Digitized by Google

festum impediat, vel alia historia quæ non possit cantari in alia Dñica, nec in feria, et non fuerit duratura.

§ 182.) ¶ *Item* [*si*] *quâvis aliâ feriâ per hoc idem tempus hoc festum contigerit, et Dñicâ infra Oct. forte aliqua historia inchoanda fuerit quæ non sit duratura nisi per unam hebdomadam, et in feria post Oct. non possit cantari, tunc in ipsa Dñica tota cantetur historia, cum commemoratione de Dedicatione.*

SIMILITER DE FESTO LOCI, *ubi Octavæ habentur cum regimine chori.*

¶ IN TEMPORE VERO PASCHALI, *hoc modo fiat servitium Dedicationis. Ad utrasque Vesp's, et ad Laudes, et ad Horas, omnia fiant ut prædictum est. Completorium Paschalis Temporis non mutatur. Ad Mat. tres primæ añæ cum suis psalmis, ℣lus et ℟ia de j Nocturno, dicuntur; cum Expositione Euangelii* Egressus [Ingressus] Jesus perambulabat Hjerico. (§§ 171, 172.)

§ 183.) ¶ SECUNDA DIE *infra Oct. añæ, psalmi, ℣lus, et ℟ia de ij Nocturno.*

¶ TERTIA DIE *infra Oct. añæ, psalmi, ℣ls, et ℟ia de iij Nocturno.*

¶ QUARTA DIE *infra Oct.* [*añæ,*] *psalmi, ℣ls, et ℟ia de j Nocturno; et sic fiet per ceteros dies infra Oct.*

Ita tamen quod in Dominica infra Oct. legantur lectiones de Expositione Euangelii Omnis qui venit; *añæ, psalmi, ℣ls, et ℟ia secundum ordinem Nocturnorum dicantur.*

¶ IN OCTAVA *vero añæ, psalmi, ℣ls, et ℟ia sicut in prima die dicuntur, cum Euangelio* Facta sunt Encænia.

¶ PER ÆSTATEM *vero, scil. a* Deus omnium *usque ad Adventum Dñi, et ab Oct. Epiph. usque ad LXX, quotidie infra Oct. dicuntur ℣lus et ℟ia secundum ordinem Nocturnorum, et una sola aña ad Laudes dicitur.*

§ 184.) ¶ HÆ SEQUENTES AN'Æ *dicantur per Octavas Dedicationis super psalmos* Benedictus *et* Magnificat. *vel ad memoriam Dedicationis, cum de aliquo Sancto fiat servitium.*

A. 1. Benedic Dñe domum istam quam ædificavi nomini tuo: et venientium in loco isto exaudi preces in excelso solio gloriæ tuæ. *In Paschali Tempore* [*additur*]; alleluja.

A. 2. Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum: fundens oleum desuper, votum vovit Dño: vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam. *In Pasch. Temp.* all'a.

A. 3. Benedictus es [in] templo sancto gloriæ tuæ: quod ædificatum est ad laudem et gloriam nominis tui, Dñe. *In Pasch. Temp.* all'a.

A. 4. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter illud denique quod positum est a Christo. *In Pasch. Temp.* all'a.

A. 5. Hæc aula accipiet a Deo gratiam benedictionis, et misericordiam a Christo Dño. *In Pasch. Temp.* all'a.

A. 6. In dedicatione hujus templi laudate Deum, omnis militia cœlorum; et omnis terra laudet nomen Dñi; quia exaltatum est nomen ejus solius. *In Pasch. Temp.* all'a.

A. 7. Fundamenta templi hujus sapientiâ suâ fundavit Deus; in quo Dñm cœli collaudant angeli: subruant venti, et fluant flumina; non possunt ea movere unquam: fundata enim sunt supra petram. *In Pasch. Temp.* all'a.

A. 8. Exurgat Deus ad nostri famulatus obsequium, et in loco sancto ejus fiat benedictionis augmentum. *In Pasch. Temp.* all'a.

A. 9. Qui regis Israel, intende super domum istam: qui deducis velut ovem Joseph, auge in ea benedictionem tuam: qui sedes super Cherubin, exaudi preces supplicum in ea tibi confitentium. *In Pasch. Temp.* all'a.

Digitized by Google

A. 10. Benedic Dñe domum istam quam ædificavi nomini tuo; ut sint oculi tui aperti super eam die ac nocte. *In Pasch. Temp.* all'a.

A. 11. Ornaverunt faciem templi coronis aureis; et dedicaverunt altare Dño; all'a. [*Inter LXX et Pascha omittendum est* alleluja.]

§ 185.) *Nulla fiat per totam Octavam memoria (quia chorus regitur), ubi per Æstatem, scil. a* Deus omnium *usque ad Adventum Dñi, vel in Tempore Paschali, vel ab Oct. Epiph. usque ad LXX contigerit; nisi aliquod festum cum regimine chori intervenerit. Tamen in Tempore Nativitatis Dñi, usque ad Purificationem, fiat solennis memoria de S. Maria; et ab Oct. Paschæ usque ad Ascensionem Dñi fiat solennis memoria de Resurrectione.*

Ad Omnes Horas, *Añæ, Cap'a, Ria, et Vli, cum Oratione, sicut in die.*

Ad Vesp's, *A.* Domum tuam (§ 173). *Ps.* Credidi. *et ceteri psalmi ut supra ad ij Vesp's; et dicuntur per totam Oct. quando de Dedicatione fit servitium.*

Cap. Hæc est domus (§ 177).

Hym. Angulare fundamentum (§ 174).

Vs, Beati qui habitant in domo (§ 175).

Hic ordo servetur quotidie infra Oct. ad Vesp's; nisi in Dominica, scil. ad primas Vesperas tantum.

§ 186.) Sequentes Lectiones *serviunt per totam Octavam, nisi in Dominica, et in Octava* [*die*] *tantum.*

Secunda Die. *Lectio j.*

Anniversariam huius sanctæ ecclesiæ consecrationis festivitatem solennem, nisibus totis, mente devota, puroque corde, Domini Salvatoris atque Sanctorum exempla sequentes, condigne, dilectissimi fratres, celebremus. Pulsemus ergo affectu pio, corde devoto, supplicando misericordiam Dñi; ut clementiæ suæ nobis tribuat felicitatem, et indulgentiæ remissionem; atque regni cœlestis introitum pandat, ut in cœlesti templo, et in superna ac æterna Ecclesia, consortio Sanctorum æternaliter potiamur. *Lec. ij.*

Majori autem gloria et veneratione in novo testamento et in isto homine, solennia dedicationum novarum ecclesiarum sunt veneranda, quam veteris testamenti observatio et legis præceptio instituerit. Quoniam, sicut major redemptio Christi sanguine postea in populo facta est Christiano, ita et major et multo amplior veneratio dedicationum et consecrationum ecclesiarum, in quibus quotidie ipsius Corpus Dñi Nostri Jesu Christi et Sanguis immolatus a fidelibus sumitur, in Christi refectione præparanda est, et a fidelibus amplectenda. *Lec. iij.*

Igitur sanctum est, fratres, ac Deo placitum, ut Dedicationem huius Ecclesiæ præcipua veneremur devotione. Recte ergo festivitates et consecrationes sanctarum ecclesiarum venerabiliter colunt, qui filios sanctæ Dei Ecclesiæ se esse cognoscunt.

§ 187.) Tertia Die. *Lectio j.*

Hæc est enim mater omnium credentium, quæ natos regenerat ad vitam. Idcirco, charissimi, summopere omnes qui Christiano nomine censentur, et filii Dei vocantur, oportet sacrationes novarum ecclesiarum solenniter et decenter celebrare, studiosissimeque venerari, et totis nisibus in eis Dñi auxilium implorare. *Lec. ij.*

Non enim dubium est Dñm omnipotentem in templis manufactis inhabitare, et corda eorum qui ad ea conveniunt, et eorum dedicationes venerabiliter colunt, spiritualiter invisere; atque cunctos inibi deprecantes adjuvare, et eorum necessitatibus subvenire. *Lec. iij.*

Digitized by Google

ATTENDERE oportet, fratres, unumquemque fidelem, quanta est consecratio Dedicationis Ecclesiæ, et quanta oratio in ea ab episcopo, sive a ceteris sacerdotibus et ministris, exhibetur: qualiter ex ministerio consecrationis, et ex intentione orationis, corda fidelium accendantur, atque omnes diligentissime templi consecrationis festa venerentur.

§ 188.) Quarta Die. *Lectio j.*

FLEXIS enim poplitibus, a summo pontifice et a ceteris sacerdotibus et Dei ministris summa cum devotione dicitur Letania. Deinde reliquæ orationes, sicut Ordo Ecclesiasticus docet. Imploratur enim Deus ét a suis sacerdotibus ét [a] reliquis ministris in consecratione ecclesiæ novæ, ut omnium inibi advenientium preces a Dño exaudiantur, anxietatesque omnium ibi orantium relaxentur, et peccata deprecantibus remittantur.

¶ *Tamen si nullus dies Dñicus infra Oct. Dedicationis evenerit, tunc quarta die infra Oct. legatur Expositio Euangelii de Dñica infra Oct.*

Lectio ij.

POSTULATUR etiam a Dño in consecratione ecclesiæ, ut ægritudines ibidem sanentur, vota suscipiantur, juste desiderata impetrentur, postulata concedantur; perpetualiterque cuncti ad eam confugientes et in ea orantes, a Dño ab omnibus malis liberentur, a Dño conserventur, sive a malis omnibus illæsi misericorditer liberentur. *Lec. iij.*

CETERA quoque quæ in serie precum Dedicationis et Consecrationis Ecclesiæ continentur, eundem deprecationum continent modum. Multi ergo Sancti qui modo in cœlis inter catervas Sanctorum gloriantur, Dei templa in præsenti Ecclesia consecraverunt. Quorum ædificia una cum consecrationibus eorum adhuc manent; et quorum parietes hactenus consistere videntur.

§ 189.) Quinta Die. *Lectio j.*

NULLI dubium est, fratres, eorum preces a Deo exaudiri, et eorum impetrata adimpleri, quorum animæ sunt in cœlis animabus Sanctorum coæquales. Si enim viventes in carne ecclesias plantaverunt et construxerunt, atque ea quæ in dedicationibus earum petierunt sanctis precibus impetrare (ut certum est) meruerunt, quanto magis modo cum Dño regnantium ét postulata èt impetrata suis meritis in eos redundant qui ad eadem templa devote deprecaturi advenientes, et eorum dedicationes festive venerantes, conveniunt, seu venerabiliter celebrantes colunt? *Lec. ij.*

SICUT enim præfati Sancti, sive cuncti sancti Patres, ex his factis retributionem perpetuam perceperunt, et æternam gloriam adipisci meruerunt, sic et modo omnes eorum vestigia imitantes præmia æterna (Dño annuente) adipisci indubitanter merentur. *Lec. iij.*

MONEMUS ergo vos, fratres charissimi, ne ista in vanum assumatis, nec cessare quoquomodo permittatis. Quoniam si dedicationes novarum ecclesiarum venerabiliter colitis, et earum solennia studiosissime celebratis, ea quæ ipsi sancti sacerdotes in ipsis dedicationibus ecclesiarum pro vobis et pro cunctis inibi orantibus petierunt, Dño auxiliante, misericorditer impetrare gaudebitis.

§ 190.) Sexta Die. *Lectio j.*

SI enim Dñs et Magister noster Jesus Christus ad festum dedicationis templi venire dignatus est, quanto magis nos ad festivitates dedicationum ecclesiarum venire debemus, et eas solenniter, prout poterimus et Dñs dederit, celebrare debemus? Andîstis namque, fratres charissimi, ex lectione euangelica, quia facta sunt Encænia Hjerosolymis, et hyems erat, et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis,

Digitized by Google

Lectio ij.

ENCÆNIA autem vocabantur solennitates sancti templi consecrationis et dedicationis, et quæ Dei populus ex patrum traditione, et ex antiqua consuetudine, per singulos annos celebrare consuevit. Quorum exempla hodiernâ die nos imitantes, juxta Christiani orbis morem, annuam Ecclesiæ nostræ Dedicationis diem divinis laudibus et vigiliis, sive ceteris bonis studiis et orationibus, agere studemus solennem.

Lectio iij.

AMBULARE Dñs noster Jesus Christus voluit in templo in quo caro et sanguis brutorum animalium offerebatur. Multo magis ecclesiam et domum ad orandum et divina sacramenta in ea offerenda, sive domum consecratam ubi carnis Ipsius atque sanguinis celebrantur sacramenta, invisere delectabitur.

§ 191.) Si Dies Dominicus infra Oct. contigerit,

TOTUM *Servitium fiat de Dedicatione hoc modo:*

AD I VESP's, *super psalmos Ant.* Domum tuam (§ 173). *Ps.* Credidi *et ceteri psalmi sequentes, ut supra* (§ 177) *notatum est.*

Cap. Vidi civitatem (§ 164).

Non dicatur ℟.

Hym. Urbs beata (§ 165).

℣*s*, Domum tuam (§ 166).

Ant. Sanctificavit (*ibid*). *Ps.* Magnificat.

Or'o. Deus qui Ecclesiam (§ 175).

Memoria de Dñica et de Trinitate; et Processio ante Crucem, sive nova historia inchoanda fuerit sive non; nisi quando aliquam Dñicam omnino oportet differri. In introitu chori de S. Maria.

§ 192.) AD MAT's *tota cantetur historia sicut in j die, cum istis lectionibus sequentibus.* *Lec. j.*

NATALEM hujus templi diem, fratres dilectissimi, Christo propitio, cum exultatione et gaudio celebramus. Et merito solennitatem Matris Ecclesiæ Christiani populi colunt, per quam se spiritualiter renatos esse cognoscunt. *Lec. ij.*

NAM qui per primam nativitatem vasa iræ Dei fuimus, per secundam vasa misericordiæ fieri meruimus. Prima enim nativitas nos perduxit ad mortem, secunda revocavit ad vitam. *Lec. iij.*

OMNES nos, fratres charissimi, ante baptismum phana diaboli fuimus; post baptismum templa Christi esse meruimus. Et si de salute nostra attentius cogitemus, templum Dei ét verum èt vivum nos esse cognoscemus. *Lec. iiij.*

NON solum in manufactis templis habitat Deus, nec in domo de lignis et lapidibus facta; sed præcipue in anima, ad imaginem Dei manu ipsius artificis condita. Ait enim Apostolus, Templum Dei sanctum est; quod estis vos. *Lec. v.*

TEMPLA ista ideo de lignis et lapidibus fabricantur, ut ibi templa viventia congregentur, ac sic ad templum Dei conveniant. Unus Christianus, unum templum Dei est; et multi Christiani, multa templa Dei sunt. *Lec. vj.*

ET jam, fratres, videte quam pulchrum est templum quod ædificatur de templis. Et quomodo multa membra faciunt unum corpus, sic multa templa faciunt unum templum. [Pr. L *addit:* Sed ista templa Christi, hoc est, sancte anime Christiane, disperse sunt per universum mundum.]

§ 193.) *Secundum Lucam.*

(Cap. 6. G.)

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Omnis qui venit ad me et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis est. Similis est homini ædificanti domum. Et reliqua.

Digitized by Google

Homelia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lec. vij. Homo hic ædificans, ipse est Mediator Dei et hominum, Homo Christus Jesus; qui dilectam sibi domum, sanctam videlicet Ecclesiam, in qua perpetuo maneret, ædificare et consecrare dignatus est.

Lectio viij.

QUI fodit in altum, et posuit fundamentum supra petram, quia in corde suorum fidelium quicquid terrenæ intentionis invenit, funditus extirpare studuit. Quatenus ejectis priscæ consuetudinis ruderibus, et cogitationibus superfluis, stabilem in eis ipse et inconcussam mansionem posset habere. *Lec. ix.*

IPSE enim est petra super quam hujusmodi domûs fundamenta locavit. Et sicut in domo ædificanda nil petræ cui fundamentum imponitur antefertur, ita sancta Ecclesia Petram suam, videlicet Christum, imo habet in corde reconditam, neque aliquid fidei illius ac dilectioni præponit; adeo ut pro hac etiam mortem pati non dubitet.

AD LAUDES *una sola añ.*

AD PRIMAM ET AD ALIAS HORAS *omnia fiant sicut infra Oct.*

AD II VESP's *omnia fiant sicut in prima die, præter Ꝑium* [*quod omittitur*]; *cum Oratione* Deus qui Ecclesiam tuam (§ 175).

§ 194.) In Octava Dedicationis.

AD I VESP's, *super psalmos Ant.* O quam metuendus (§ 164). *Psalmi Feriales.*

Cap'm, Ꝑium, et cetera omnia, sicut in prima die ad primas Vesp's, cum hac Oratione, Deus qui nobis per singulos (§ 166).

AD MAT. ET AD LAUDES *omnia fiant sicut in prima die* [*cum his lectionibus*]. *Lec. j.*

CONGRUUM videtur, fratres, solennitati quam colimus, de ædificatione templi aliqua commemorare; et quam decenter ornatus illius, Ecclesiæ significationi conveniat indagare. Narrat ergo Scriptura quia Salomon rex præceperat ut lapides tollerent preciosos in fundamentum templi, et quadrarent eos. *Lec. ij.*

LAPIDES grandes et preciosi qui in fundamento locati sunt, et totum onus templi sibi superpositum portant, eximios sanctæ Ecclesiæ Doctores insinuant. Grandes nimirum excellentiâ meritorum, preciosos claritate signorum. Qui ab ipso Dño verbum audientes, totam crescentis Ecclesiæ fabricam sua prædicatione genuerunt. *Lec. iij.*

FUNDAMENTUM in Sacra Scriptura Christus appellatur. In quo lapides grandes et preciosi qui templum omne gestarent sunt positi; quia per ipsum ad propagandam toto orbe Ecclesiam, ét prius Patriarchæ et Prophetæ, èt postmodum sunt Apostoli intructi. Qui quo arctius ejus amori inhærebant, eo fortius sectatores suos in ædificatione cœlesti sustentabant.

§ 195.) *Si festum iij lectionum habens proprias lectiones hac die evenerit, fiant de ipso mediæ lectiones.* [*Si non:*] *Lec. iiij.*

QUOS videlicet lapides rex quadrari præcepit, ut magistros Ecclesiæ compositos moribus et immobiles animo esse debere signaret. [*Initium Lec. iiij in* Pr. L.] Sicut enim quadratum, quocunque vertitur, stat, ita perfectorum vita nullis tentationum impulsibus a sua stabilitate dejici novit. *Lec. v.*

FERAT autem prædictum templum de marmore Pario (qui est lapis albus) extructum, ut candorem ecclesiasticæ castitatis exprimeret. Habebat vero sexaginta cubitos in longitudine, et viginti in latitudine, et triginta in altitudine.

Lec. vj. [*In* Pr. L, *Lec. v.*]

LONGITUDO templi fidem sanctæ Ecclesiæ designat, per quam lon-

Digitized by Google

ganimiter pravorum adversa tolerat. Latitudo charitatem, qua intus per viscera pietatis spaciatur. Altitudo spem, qua propter bona quæ per charitatem operatur, cœlestis vitæ præmia expectat.

[*Lec. vj in* Pr. L.

Et bene longitudo senario numero exprimitur, quia eo bonorum operum perfeccio designari solet. Bene eciam latitudinis templi viginti sunt cubiti, quia geminum est preceptum caritatis, qua Ecclesia in tribulacione dilatatur. Triginta autem in altitudine sunt cubiti, quia omnis electorum spes ad visionem Sanctæ Trinitatis quantum valet se exerendo preparat.]

§ 196.) *Secundum Joannem.*

(Cap. 10. D.)

In illo tempore: Facta sunt Encænia in Hjerosolymis, et hyems erat. Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis. Et reliqua.

Homelia Beati Gregorii Papæ.

Lec. vij. Encænia vocabantur solennia dedicationis templi, quæ populus Dei ex antiqua patrum traditione per annos singulos celebrare consueverat. Quorum vestigia nos hodie juxta morem Christiani orbis sequentes, annuam Dedicationis Ecclesiæ nostræ diem divinis laudibus et vigiliis studemus agere solennem.

Lectio viij.

Et hanc ergo nos festivitatem eo majori devotione celebrare oportet, quo eam Redemptori esse gratissimam cognovimus. Adeo ut in ea templum ipse ingredi, et sermonem facere ad populum, ac divinitatis suæ sacramenta pandere, dignatus est.

§ 197.) *Lectio ix.*

Si ergo ambulare voluit Dñs in templo in quo caro et sanguis brutorum animalium offerebatur, multo magis orationis nostram domum, ubi carnis Ipsius et sanguinis sacramenta celebrantur, visitare gaudebit. [*Initium Lec. ix in* Pr. L.] Si perambulare non despexit Dñs in porticu in quo rex quondam mortalis ac terrenus, quamvis potentissimus, stare solebat, quanto magis penetralia cordium nostrorum invisere atque illustrare desiderat? Si tamen porticum esse Salomonis, hoc est, si ea timorem suum (quod est initium sapientiæ) habere, perspexerit. [*In* Pr. L *additum est*: Neque enim putandum est quia domus solummodo in qua ((ad)) adorandum vel ad misteria celebranda convenimus templum sit Dñi, et non ipsi qui in nomine Dñi convenimus, multo magis templum Dñi et appellemur et sumus. Tu autem Dñe miserere nostri.]

Ad Primam et ad Alias Horas *omnia fiant sicut infra Oct.*

Ad II Vesp's *omnia fiant sicut in die, præter* ℟*ium, quod non dicetur; cum hac Oratione,* Deus qui Ecclesiam (§ 175).

Quando *fit servitium de aliquo Sancto per Octavas, fiat solennis memoria de Oct. cum hoc* ℣*lo, tam ad Vesp's quam ad Mat.:* ℣*s,* Beati qui habitant (§ 175): *sive duplex festum sit, sive non.*

Digitized by Google

§ 198.) SEQUUNTUR

BENEDICTIONES [ANTE LECTIONES].

[I. Quando neque de Domina Nostra neque de Omnibus Sanctis Officium fit.]

[1º *In Primo et Secundo ex Tribus Nocturnis: etiam in Nocturno Solo qui, sine Expositione Euangelii, de festo vel de Octava, vel infra Octavas, vel in Paschali Tempore, dicitur.*]

QUOTIENSCUNQUE *fiunt novem lectiones, per totum annum, dicantur istæ sex Benedictiones ad Mat., præterquam in festis Beatæ Mariæ et Omnium Sanctorum; et* [*dicantur*] *in festis iij lectionum sine Expositione Euangelii, sive chorus regatur sive non; et in Oct. et infra Oct.; et in feriis Paschalis Temporis; secundum ordinem Nocturnorum.*

¶ *In Primo Nocturno dicuntur istæ Benedictiones.*

BENEDICTIONE perpetua Benedicat nos Pater æternus.
Deus Dei Filius Nos benedicere et adjuvare dignetur.
Spiritus Sancti gratia Illuminet corda et corpora nostra.

¶ *In Secundo Nocturno Benedictiones.*

Omnipotens Dominus Sua gratia nos benedicat.
Christus perpetuæ Det nobis gaudia vitæ.
Intus et exterius Nos purget Spiritus almus.

[¶ *In supradictis Nocturnis Solis dicuntur alternatim, per Octavam vel per hebdomadam, Nocturnorum I et II Benedictiones.*]

[**§ 199.**) 2º] *In Tertio Nocturno:* [*etiam in Nocturno Solo cum Expositione Euangelii.*]

[BENEDICTIO SEPTIMA VEL PRIMA.]

[¶ *Ante Euangelium:*]
Secundum Marcum, Euangelicis armis Muniat nos Conditor Orbis.
Secundum Matthæum Euangelica lectio Sit nobis salus et protectio.
Secundum Lucam. Per Euangelica dicta Deleantur nostra delicta.
Secundum Joannem. Fons Euangelii Repleat nos dogmate cœli.

¶ *Quando Expositio non habetur, tunc dicitur ad vij lectionem ista Benedictio.* Creator omnium rerum Benedicat nos hîc et in ævum.

[BENEDICTIO OCTAVA VEL SECUNDA.]

¶ *Ad Octavam lectionem semper dicitur ista Benedictio; nisi in festis Beatæ Mariæ et Omnium Sanctorum.*

Divinum auxilium Maneat semper nobiscum.

¶ *Quando vero dicitur Expositio Euangelii ad primam lectionem, tunc sit ista Benedictio Secunda.* Divinum auxilium maneat &c.

[BENEDICTIO NONA VEL TERTIA.]

[1. *De Sanctis.*]

¶ *In festis vero Sanctorum sit ista Nona Benedictio.*

Digitized by Google

Ad societatem civium supernorum Perducat nos Rex Angelorum.

Et semper dicitur, Rex Angelorum, *quandocunque dicatur, secundum Usum Ecclesiæ Sar.; nisi in festis Beatæ Mariæ.*

¶ *Similiter in festis iij lec.* [*de Sanctis*] *cum Expositione Euangelii sit ista Tertia Benedictio.* Ad societatem civium supernorum [*&c.*]

[2. *In aliis Officiis.*]

¶ *Quando vero fiunt ix lectiones de Temporali, per totum annum, nisi a festo Sanctæ Trinitatis usque ad Adventum Dñi, sit ista Nona Benedictio.*

In unitate Sancti Spiritus Benedicat nos Pater et Filius.

Dicetur etiam in Festo Corporis Christi, et in Oct. ejusdem, et in Exaltatione Sanctæ Crucis, et in Dedicatione Ecclesiæ, et in Dominica infra Octavas, et in Octava ejusdem.

¶ *Quando vero fiunt iij lectiones de Temporali cum Expositione Euangelii, tunc sit ista Tertia Benedictio.* In unitate Sancti Spiritus *&c.*

¶ *A festo vero Sanctæ Trinitatis usque ad Adv. Dñi, Dñicis diebus quando de Dñica agitur, sit ista Nona Benedictio.*

In charitate perfecta Confirmet nos Trinitas Sancta.

[3°. *In Feriis extra Tempus Paschale quæ Euangelii Expositionem non habent.*]

¶ *In Omnibus Feriis per annum, extra Tempus Paschale et quando Expositio non habetur, dicantur hæ Benedictiones tres.*

Deus misereatur nostri, Et det nobis pacem.

Virtus Christi Habitet in cordibus nostris.

De cœlo missus, Doceat nos Spiritus almus.

[§ 200.) II.] In festo Omnium Sanctorum

dicuntur benedictiones prout in eodem festo ante lectiones ejusdem sunt notatæ.

[III. Quando de Domina Nostra Officium fit.]

IN FESTIS ET IN COMMEMORATIONIBUS BEATÆ MARIÆ *dicantur istae Benedictiones.*

In Primo Nocturno [*et in Commemorationibus*].

Alma Virgo Virginum Intercedat pro nobis ad Dñm.

Christus Mariæ Filius Sit nobis clemens et propitius.

Sancta Dei genitrix Sit nobis auxiliatrix.

¶ *Tres prædictæ benedictiones in Commemorationibus B. Mariæ non variantur per totum annum.*

In Secundo Nocturno.

Sanctæ Mariæ merita Nos perducant ad regna cœlestia.

Quæ peperit Christum Pro nobis postulet ipsum.

Stella Maria Maris, Succurre piissima nobis.

In Tertio Nocturno.

Per Mariæ merita Prosit nobis lectio Euangelica.

Divina solatia Nobis impetret Virgo Maria.

Ad societatem civium supernorum Perducat nos Regina Cœlorum.

Digitized by Google

ITEM ALIÆ BENEDICTIONES DE S. MARIA, INFRA OCTAVAS.

[*Prima die: v. Annot.*]

Puræ, pudica, pia, Miseris miserere Maria.
Virgo parens, Natum Fac nobis propitiatum.
Nos precibus Matris Salvet Sapientia Patris.

Secunda die.

Virgo Deo digna, Precantibus esto benigna.
Intercede pia Pro nobis Virgo Maria.
Quæ peperit Florem Det nobis Floris odorem.

Tertia Die.

Conserva famulos, Virgo Maria, tuos.
Sanctæ Mariæ precibus Benedicat nos Pater et Filius.
Filius Virginis Mariæ Det nobis gaudia vitæ. Amen.

IN QUOTIDIANIS MATUTINIS B. MARIÆ

dicantur hæ Benedictiones.

Alma Virgo Virginum, Intercede pro nobis ad Dm̃.
Intercede pia Pro nobis Virgo Maria.
Sancta Dei genitrix, Sis nobis auxiliatrix.

Digitized by Google

ANNOTATIONES BREVIORES.

I. IN COMMUNE SANCTORUM ET SANCTARUM.

1. In Commune Apostolorum et Unius Euangelistae in Tempore Paschali.

*** *Divisio in Sectiones* (§§) *a me, in meum et lectoris commodum, facta est.*

Ad **§ 1.)** **IN NATALI**] *Natalem, Natalitia* (§ 44), in Sanctis, de die *obitus* dici, vix quemvis moneri opus est.

UNIUS ante **EUANGELISTÆ**, inter uncinos, ex vetere codice MSto L* inserui: confer §§ 8, 12, 13, et quæ ad § 8 annotata sunt.

Meminerit autem lector, pro diphthongis Æ et Œ, in antiquis Breviarii Sarisburiensis editionibus simplicem tantum inveniri E.

PLURIMORUM] I. e. *plurium.*

VIDELICET, AB OCTAVIS PASCHÆ USQUE AD PENTECOSTEN.] *Tempus Paschale integrum* octo hebdomadas, sive *Hebdomadam* (potius *Octavam*) *Hebdomadarum*, continet; cujus *Hebdomadæ* (sive *Octavæ*) *Majoris*, hebdomadæ constituentes prima et ultima, Paschæ scilicet et Pentecostes, pro Dominicis, ut ipse sanctissimus Paschæ Dies pro *Dominica Dominicarum*, haberi possunt. Hîc vero de ea tantum Temporis Paschalis parte agitur in qua Sanctorum Officia fieri possunt: quæ omnia, quoties intra sanctissimas Paschæ et Pentecostes hebdomadas dies eorum incidunt, si simplicia sunt, in Officio Diei omittuntur, sed in Quotidiano Dominæ Nostræ Officio *memoriam* (ante quotidianam Spiritus Sancti memoriam: vide § 117) habent; sin autem duplicia, in loca commodiora transferuntur.

Incipit autem Tempus Paschale a Missa (in qua et Vesperæ includuntur) quæ in Vigilia Paschæ cantatur, et post cujus Epistolam, per novem jam hebdomadas desideratum, summo cum gaudio erumpit primum "Alleluja"†; post quod hebdomadis octo, ut supra dictum est, expletis, cum Nona in Sabbato Quattuor Temporum in Hebdomada Pentecostes Tempus idem terminatur.

---

* De quo v. Fasc. I, ad calcem p. lxi.

† Cf. Fasc. I, p. xiii, parag. 4 (lin. 12—15).

Digitized by Google

In Tempore Paschali,] Hæc verba, inutiliter post titulum præcedentem in longius (ut videtur) productum retenta, melius omittit L.

AD PRIMAS VESPERAS] In L deest PRIMAS; et sic passim.

"*super Psalmos Feriales,*" — retento quod mox sequitur, "*Psalmi Feriales*", — melius omittit L.

Sunt autem "*Psalmi Feriales*" qui in Psalterio singulis hebdomadæ diebus assignati sunt; unde sub *Ferialium* nomine includuntur etiam *Psalmi Dominicales*: v. Fasc. I, ad calcem p. x.

Imprimis autem notandum est, in Officio Sarisburiensi, præterquam in festis et per Octavas Dominæ Nostræ, et in Primis Festi Loci, Secundis S. Annæ et SS. Apostolorum, et utrisque Reliquiarum et Omnium Sanctorum Vesperis, non mutari Psalmos Feriales in Vesperis Sanctorum.

minor] I. e. quæ ex duabus antiphonis quæ verbis "Lux perpetua" incipiunt minor est: cf. Laudes et Vesp. Secundas.

dicuntur] Pro *dicitur* (*dicatur* vel *dicetur*) et *dicuntur* (*dicantur* vel *dicentur*) sæpissime libri impressi, fere semper L, *dr* et *dnr* cum superposito quodam abbreviationis signo; cujusmodi in L est brevis linea vel Græcum *τ* (super *dr* et *dnr*, hoc), nobis autem (ubi signo opus est), apostrophe (') vel circumflexus Græcus (~).

Responsorium] De distinctione inter *Responsorium* et *Responsionem* v. ad § 3, inter *Annotationes Longiores.*

§ 2.) *Hymnus*] In L, pro *hy*, omisso aspirationis signo, passim *y;* cui tamen litteræ in hoc codice superpositum est punctum; quod super *i* contra plerumque abest, aliquando acuti similis est. Pro *mn* vero in eodem MSto (quod hîc quidem ob abbreviationem non videtur) passim legitur *mpn*.

In hymno autem ipso, ut in plurimis inferiorum temporum carminibus, ejusmodi tantùm, ut videtur, metri servandi lex præscripta est, ut syllabarum ordinandarum, numerus quidem ubique, mensura verò ibi demum (sive antiquorum sive recentiorum more legenti) justa esset, ubi hoc sine incommodo effici posset. Quod non eo tantùm excusari potest, quòd progredientibus sæculis antiqua vocalium mensura minus ac minus loquendo servata erat, sed multo magis quòd in hymnorum cantu recentiore, in quo ét vocalis loquenti brevis duarum facile *morarum* spatium accipere possit, nèc longa plus necessariò postulet, anomaliæ tales parum vel nihil obsunt. Sed et per venustates alias, — judicio et has, potius quam legibus, permissas, — quodammodo compensatæ inveniuntur; cujusmodi sunt terminationes similes, et accentus cum arsi concurrens; quarum ambarum in linguis hodiernis partes tam magnæ sunt, et quæ in his quoque carminibus non parum audiuntur.

De hymnis autem in genere pleniùs fortasse posthac: in nostro interim notari potest, — in tetrasticho primo, versuum omnium, in tetrasticho *Tu*

Digitized by Google

esto, bis duorum, in ultimo, secundi et quarti, terminatio similis. — Metrum vero, seu potius metri typus, est *Iambicus Dimeter Acatalecticus*.

Hymnus autem totus non nisi finis est hymni longioris, septem quippe tetrasticha continentis, qui in Proprio de Tempore Paschali in Officio Nocturno dicebatur: cf. ad § 5.

Ceterum in hymnis, aliisque metricis Breviarii partibus, vel quæ saltem terminationibus similibus gaudent, non solum (quod in libris veteribus invenitur) tetrasticha aliosve paragraphos, sed et singulos horum versus vel quasi-versus, more hodierno disjunxi.

Per Octavas — Amen.] In L desunt hæc: sed, præterquam quod in hoc vetere MSto rubricæ passim pauciores sunt, in re tali impressorum recentiorum omnino sequendum est auctoritatem.

§ 3.) *Versiculus. — Responsio.*] De distinctione inter *Versum* et *Versiculum*, *Responsorium* et *Responsionem*, vide *Annotationes Longiores*.

Hjerusalem] In L, pro J aspirato (*Hi*, melius *Hj*), — omisso, quemadmodum in Vulgata Bibliorum Editione, aspirationis mediævæ signo, — passim I (i. e. J) ordinarium legitur. De aspiratæ autem consonantis pronunciatione v. Fasc. I, p. lxxviii.*

lætitiæ] Pro *ti*, ubicunque apud hodiernos mollius profertur, in L *ci* invenitur.

cum his verbis] Pro *his* L passim *hiis*; quod et in sæculi decimi sexti scriptis sæpe videtur. Cf. ad § 25.

ad Christum passum] I. e. *jam* passum; qui Tempore Paschali ut *jam passus* ab Ecclesia, mirificum Sponsi sui opus et amorem perpetuâ memoriæ revolutione recolente, filiorum suorum animis proponitur. In L autem post *passum* additur *hoc tempore*; quod aut pro ipso *jam*, aut facilius de tempore Passionali cum Paschali in unum conjuncto, accipi potest.

Oratio — temporis.] In L, — in quo, ut supra (ad § 2) dictum est, rubricæ passim sunt pauciores, — hæc et proxima non inveniuntur.

§ 4.) "*Tres psalmi dicuntur*" &c.) Tempore Paschali non, quemadmodum in reliqui temporis lectionibus, a nocturno primo singulis hebdomadis (nam *qualibet* pro *unaquaque* positum est) incipiendum erat: contra vero, hebdomadarum distinctione relicta, ipsorum tantum nocturnorum ordo tenendus erat; ut quum nocturni tres dicti fuissent, tum demum a primo iterum incipiendum esset.

---

*Idem valet mediævum *Jh*: vide linguæ Germanicæ antiquioris de Sanctis Tribus Regibus (Magis) Legendam notabilem, Inspruckii a Professore Zingerle recens editam; in qua, — ut, allatis exemplis, in Diarii Coloniensis *Deutsche Volkshalle* vocati Supplemento, die Jan. 7, laudatur, — "*Jherusalem*" scriptum legitur.

Digitized by Google

per Tempus] In L, *per totum Tempus.*

In *hebdomada* et inde formatis L de more omittit *h*: cf. ad §§ 2 et 32.

Resurrectionis] Pro *tio*, sive in fine vocis, sive ante finem, L fere semper *co* cum superposita linea (cf. ad *dicuntur*, § 1), i. e. *cio* (cf. ad § 3), habet; ita tamen ut *tionem* et *tior* per *com* et *cor* cum lineis similibus exprimantur.

§ 5.) *Alia* 1.] In MSto L desunt ubique Antiphonarum et Responsoriorum notæ numerales; quas Ed. nostra ex margine (inter arcus parentheticos) in textum introduxit: cf. ad § 15.

Ps. Dñs regnavit.] Psalmi festorum in Laudibus semper iidem sunt cum Dominicalibus ordinariis: v. p. 12 — 14, et quæ de *Gloria Patri* in Fasc. Primi Annott., pp. ix et x, dicta sunt.

In *A.* 4.) all'a, all'a] In L, simplex tantum hîc legitur "alleluja".

CLARO Paschali gaudio] Ut hymni qui in Proprio de Tempore Paschali in Officio Nocturno dicebatur hymnus *Tristes erant Apostoli* est pars posterior (v. supra ad § 2), ita hymni qui in eodem Proprio ad Laudes dicebatur pars est posterior hymnus *Claro Paschali gaudio*; quippe qui omissis tetrastichis tribus primis, *Sermone blando, Illæ*, et *Quo*, factus est.

In L autem hymnus totus pro legentibus noto habetur; nam hîc nullum tetrastichum integrum, in *Proprio de Tempore*, pro hymno toto nihil aliud quam "Sermone blando angelus", scriptum legitur.

Metri, ut supra, typus est *Iamb. Dim. Acat.* Nota autem in tetrastichо primo, secundo, et tertio, versuum par prius homœoteleuton esse: — *gaudio, radio; vulnera, fulgida; clementissime, posside*; cui pari ultimo in tetrastichi fine consonat *tempore.*

Per Octavas — Qui scandis.] In L desunt hæc: v. supra ad § 2.

major] I. e. quæ est major ex duabus antiphonis quæ verbis "Lux per-"petua" incipiunt; cf. Vesp's I et II.

"*Oratio ut supra* [*v.* § 1]." — Pro 1 scribe 3.

§ 6.) *Ps.* Deus in nomine.] Ad Primam, quotiescunque non de Dominica inter Oct. Epiph. et Pascha, vel inter Festum SS. Trinitatis et Vig. Nat. Dñi, occurrente officium fit, ex Dominicalibus tres tantum Psalmi dicuntur, viz. *Deus in nomine, Beati immaculati*, et *Retribue:* v. pp. 18 — 20.

Ad Tertiam vero, ad Sextam, et ad Nonam, Psalmi sunt semper invariabiles: v. pp. 25 — 30.

§ 7.) *Historia Festorum* est hîc *Proprium de Sanctis*: cf. ad §§ 27 et 30.

2. In Commune Martyrum et Confessorum in Tempore Paschali.

§ 8.) Unius Martyris sive Unius Confessoris] In L secundum

Digitized by Google

Unius deest: cf. autem § 12, in quo bis **Unius**, et § 13, in quo bis **Plurimorum**, apud L ipsum legitur: etiam § 1 cum annot. sua.

in festis cum regimine chori] In novem lectionum omnibus, in trium lectionum majoribus festis chorus rectores habebat; in trium lectionum minoribus, non.

§ 9.) *in Commemoratione*] V. Fasc. I, pp. xlii — xlvi, collatis *Anni* 1855 *Addendis et Corrigendis.*

§ 10.) *et ad alias Horas*] *Horæ* sensu speciali de Prima et Horis Brevibus (Tertia, Sexta, et Nona) dicitur.

§ 11.) ℟ *dicitur*] Melius L, "*dicitur* ℟".

§ 12.) sine regimine chori] V. ad § 8.

"Ad I Vesp. *Ant.* All'a, [all'a, all'a.]": — idem in § 13 recurrit. In utroque loco, in L triplex legitur "alleluja"; quod idem sub simplici probabiliter intelligendum; ut scil. antiphona eadem sit cum Paschalis Temporis feriali; quæ in Officio Nocturno ex triplici, ad Laudes duplici, ad Primam septemplici, ad Tertiam sexies repetito, ad Sextam triplici, ad Nonam duplici, denique ad Vesperas triplici constabat "alleluja".

Ad Mat. — *dicuntur.*] In L, "*Ad Matutinas omnia fiant sicut in festis "Unius Martyris sive Unius Confessoris Paschalis Temporis cum regimine "chori, ut supra, usque ad Laudes.*"

et alias Horas] Melius L, *et ad alias Horas*: cf. §§ 10 et 14, et v. annot. ad § 10.

§ 13.) sine regimine chori] Hæc verba, non distinctionis, sed indicationis potius caussa hîc inserta sunt; scil. ut, quum Commune aliud non sequatur, ex iisdem omnia *Plurimorum* (h. e. *Plurium*) *Martyrum vel Confessorum* festa Tempore Paschali occurrentia *sine regimine chori* esse intelligatur.

"*Ant.* All'a, [all'a, all'a.]") V. supra ad § 12.

in gaudium; all'a, all'a.] Secundum "all'a" om. L. In repetitione autem tertium "all'a" delendum est.

Sanctis tuis, Dñe;] L addit "all'a".

Post "justorum" ponatur punctum.

3. In Commune Apostolorum extra Tempus Paschale.

§ 15.) *super psalmos* inter uncinos ex L inserui.

Psalmi Feriales.] V. supra ad § 1.

Eph. 2. D.] In Bibliorum editionibus antiquioribus, tam post quam ante versuum inventionem, capita in portiones per primas alphabeti litteras dividebantur. Locorum autem Biblicorum indicationes, quæ in L desunt, ex margine (inter arcus parentheticos) in textum introduxi. Cf. ad § 5.

Digitized by Google

§ 16.) ANNUE Christe] Hujus hymni typus metricus (v. ad § 2) *Iambicus Trimeter Acatalecticus* est. Notandum est autem (cf. ad eandem et ad § 5) in tetrasticho primo posterius, in secundo utrumque versuum par homœoteleuton esse.

chara] Pro *charus, charitas*, &c., quæ posteriorum sæculorum scriptura est, L de more *carus, caritas*, &c. Ab aspirato autem CHA defluxerunt formæ hodiernæ Francorum *charité, charbon*, &c., et Anglorum *charity, chalice*, &c.; quanquam sono sibilante (Fr. *sharité, sharboñ*, &c., — Angl. *tshariti, tshalis*, &c.) prolatæ.

exolvisti] In L, scripturâ magis probatâ, "exsolvisti". — Quod autem ad hunc scribendi modum attinet, quum non solum pronunciando difficile et durum sit EXS, i. e. ECSS, præpositionem EX in talibus non ut ECS (ἐξ), sed tantum ut EC (ἐκ) prolatam esse, probabile videtur.

Sanctoque] In L conjunctio *que* de more seorsim, sed abbreviata, scriptum est; scil. per *q* et *z* caudato (ꝙ); quæ ultima littera, sive quia sæpe, ut nunc Germanis, *ts* sonaret, sive ob aliam quamcunque caussam, *cetera* vel *et cetera* significavisse videtur. Hinc, ét in impressis quibusdam pro *que* invenitur "q;", èt pro *videlicet* "viz." hodieque in usu est.

§ 17 cum Versiculo incipere debet.

Cum "*ista*" subaudiendum *Oratio*; nam vocabulum proxime sequens potius ut *titulus* quam ut præcedentium continuatio accipiendum est.

In recentiore autem Latinitate sæpissime *iste* pro *hic* invenitur; atque adeo loco *hic* pronomini *ille* opponitur. Cf. vero ad § 54.

§ 18.) orbis terræ] In L conjunctim "orbisterre"; et sic passim.

℣s, In omnem terram (§ 16).] Pro 16 scribe 17: v. ad ejusdem sectionis initium.

§ 19.) Modo] Nunc: i. e, *in contemplantis mente.*

§ 20.) *Intra LXX*] Pro *Intra* scribe *Infra.* Hæc autem et sequens rubrica "*Post LXX*", quæ in L (v. annot. ultimam ad § 2) desunt, ad S. Matthiam unice spectant.

Infra vero vel *Post LXX* est *Post Tempus Septuagesimale inceptum*; quando "alleluja" dici non potest: v. ultimum paginæ j paragraphum, cum loco ibi indicato.

"meritò" adverbialiter, ut per accentum notavi, accipiendum est. De sensu autem quo apud Deum homo *mereri* dicitur, v. Fasc. I, ad calcem p. vi, cum *Anni* 1855 *Add. et Corr.*

"Cives apostolorum et domestici Dei", Sancti esse possunt qui, ut pie credi potest, apostolis cœlum intrantibus gratulabundi obviam venerunt. Possunt autem et ipsi apostoli cum sociis conjunctioribus ita designari;

Digitized by Google

et "advenerunt" (vel "advenistis) hodie" pro "*partim* hodie advenerunt" (vel "advenistis") accipi.

§ 21.) EXULTET] Hujus hymni metrum, seu potius metri typus, ut §§ 2 (q. v.) et 5, *Iamb. Dim. Acat.* est. Notandum est autem, in primis quattuor tetrastichis, ubique posterius, in tertio prius etiam versuum par, in reliquis duobus versus medios, homœoteleutos esse. Item elisionem in tertio (*Serasque ejus*) et quarto (*Sanate ægros*) neglectam.

§ 23.) PER manus Ap. — plebe: et m. eos p.] In Vulg. "12. Per manus autem Ap. — plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. "(C.) 13. Ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis: sed m. "eos p."

IBANT Apostoli] In Vulg. "Et illi quidem [*nempe*, Apostoli] ibant." De cujusmodi accommodationibus vix operæ pretium est moneri lectorem.

§ 24.) Pro "in æternum" L, de more, "ineternum".

Collocet eum Dñs cum principibus populi sui.] Hoc pro voto fidelium in Sancti adhuc viventis favorem facto, et hîc meditative repetito, accipi potest. Et sic in similibus.

4. In Commune unius Martyris extra Tempus Paschale.

§ 25.) PASCHALE) In L, *pasche*, i. e. PASCHÆ: cf. ad § 44.

Hæ prædictæ duæ antiphonæ — per hebdomadam] In L, *Hee due predicte a'e — per ebdom.*: cf. ad § 4. Quemadmodum autem pro *his, hiis* (v. ad § 3), sic et pro *hi* et *hæ* hoc MStum de more *hii* et *hee* habet.

Quum vero de aña in trium lectionum festis dicenda nihil dicatur, necessario conjiciendum videtur, aut in iisdem inter *Iste Sanctus* et *Beatus vir* electionem liberam fuisse (cf. ad § 27), aut (quod fortasse probabilius) priorem, quemadmodum in Brev. Rom., regulariter fuisse dicendam.

Matth. 7. D.] In Capitulo *Iste Sanctus* ultima tantum verba, eaque, utpote ad aliud subjectum accommodata (nam a Domino Nostro de domo parabolica prolata sunt), aliquantulum mutata, ab indicato loco descripta sunt.

Post "in sapientia" L, post "in justitia" Vulg., addit "sua".

§ 26.) *sine regimine chori*] V. ad § 8.

et ad Mat's ((*post*?)) *ix lec.*] Si non *post* vel *ad* inserendum, ut *post* vel *ad nonam leccionem* legatur, istud "*ix lec.*" casu quidem ablativo, *nonâ leccione*, sed sensu locativo, accusativi scil. cum *ad*, legendum erit.

in festis iij lec. — que dicuntur de tercio Nocturno tantum] Non in iis in quibus primi vel secundi Nocturni lectiones sumendæ sunt. Cf. autem textûs paragraphum præcedentem.

Digitized by Google

MARTYR Dei] Hujus hymni typus metricus idem est qui in §§ 2, 5, 21; *Iamb. Dim. Acat.* Similes autem versuum terminationes lector ipse notet.

triumphas] Sic, cum Brev. Rom., — in quo idem hymnus, aliquantum mutatus*, in Laudibus invenitur, — librorum meorum scripturam "triumphans" correxi.

§ 27.) ADESTO] Pro hac et Oratione sequente, in L unam tantum habemus: "Adesto Dñe supplicacionibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra "nos reos esse cognoscimus, beati N. Martiris tui intercessione liberemur. "Per Dñm [&c.]"

Alia Oratio.] Ubicunque plures Orationes aliæve formulæ in *Communi* inveniuntur, quænam in unoquoque propriam non habente festo dicenda sit, in *Proprio de Sanctis* quærendum; ubi si nihil dicatur, neque aliunde distinctionis innotescat lex, electio pro liberâ haberi potest.

in uno die] Sic libri A lectionem vitiosam "*in una hebdo.*" ex L correxi; in quo, "*Quando duo festa in uno die Unius Martiris simul contingunt, tunc "dicitur ad memoriam de alio ant.* Iste cognovit. *Require hanc aĩam post "Secundas Vesp's hujus Historie.* ℣s, Posuisti. *cum Oratione ut decet.*"

Est autem hîc *Historia, Ordo Officii*, seu potius *ejusdem Ordinis declaratio*: cf. §§ 7 et 30, cum annott.

§ 28.) *invitatorium duplex*] De *invitatorio simplici, duplici, triplici*, v. Fasc. I, p. cii.

justorum gloriam — colloquitur] de justorum gloria loquitur.

Tu autem] Hujus formulæ mentio, quæ in impressis nunc fit, nunc omittitur, in L fere semper omittitur. De modo autem lectiones concludendi v. Pr. (Proprii de Temp. Adv. p.) 5 a et b, cum annott. (p. lii et liii), in Fasc. I.

§ 29.) Pro "detrectat" L "detractat".

Lectio iij.] Ut in Editione "Douce Ref." et *Legendis Sarisburiensibus* (v. Fasc. I, pp. vi et lii) lectiones multo longiores (cf. ibid., pp. vii et ciii), ita in MSto L breviores plerumque quam vulgatæ inveniuntur; quemadmodum hîc quod in Ed. nostra lectio est tertia, L in tres lectiones, nempe in tertiam, quartam, et quintam, dividit; quarum quarta a verbis "Neque enim", quinta ab "Ut non ipsi", incipit. (De sexta ejusdem lectione v. ad § 30.)

Quod autem apud nos Nocturnorum 1 et 2 in hoc Communi lectiones facit, hoc fere totum in Brev. Rom. hodierno, — in quo, ut in supradictis libris ("Douce Ref." et *Legendis Sarisburiensibus*) lectiones multo plerum-

*Postquam sæculis recentioribus studiis classicis novus ardor additus est, ne mediorum temporum metris (v. ad § 2) ita calentes animi nimis offenderentur, Breviarii Romani carmina, Sedis Apostolicæ auctoritate, ad leges antiquas passim emendata sunt.

Digitized by Google

que nostris longiores sunt, — die septimâ infra Omnium Sanctorum Octavas, cum titulo "Sermo S. Joannis Chrysostomi.", in Noct. 2 ita divisum legitur: "*Lec. iv.* Qui Sanctorum — ipsi quod faciunt. *Lec. v.* Neque enim "difficile nobis est — victores redduntur. *Lec. vi.* Apostoli, discipuli Christi, " — cui nomen dedisti."

De his autem quæ in vetere MSto L, vel in Brev. Rom., vel in ipsis Patrum editionibus aliter, in nostra (quæ vulgatas, quantum fieri potest, Breviarii Sarisb. editiones sequitur) aliter, in Nocturnorum Lectionibus leguntur, quum multo nimis abundent, non nisi per exceptionis modum moneri lectorem operæ pretium erit.

Pro "nos quoque" et "dum nos", quæ cum Brev. Rom. L habet, A "quoque nos" et "nos dum".

Christus in suis semper in Ecclesia laudetur] In Brev. Rom. "Christus "in suis semper servis in Ecclesia sancta laudetur." In L: "Christus in suis "semper magnificetur, et Ecclesia sua laudetur."

§ 30.) *Communis Historiæ*] *Communis Historia* est quod nunc simpliciter *Commune* vocatur: cf. ad §§ 7 et 27.

ante lectiones] Sic recte L: in A perperam "*ante lau.*", i. e. "*ante Laudes*". Cf. autem rubricam de Versiculo ante Laudes infra (§ 37) positam, cum annott. ad eandem et ad lemma "*quæ est ultima*" ad finem rubricæ de qua nunc agitur.

Inter "Gloria et honore" et semicolon sequens insere "(§ 28)".

quæ est ultima] Et ideo Versiculum ante Lectiones immediate præcedit.

"AB origine — dinoscitur [*sic*]." apud L est Lectio 6: cf. ad § 29.

§ 31.) DE quibus] Ex quibus credentibus: v. Lec. 4.

Deo armati] Deum pro armatura habentes.

pares] I. e. similes.

si putas] Si *expectas*, Vel, si *credis* te vincere, quum revera vincas *nihil*. Vel "vincere" per "victurum", "triumphare" per "triumphaturum", explicari potest: cf. ad § 34. In Brev. autem Romano (v. ad § 29) melius legitur: "si "putas te posse sine pugna vincere".

In ℟ 5, pro "petiit" L "peciit": v. ad § 3.

§ 32.) Pro "caput" (in utroque loco) et "inquit" (in Lec. 7) L de more "capud" et "inquid": cf. ad § 33.

"*Euangelium.*" om. L. Hæc autem verba "*Euangelium. Secundum Joannem.*", minio in libris scripta, rubricæ sunt ad lectorem; a quo legendum erat: "Lectio sancti Euangelii secundum Joannem.": v. Pr. (Proprium de Tempore Adv. p.) 7.

Cap. 12. D.] De notitia locorum S. Scripturæ v. ad § 15.

Pro "in terra", Vulgata "in terram".

Digitized by Google

Homelia Beati Augustini Episcopi.] Hujusmodi tituli, quanquam in libris minio scripti, nihilominus ut pars Officii legendi erant (v. Proprium de Tempore Adv. p. 7 b); ideoque (ne hoc lectorem lateat) in hac Editione, quemadmodum in Brev. Rom., idem cum Lectionibus ipsis scripturæ genus exhibent.

Cum *Homelia* autem cf. *Letania*, p. 111 b. et quæ de hac forma in Annot., Fasc. I, p. xxxiv, dicta sunt. In L vero, ut *Ympnus* et *Ebdomada* (v. ad §§ 2 et 4), sic et *Omelia* passim legitur.

"*Lectio vij.*", hîc et passim, om. L. Ipsa autem Lectio nostra, cum Lectionis 8 initio, ita in hoc codice (v. ad § 29) in tres divisa et descripta est: 7. "Si dicebat Dñs granum mortificandum in fidelitate [*legendum erat sal-*"*tem:* "Se dicebat Dñs granum mortificandum infidelitate] Judeorum, mul-"tiplicandum fide populorum." *viij.* "Jam vero exortans [*sic*] — Qui amat, "inquid [*v. supra*], — Qui amat, perdet; id est, Si amas, perdis." *ix.* "Si cu-"pis — in eterna vita."

Gloria] Sic recte cum Brev. Rom. L: in A, "Glorie", i. e. "Gloriæ,"; quod ita cum "opus" jungendum ac si "Gloriæ, honoris, et fortitudinis opus." scriptum esset.

Pro "Cibabit illum — potabit eum." L, "Cibavit eum Dñs — potavit eum."

§ 33.) jocunditatis] I. e. *jucunditatis*. Ab *jocundus* autem provenit Anglico-poeticum *jocund*.

Pro "pulchritudinis" et "caput" L de more "pulcritudinis" et "capud": pro "velut" (in ℟io proximo), "velud": cf. ad § 32.

quemadmodum] *quomodo*, vel *secundum quam* (scil. *sententiam*).

"ut pereat" per *caussa pereundi*, "ne pereat" per *caussa non pereundi*, explicandum.

quando dicitur de III Nocturno tantum] quando in trium lectionum Officio Responsoria de tertio Nocturno sumuntur.

§ 34.) *Aliud Euangelium.*) V. ad § 27.

Secundum Lucam] In L, Euangelium hoc cum Expositione sua locum tertium, Euangelium vero *Secundum Matthæum* cum Expositione sua, — quod in Ed. nostra locum tertium habet, — secundum accepit.

In Brev. autem Romano, in quo Nocturni 2 et 3 duplicem lectionum apparatum habent, Euang. sec. Lucam priorem, Euang. sec. Matthæum posteriorem locum habet.

discipulis suis] In Brev. Romano "turbis": cf. versum 25.

Lectio vii.] In L lectio septima nostra (v. ad § 29) septimam et octavam (hanc verbo "Terrena" incipientem), octavæ sententia prima nonam facit. Contra, in Brev. Rom. hodierno (v. ibid.) septima et octava nostræ, septimam, nona nostra octavæ majorem tantum partem facit.

Digitized by Google

Pro "æternæ vitæ" et "quotidianus" L "vite eterne" et "cotidianus".

Pro "quanta sunt", in Lec. 8 Brev. Rom. magis classice "quanta sint", in simili vero lectionis septimæ loco, nobiscum "quanta sunt", habet.

In Lec. 9.) gaudere] I. e. gavisurum esse: cf. ad § 31.

Qui "pervenire" retinet, de *animo* intelligat oportet.

Non coronabitur nisi qui legitime certaverit.] "Nam et qui certat in "agone, non coronatur nisi legitime certaverit." II Tim. 2, 5.

§ 35.) Si quis] L "Siquis".

Homelia Beati Gregorii Papæ.] In L, "*Homelia Beati Gregorii Pape de "diversis Tractatibus.*": in A, "*Homelia de diversis Tractatibus.*" Verba "*de di-"versis Tractatibus*", si non ab initio per errorem, ideo fortasse addi potuerunt, quod olim lectiones longiores et revera ex diversis prædicti Papæ Tractatibus extractæ essent. Titulus autem "*Homelia de diversis Tractatibus*" aut per abbreviationem, aut inde oriri potuit, quod verba "*de diversis Tractatibus*", a secunda manu addita, præcedentium "*Beati Gregorii Papæ*" correctio esse viderentur. Utcunque vero hæc se habeant, lectiones ipsæ quæ sequuntur, omnino ex ejusdem Beati Papæ Homilia 32 in Euangelia sumptæ sunt: v. Brev. Romanum, in quo lectiones tres nostræ, scil. septima, octava, et nona, in unam septimam conjunctæ sunt.

Pro "edidit" Brev. Rom. "dedit"; pro "Vitæ enim", "Vitæ etenim"; pro "Sicut", "Nam sicut".

calida frigidis, frigida calidis] In L "frigida calidis, calida frigidis". — De re autem ipsa, scil. de medicinæ spiritualis cum medicina corporali comparatione, vide *Annotationes Longiores.*

§ 36.) nos a virtute eius paciencie estimare extraneos] hanc ejus virtutem nostrâ non referre putare.

"in pace Ecclesie" pro "in tempore quando Ecclesia, in nostra saltem regione, pacem habet" hoc loco positum esse videtur.

et tamen] nihilominus.

martirii palmam tenemus] I. e. si satis altum virtutis euangelicæ fastigium assequamur.

requirit] interrogat.

§ 37.) ℣s Posuisti Dñe. *vel* ℣s Justus ut palma florebit.] Ante puncta insere "(§ 30)" et "(§ 32)".

De electione autem v. ad § 27; notando tamen, quoties de Nocturno II vel III ℟ia dicantur, ℣lm *Posuisti Dñe*, præferendum videri; in priore quidem casu, quia loco suo (v. § 30) dici non potuit; in posteriore, quia ℣ls *Justus ut palma* ante lectiones jam dictus est. Quod si verum est, — quoties de Noct. I dicuntur, ℣ls *Justus ut palma* non injuria præferendus videatur.

Digitized by Google

qui in cœlis est] L, cum Brev. Rom., "qui est in cœlis".

Pro "mihi" L, ubi abbreviaturâ non utitur, "michi."

DEUS, tuorum militum] Typus metricus, idem qui in §§ 2, 5, 21, 26. Notentur autem similes versuum terminationes.

In eodem hymno, pro "servulis" L "criminis".

§ 38.) In Capitulo *Iste cognovit,* — cujus titulus ita corrigendus est, "*Cap.* (Eccl'i 45. [A: *v. Annot.*])", — eorum quæ de Moyse loco indicato dicta sunt, breviter aliis verbis summa redditur: cf. ad Cap. Nonæ.

Justus ut.] Sic recte L: in A, "Justus germinabit."

§ 39.) In Capitulo Nonæ, eorum quæ de Aarone loco indicato, versibus 12, 13 et 14, dicta sunt, breviter aliis verbis summa redditur: cf. ad Cap. Sextæ. Similia autem supra, in divisione A, versu 9, dicta erant.

A. Hic vir — manu.] Antiphonam hanc ut distichon elegiacum, id quod est, ordinavi.

"[In L, *ejusdem Sancti*]." — Cf. sectionis 37 parag. penultimum.

§ 40.) De Cap. *Beatus vir,* cujus hîc quinque tantum verba in L inveniuntur, v. ad § 25.

In Capitulo Nonæ, in Vulg. "Et firmabitur — suos;" immediate post Capitulum Sextæ legitur; "et n. æ. h. illum" post breve intervallum (in divisione B, versu 6) sequitur; verba autem "Dñs Deus noster" non inveniuntur.

§ 41.) In hac et duabus proximis sectionibus docetur, quid, quoties de Martyre Pontifice officium fit, præcedentibus sit substituendum; additis etiam (§ 43) pro quovis exulato, sive Martyre, sive Confessore, Nocturni Tertii Lectionibus. *

OMNIS Pontifex — in his] In Vulg., "Omnis namque Pontifex — in iis".

In Oratione, pro "Pet" scribe "Per".

Lectio prima.] In L "Debemus — subtrahit." in lectiones sex (v. ad § 29) divisum est. In Brev. Rom., sub titulo "Homilia S. Gregorii Papæ." et cum indicatione "*Ex Hom.* 17. *in Luc.* 10. *ante medium.*", "Debemus namque "pensare continuo quod sanctis — terræ." lectionis 7 in ipsius S. Gregorii festo (die Mar. 12) periodus est secunda: post quam "Si ergo sal — condia- "tur." quibusdam mutatis, eandem lectionem implet; "Sal etenim terræ — "subtrahit." octavæ est initium. Cetera ab nostris diversa sunt.

In Lec. 1, "continue" (immediate?) et "nobis" om. L; in quo etiam, pro

---

* Hujus autem sectionis initium ut sequitur melius exhibitum esset:

§ 41.) In Natali Unius Martyris et Pontificis, *tota cantetur Historia Unius Martyris Non Pontificis, ut supra, cum Capitulis subscriptis et cum Oratione subnotata.*

Digitized by Google

"sal sumus" et "Vos ergo" (in Brev. Rom. "Vos igitur"), "sal terræ sumus" et "Vos autem".

Ibid. pro "habitabunt", quod Brev. Rom. et Vulg. (Ps. 67, 11) habet, L "habitabant". In LXX κατοικοῦσιν.

In Lec. 2, pro "videmus" L "vidimus"; et pro "br. a. p. s.", cum Brev. Rom. "p. s. br. a."

CURARE sacerdoti] L "Curare ergo sacerdoti": Brev. Rom. "Curare namque sacerdotem".

SAL enim] Pro "enim" (in Brev. Rom. "etenim") L "autem".

In Lec. 5.) exigente] hoc necessarium faciente.

fatuitate] Cf. "si sal insulsum fuerit", S. Marc. ix, 49; et μωρανθῇ, S. Matth. v, 13 et S. Lucæ xiv, 34.

§ 42.) *Secundum Mattheum.*] In S. Matthæo (Cap. 10 C, v. 26) Vulg. habet, "Nihil enim est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod "non scietur.": in S. Luca (Cap. 12 A, v. 2), "Nihil autem opertum est, "quod non reveletur: neque absconditum, quod non sciatur." In Græco, inde a "quod" nullum est discrimen.

In lingua autem Biblica, quum Græca, tum Latina, forma subjunctiva futuri sæpe vim accipit.

De forma "Omelia" v. ad § 32.

indicabit] In MSto, quoad litterarum ductus, non minus bene legi posset "iudicabit". Cum septima autem lectione cf. 1 Cor. iv, 5.

§ 43.) "Ego autem" &c.) Ex Ps. 2; unde etiam quæ mox sequuntur "Postula" &c.

Cap'm Sextæ, "NEMO [in Vulg. "Nec quisquam] sumit—Melchisedech "[in L "Melchisedec]." e nominati capitis versibus 4, 5, et 6 ita compositum est ut verba "sicut scriptum est" versus quinti et initii versus sexti locum teneant.

"IN ecclesiis" &c.) In Vulg. hæc (præfixo "Et") de Sapientia dicta sunt.

et in conspectu] Sic, cum Vulg. et LXX, L: in A "et in omni conspectu".

et in medio] Sic cum Vulg. L: A om. "et". In LXX versus "et in me-"dio — admirabitur" cum proximo deest.

admirabitur] Sensu passivo dictum.

5. In Commune Plurimorum (Plurium) Martyrum extra Tempus Paschale.

§ 44.) De NATALITIIS v. ad § 1.

Pro PASCHALE L *pasche*: cf. ad § 25.

Digitized by Google

REDDET — mirabili] In Vulg. "Et reddidit justis mercedem laborum "suorum, et deduxit illos in via mirabili".

SANCTORUM meritis] Hujus hymni metrum, vel potius metri typus (v. ad § 2), idem est quod in Horatii Carminum Lib. I, Oda 6 (*Scriberis Vario*) invenitur; nempe, in quoque tetrasticho

In hoc autem hymno, út parum respicitur syllabarum quantitas, ita, præter alias terminationum similitudines, in tetrasticho tertio versus omnes per eandem vocalem exeunt.

per aridum] *per terram aridam sparso.* Quod quidam conjicere possunt, "peraridum", minus esset poeticum.

"penetralia" de *anima* accipiendum.

Post "retexere" deleatur punctum.

§ 45.) Isti sunt Sancti qui] Sic L: A om. "Sancti".

exultant] Sic L: in A "exultent".

in regnum æternum] Non solum *in æternum*, sed *in æternitatem regnandi.*

§ 46.) "*Item in festis ix lec.*" &c.) De electione inter duas formulas v. ad § 27.

qui cantatur] qui in Officio de Martyribus cantatur.

lachrymis] Pro *lachryma* L passim, scripturâ antiquiore, *lacrima.*

§ 47.) In Lec. 2, pro "seminantes" et "mercedem", L "seminant" et "vitam".

In Lec. 3 L: "Si ergo bona sunt semina bona opera, quare cum lacri- "mis, cum hylarem datorem diligit Deus?"

In Natali] In L hæc rubrica, cum Responsorio sequente, post nonæ demum lectionis Responsorium invenitur; et rubrica sequens, *Et hæc sunt festa.* omissa est.

de quocunque Nocturno dicatur, quod in prope sequente *semper* continetur, om. L. Intelligendum est autem hoc de trium lectionum festis dici.

Ante "qui effuso sanguine" subaudiendum est "eorum" vel "hi sunt".

§ 48.) In Lec. 4) illi qui seipsos] Sic bene L: in A "ipsi qui seipsos".

§ 49.) Descendens Jesus de monte] In Vulg. "Et descendens cum illis".

In Lec. 7, pro "eliguatur", quod L habet, A "eligantur"; quod si consulto scriptum est, *Ex quibus* pro *Ut ex eis* dictum erit.

Fuerunt] Pro F in minimis capitalibus, L de more *ff.*

In Lec. 8.) præ omnibus] Sic L et B: in A "pro omnibus".

Digitized by Google

Ibid.) debriandus] I. e., quod ipsum in B legitur, *inebriandus*: v. Du Cange, *Glossarium Mediæ et Infimæ Latinitatis.*

Ib.) ad eum Lumen subire Virtutum] ad Eum ascendere qui Virtutum est Lumen.

In Lec. 9, pro "Et si" scribendum "Etsi".

Gloria. Ibi.] Sic recte L et B: in A male "Gloria. Ubi."

§ 50.) REX gloriose Martyrum] Metri typus idem qui in §§ 2, 5, 21, 26, 37. Similes autem versuum terminationes notentur.

Paraclito] Male B "Paracleto": cf. Fasc. I, p. ix.

Pro *ita quod* male A et B *itaque:* in L, *Ita tamen quod.*

in primis] Primo loco.

§ 51.) eduxit eos.] Vulg., "eduxit illos."

"*Oratio ut supra.*", ad Tertiam, ad Sextam, et ad Nonam, etiam ad II Vesp's, om. L: v. ad § 2.

§ 52.) "Dñe Deus noster" in Vulg. non invenitur.

§ 53.) SANCTI per fidem] In Vulg. "Qui per fidem".

in Christo] Hoc in Vulg. non invenitur.

SANCTI ludibria] In Vulg. "Alii vero ludibria".

Pro "tentati" L more suo "temptati".

§ 54.) *cum propria historia*] V. infra ad § 57.

JUSTORUM — pace.] In Vulg. "1. Justorum autem animæ in manu "Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. 2. Visi sunt oculis insipien- "tium mori: et æstimata est afflictio exitus illorum; 3. Et quod a nobis est "iter, exterminium: illi autem sunt in pace". Post quæ, interposito tantum "Et", sequitur statim Cap. Sextæ: deinde Cap. Nonæ.

spes autem] "autem" om. Vulg. et L.

tentavit illos, et invenit illos dignos se] Sic A et B: in Vulg. "tentavit "eos, et invenit illos dignos se": in L, "temptavit illos, et invenit eos "dignos se".

Quod autem in classica, nequaquam idem in inferiorum temporum Latinitate inter *is* et *ille* sensûs discrimen quærendum; in quâ contra, ut idem valentia, sæpe ob soni tantum variationem hæc pronomina inter se permutari videntur; cujus rei, ut hîc et alibi, sic et ad finem Psalmi 27 (Hebræis 28), et inde in Canticum *Te Deum* translatum, exemplum omnino notatu dignum habemus: "Et rege eos, et extolle illos, usque in æternum."

§ 55.) *Alie Lecciones Plurimorum Martirum.*] V. ad § 27: quanquam fieri potest ut ex prima sectionis 53 rubrica intelligendum sit, lectiones has *cum suprascriptis alternis vicibus per hebdomadam* legendas esse.

"NON enim suscipimus quod passi sunt, sed propter quem passi sunt

Digitized by Google

"dubitamus, et admiramur [*sic corrigendum*]: igitur non pena in laude, sed "fides est.") Non enim ita, ut passos credamus, propter quem autem passi sint dubitemus, admiramur; ideoque non pœna, sed fides a nobis laudatur.

Ceterum pro "Non enim" cod. "Nam enim"; et in sequentibus "sub ia- "cuere — tolleravere — nichil est eis prosunt"; et pro "scelestos", "ce- "lestes".

plurimos sceleratorum peiores penas vidimus esse perpessos] Permulti scelerati plus quam *quidam* Martyres (nequaquam enim hoc de *omnibus* accipiendum) proculdubio perpessi sunt.

SUMMO igitur et precipuo loco] Summe igitur et præcipue.

§ 56.) *Secundum Matheum.*] Adde "((Cap. 5. A.))"

Videns turbas, Jesus ascendit] In Vulg. "Videns autem Jesus turbas, "ascendit".

Omelia Beati Gregorii Pape. (*V. Annot.*)] Pro "(*V. Annot.*)" scribe ((*Legendum*, Augustini Episcopi.))": v. infra.

sanctos prophetas] Cod. "sanctorum proph'as".

Cum autem minora minoribus, majoribus dantur] Sententia, dupliciter mutilata, ita inserendo simul addendoque complenda est: "Cum autem "minora minoribus, majora majoribus dantur, ab eo dantur qui solus novit "congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam.": v. Brev. Rom.; in quo totum hoc, "In illo tempore: Videns Jesus turbas, as- "cendit — Homilia S. Augustini Episcopi. Si quæritur quid significet mons, "bene intelligitur significare majora — adhuc timore — charitate — me- "dicinam.", post consuetum Euangelii titulum, septima in Festo Omnium Sanctorum lectio est.

6. In Commune Unius Confessoris et Pontificis extra Tempus Paschale.

§ 57.) *major*] I. e. quæ duarum Antiphonarum verbis *Justum deduxit* incipientium major est: cf. ad § 1. Antiphona autem "Justum deduxit *minor*" in Communi Unius Confessoris Abbatis, ad Laudes, ad Primam, et ad II Vesp's, (§§ 70 et 71,) dicitur.

ECCE Sacerdos — reconciliatio.] In Eccl'i 44. C inveniuntur: "16 He- "noch placuit Deo," et mox, "17. Noe inventus est perfectus, justus, et in "tempore iracundiæ factus est reconciliatio."

Quando ix lectiones vel iij, cum propria historia, vel cum propriis Laudibus, habentur] In "*ix lectiones vel iij*" intelligendum est *ix vel iij lectiones;* id quod a fine paragraphi clarum fit. *Historiam* vero *propriam* non

Digitized by Google

de Lectionibus tantum, quæ raro omnes sunt communes, sed (præsertim quum dicatur *"lectiones — cum propria historia"*) de Lectionum potius Responsoriis, accipi par est. *Laudes* autem *propriæ* eæ esse videntur quæ Psalmorum Antiphonas proprias habent.

In eadem vero rubrica ita mutetur interpunctio: *"supradictum; et ad "Sextam Cap.* Benedictionem; *ad Nonam Cap.* Cognovit eum."

ISTE Confessor] Metrum Sapphicum. Pro "Hodie" autem, ut syllabarum quantitas sit classica, melius legeretur "Hôc [vel cum Brev. Rom." Hac] "die". — In "Ipsius hymnum", quòd *us* ante *h* syllabæ longæ vim accipit, etsi contra morem classicum fit, non omni tamen excusatione caret. — In "secreta" et "machinam", vocalis prima contra morem antiquum corripitur: v. ad § 2.

Notetur autem in tetrasticho secundo versuum omnium terminatio similis.

§ 58.) Similabo — petram.] Pro hac aña L: "Amavit eum Dñs, [et "ornavit eum: stolam gloriæ induit eum]."

§ 59.) *quando inv. est simplex, Inv.*] Sic L: A om. *Inv.*

Pro "exaltans caput" L "exaltas capud" (cf. ad §§ 32 et 33).

In Lec. 2, pro "ille Paterfamilias" L "Pater ille familias".

Ibid. pro "ad hoc", quod L habet, A "ad hec", i. e. "ad hæc".

Ib. ut populo] Sic L: in A et B "ubi populo". Legendumne "uti populo"?

crescere in plebem suam] Ut Abraham in semine naturali *in populum Dei*, sic alii Sancti in semine spirituali in ejusdem populi partem creverunt.

In Lec. 3, "cibus" om. A et B: habet L.

§ 60.) Pro "Lætentur" L "Letantur".

Ps. Ipsum.] *Psalmus, hoc idem*; i. e. *Psalmus, qui iisdem verbis incipit.*

In Lec. 5.) Quisputas — super — sic facientem.] In Vulg. (S. Lucæ 12, 42): "Quis, putas, — supra — ita facientem."

In "Quisputas" autem, vel "Quis, putas," (pro quo, tam hîc quam in S. Matth. 24, 45, Græcum *τίς ἄρα* habet,) *putas* fere abundare videtur, et reddendo melius omittitur.

§ 61.) In Euang.) Homo quidam p. p.] Vulg.: "Sicut enim homo p. p."

§ 62.) *vel* ℣s Justus ut palma (§ 61).] V. ad § 27.

A. 2.) "Non est inventus similis illi," &c.) Hoc, si non latius, saltem de cujusvis Sancti tempore et loco, sensu aut arctiore aut minus arcto acceptis, — additis etiam, si forte opus sit, circumscriptionibus ulterioribus, — commode intelligi potest. Quanquam et, quemadmodum qui vultus omnino similes habeant, duo nunquam homines inveniuntur, sic etiam Sancti cujusvis pulchritudo spiritualis plus minus *sui generis*, et in hoc genere, — Eâ tantum exceptâ cujus solius claritas, labis originalis ab initio expers, nullâ unquam maculâ imminuta est, — *optima*, esse posse videtur. Quod si verum sit, inde

Digitized by Google

etiam satis intelligi potest, cur in quarto Regum libro tam Ezechias quam Josias ét prædecessoribus èt successoribus suis omnibus præluxisse dicatur: Cap. xviii, 5, et xxiii, 25.

A. 4. Beatus ille servus quem cum venerit Dñs et pulsaverit januam, et invenerit eum vigilantem.] Redundantia duplex; siquidem non solùm ultimum "et" (per *etiam* interpretandum) more Biblico abundat, sed et "eum" ideo contra morem nostrum insertum est, quia, quum apud Hebræos relativum *ashér* aliàs quam per loco suo subjunctum pronomen rarissime inflectatur, LXX Interpretes nunc (ut Deut. 28. 49), relativo in nom. vel acc.* absolute posito, alterum tantùm pronomen, nunc (ut ibid. v. 52) ambo inflexerunt; qua utraque ratione *quem — eum* nihil aliud quam simplex *quem* valet.

Capitulum ex versu 25, "Benedictionem omnium gentium dedit illi Dñs, "et testamentum confirmavit super caput Jacob.", — post *testamentum* inserto *suum*, et *Jacob* in *ejus* mutato, — constat.

Quando fiunt ix vel iij lectiones cum communi historia] Hoc "*cum communi "historia*", — in quo "*et communibus Laudibus*" subintelligendum, — non minus de ix quam de iij lectionum festis dictum est: — cf. § 57 cum annotatione sua.

JESU Redemptor] Typus metricus idem qui in §§ 2, 5, 21, 26, 37, 50. Similes autem versuum terminationes notentur.

§ 63.) Capitulum ex initio versus 26 (cf. ad § 62), "Agnovit eum "in benedictionibus suis," et versu 27, "Et conservavit illi homines misericordiæ, invenientes gratiam in oculis omnis carnis." per accommodationem factum.

In hoc autem, quod Sancto cuivis spiritualem *hominum misericordiæ* posteritatem Dñs conservaverit, ipsi quoque misericordiam suam conservavit; nam ét Sanctus in posteritate spirituali vivit, èt ejusdem posteritatis misericordia, a misericordia divina profluens, misericordiam novam, Dei gratiâ (sec. S. Matth. V, 7) promeretur. Porro qui eam in oculis hominum gratiam invenit de qua in prædicto Ecclesiastici loco sermo est, non aliâ de caussâ hoc facit, quam quod in ipsius Domini prius oculis gratiam invenit.

Eccl'i 45. A, B.] In A, *Ubi supra*. Capituli autem ipsius, "Magnificavit "eum in conspectu regum, et dedit illi coronam gloriæ." sensus, et, præter ultima duo, singula etiam verba, ex iis quæ de Moyse et Aarone in Eccl'o 45 A et B leguntur in unum collecta sunt. Etenim "Magnificavit eum" in v. 2, "in conspectu regum" in v. 3, "et dedit illi" in v. 6, ultimorum verborum

* Quum in exemplo Deuteronomiano relativum, ob genus neutrum, in horum casuum alterutro esse possit, nominativi videatur exemplum in Num. 14, 7; accusativi ibid. 18, 32.

Digitized by Google

"coronam gloriæ" sensus in v. 9 (qui ultimus est in divisione A), et clarius in v. 14, invenitur. — De pronominum autem usu v. ad § 54.

§ 64.) ¶ *Item aliæ Lectiones Unius Conf. et Pont.*] V. ad § 27.

§ 65.) In Lec. 4.) cui tamen ad lucrum deservire dissimulat] Locutio prægnans: *dissimulando* enim pigritiam, se domini sui lucrum quæsivisse *simulat*; ideo scilicet talentum in terra abscondens, ne forte inter mercaturæ pericula perderetur, vel saltem deminueretur.

In Lec. 5, "plerique" *multi* vel *permulti* valet.

§ 66.) Vigilate] In Vulg. "Vigilate ergo".

In Lec. 8, Fur — parat.] In L, Lec. 8 (v. ad § 29) est: "Fur autem est "mors; et improvise adveniens fur domum perfodit, cum mors subito et re-"pente repentinum transitum parat."

7. In Commune Unius Confessoris Abbatis, cum Capitulis et Euangelii Expositione de Quocunque Confessore*; extra Tempus Paschale.

§ 67.) Inter Commune *Unius Conf. et Pont.* et Commune *Unius Confessoris Abbatis*, in L sequentia (de quibus plura in *Addendis* vide) leguntur:

In Natali Unius Confessoris et Doctoris,

Si Episcopus fuerit, tota Historia [i. e. *totum Officium*] *cantetur unius Conf. et Pont.*

Si Episcopus non fuerit, totum fiat Servicium sicut in festo S. Ieronimi prenotatum est.

¶ *Ita tamen quod in festo S. Augustini Ep'i et Doctoris d'r* [v. ad § 2] *ad utrasque Vesp's, et ad Mat's, et ad Tertiam Capitulum* [Eccl'i 47. B]:

DEDIT Dñs confessionem Sancto suo, et excelso in verbo glorie.[a]) De omni corde suo laudavit Dñm, et dilexit Deum qui fecit illum. *Oracio.*

EXAUDI Dñe preces nostras, quas in Sancti *N.* Confessoris tui atque Doctoris sollennitate[b]) deferi-

* Sic in textu quoque scribetur melius. Vide autem ad § 72, ad finem.

a) Hæc ex versu Biblico (v. 47), "In omni opere dedit confessionem "Sancto, et Excelso in verbo glo-"riæ." — ubi de David quidem agitur, sed *Sancto* et *Excelso* de Deo ipso dicuntur, — per accommodationem facta sunt. *Verbo* autem *gloriæ* pro *verbo glorioso* per Hebraismum dictum est.

b) In hac voce priorem nasalem, etiamsi per lineam tantum, super vocalem præcedentem positam, expressa est, non tamen *m* sed *n* esse, duplici codicis nostri consuetudine probatur; in quo non modo (quod ad § 2 dictum est) inter *m* et *n* de more inseritur *p*, verum etiam in *solennis* et derivativis ejus nasalis prior, ubi non (ut supra) per lineam exprimitur, passim ut *n* exhibetur.*

Ex quattuor autem scripturis *sol-*

*In uno quidem loco, in Officio Nativitatis Dominæ Nostræ, — si non in "hijs sacris solen-"nijs" (ubi "sacris" per abbreviationem exhibetur) posterius ut prius "ij" pro simplici I longa scriptum est (cf. ad §§ 3 et 25), — pro quinque virgulis ex quibus in hujus codicis scriptura "nni" constare debet, sex factas esse notavi; sed hoc, etiam si, contra duplicem supra memoratum scribendi morem, pro "mni" habendum sit, librarii potius errori, similium virgularum multitudine falsi, quam cujuscunque intentioni tribuendum esse videtur. De discrimine autem quod in hac parte inter ipsum libri nostri textum et quædam saltem ex variis variarum manuum scriptis quæ eidem adjuncta vel inserta inveniuntur vide ad § 93.

Digitized by Google

mus; et qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos solve peccatis.

Secundum Matheum. [Cap. 5. B.]

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terre. Quod si sal evanuerit, in quo salietur. Et reliqua.

Omelia excerpta de diversis Tractatibus.

SAL appellantur apostoli, quia per ipsos universorum hominum genus conditur. Terre [enim nomine(c)] humana natura significatur. In sale dicitur Verbi sapiencia.

Leccio viij.

QUOD autem electos apostolos suos, ac divina sapiencia plenos(b), sal terre Salvator nominat, ostendit fatuos esse iudicandos qui terrena sapiunt. *Lec. ix.*

QUI temporalium bonorum vel copiam sectantes vel inopiam metuentes, amittunt eterna, que non dari ab hominibus nec auferri possunt.

Ad Sextam Cap. [Eccl'i 47. B.]

DEDIT illi Dñs contra inimicos potenciam: et stare fecit cantatores contra altare, et in sono eorum dulces fecit modulos.(f)

Ad Nonam Cap. [Eccl'i 24. A.]

SAPIENCIA laudabit animam suam, et in Dño(f) honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur. Deo gratias.

"JUSTUS cor suum" *&c.*) In Vulg. "Cor suum — deprecabitur." quæ versus sextus sunt, de *Sapiente*, qui v. 1 nominatus est, dicuntur.

Oratio de Proprietate.] In L: "*Oracio.* Deus, qui Beatum *N.* Abbatem "sanctitatis gratia decorasti; ipsius meritis fac nos bonis operibus habun-"dare*; ut a te summo bono omne quod expedit mereamur impetrare. [Per "*&c. ut* § 27.] *Non d'r Or.* Intercessio nos. *nisi in Translacione S. Benedicti* "*Abbatis tantum, secundum usum Sar. Ecclesie.*"

§ 68.) Pro Rubrica "*lectiones* [i. e. *sex primæ*] *legantur de Proprie-"tate.*" in L Lectiones sequentes (de Ordinis tantum Fundatore, et inter ejusdem filios spirituales, ut videtur, legendas) habemus:

"*Leccio j.* Ad sancti ac beatissimi Patris nostri *N.*, cujus festa hodie "celebramus, laudes addidisse aliquid, decrepuisse(a) est eum: siquidem "virtutum ejus gracia non sermonibus exponenda sit, sed operibus com-"probanda."

"*Lec. ij.* Cum enim dicat Scriptura, Gloria patris est filius sapiens, "quante hujus glorie sunt, qui tantorum(b) filiorum sapiencia et devocione "letatur! In Christo enim Jesu per euangelium ipse nos genuit."

---

lemnis, *sollennis*, *solemnis*, et *solennis*, prima, secundùm Noltenium, apud veteres usitatior, reliquæ vero non spernendæ.

c) Sic, in festo S. Augustini, *Proprium de Sanctis* (in B: vide Addenda).

b) Qui et sapientiâ divinâ pleni erant.

c) In Vulg., statim post Capitulum ad Tertiam (v. notulam a), "et "dedit illi contra — cantores — mo-"dos."

f) Vulg. "in Deo".

* Sic de more MStum hoc.

a) Sic, ut videtur, pro "decrepis-"se", quod codex habet, legendum: et "decrepuisse eum" per *detractavisse ei*, i. e. *gloriam ejus deminuisse*, interpretandum.

b) Hoc "tantorum" fieri potest ut sensu *tot* dictum sit.

Digitized by Google

"*Lec. iij.* Quicquid igitur in hac sancta plebe potest esse virtutis(c) et "gracie, de hoc, quasi(d) de quodam fonte lucidissimo, omnium rivulorum "puritas et amenitas emanavit."

"*Lec. iiij.* Etenim quia castitatis et aliarum virtutum pollebat vigore, quia "abstinencie gloriabatur(e) angustiis, et blandimentis(f) preditus erat, (g)"

"*Lec. v.* [Quia] Lenitate omnium corda(h) in Dñi provocavit affectum, "bene et congrue in hac die, quam nobis Beati *N.* Patris nostri ad Para-"disum transitus exultabilem reddidit, presentis Psalmi versiculum decan-"tamus: In memoria eterna erit justus."

"*Lec. vj.* Digne enim in memoriam vertitur hominum(i) qui ad gaudium "transit [transiit?] angelorum. Dicit enim sermo divinus, Ne laudes "hominem in vita sua.(j)"

§ 69.) ¶ ℣s, Justus ut palma.] Postquam ℟ia omnia ideo ante Lectiones sola indicata sunt, ut de omnibus simul ubi inveniantur pateat, sequuntur Lectiones ipsæ cum ℟iorum quæ singula singulas sequi debeant, indicatione iteratâ. Quod ut facilius intelligatur, repetitur etiam Versiculus, et in Ed. nostra repetitionis integræ initium per signum ¶ notatum est.

accendit lucernam] Vulg. "lucernam accendit".

§ 70.) *vel* ℣s Justus ut palma (§ 61).] V. ad § 27.

Pro "*Oratio ut supra.*" L "*Or.* Deus, qui Beatum.": cf. ad §§ 67 et 71.

§ 71.) SI enim magnus Dñs] "enim" om. L: pro "m. D." Vulg. "D. m."

In Cap. Nonæ, pro "testamenti Dñi", quod L cum Vulg. habet, A "tes-"tamenti sui". Capitulum autem (quod in Vulg. immediate post Sextæ Cap. sequitur) ex initio versus 10 ("et ipse d. c. ejus, et d.,") et fine versus 11 ("et in l. t. Dñi gl.") conflatum est.

Pro "*Oratio ut supra.*" L "*Or.* Deus, qui.": cf. ad §§ 67 et 70.

§ 72.) "¶ **Item alia Capitula, [cum alia Euangelii Expositio-"ne,] de Quocunque Confessore.**" *) V. ad § 27: etiam ad § 72, ad finem.

Hujus autem sectionis loco in L integrum Commune sequens invenitur:

---

c) Cod. "virtutibus".

d) Sic, ut videtur, explicanda est codicis abbreviatura.

e) Gloriam suam, utique non terrenam, in his rebus posuit.

f) Cod. "blandiimentis".

g) Notandum est lectiones has (seu potius lectiunculas) a sensum parum intelligente divisas esse.

h) Quod scriptum est legere non possum: per "corda" sensus saltem impleri potest.

i) Fit hominum memoriæ objectum.

j) Hoc non de omni qualicunque laude intelligendum esse manifestum erit.

* Sic in textu quoque titulus hic scribetur melius.

Digitized by Google

ITEM DE QUOCUNQUE CONFESSORE.

AD VESP's, *super psalmos Ant.* Amavit eum (§ 67). *Psalmi Feriales.*

Capitulum. [Sap. 10 B.]

IUSTUM deduxit Dñs per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scienciam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.

℟. Miles Christi gloriose (§ 61).

Ymnus, Iste Confessor (§ 57).

℣. Amavit (§ 58).

A. Confessor Dñi (*ibid.*) *Ps.* Magnificat (p. 99). *Oracio.*

ADESTO Dñe precibus nostris, quas in Sancti N. Confessoris tui sollennitate[a] deferimus; ut qui nostre iusticie fiduciam non habemus, eius qui tibi placuit precibus et meritis adiuuemur. Per Dñm [*&c. ut* § 27].

AD MAT's, *In festis ix lec., vel iij lec. quando inv. est duplex, Inv.* Iustus florebit (§ 68). *In festis iij lec. quando inv. est simplex, Inv.* Regem Confessorum [Dñm, Venite adoremus]. *Ps.* Venite (p. 122).

Ymnus, Iste Confessor (§ 57).

In primo Nocturno et in sequentibus Nocturnis Añe, Psalmi, et Versiculi de Communi Unius Conf. et Pont. Leccio j.

FRATRES, obediens in Christo vendat que possidet et elimosinam det; ut de terra cor ad celum levet, et auariciam calcet, et ad perfeccionis culmen tota mentis intencione festinet.

℟. *Communi Unius Conf. et Abbatis dñr. Lec. ij.*

UT non sit sollicitus que sunt mundi, sed que sunt Dei; ut mundum sibi crucifixum habeat, seque mundo crucifixum exhibeat; ut sit omnino pauper in seculo et diues in Christo. *Lec. iij.*

QUIS ignorat boni huius magnitudinem. Videmus in omnibus vendendarum rerum suarum virtutem inesse. Ecce hoc tam magnum bonum implere, pauci possunt, multi non possunt.[b] *Lec. iiij.*

NUMQUID quia paucis donatur ista perfeccio, propterea debent esse pessimi quicunque in bono non dum possunt esse perfecti?[c] *Lec. v.*

NUMQUID propterea debet Christianus inicio [in vicio?] rapacitatis insistere, quia forte non dum potest omnes res suas pauperibus erogare? *Lec. vj.*

AUT ideo debet aliena concupiscere, quia propria non dum potest omnino contempnere?[c] Absit! Apostolus enim veraciter dicit, Quia neque auari neque rapaces regnum Dei possidebunt.

---

[a]) V. ad § 67, notulam b.

[b]) Etiamsi omnes, virtutem insitam per Ejus gratiam excolendo satis, *qui abundantia pietatis suæ et merita supplicum excedit et vota**, ad altiora sanctitatis fastigia gradatim saltem progredi possunt, pauci tamen revera, aut per conatus tales aut aliàs, hujus tanti boni compotes fiunt; — pauci affectus ita voluntati, voluntatem tam constanter rationi rectæ obedientem habent, ut, nisi per vocationem extraordinariam, ardua statim sine periculo nimio aggredi possint.

Distinguendum est autem, tam hîc quam in sequentibus, inter *voluntatem*, secundùm quam unusquisque Christianus perfectus esse debet (cf. S. Mathæi 5. 48 et S. Lucæ 14. 33), et affectus, qui ut quotidie perfectiores fiant summopere omnes conemur oportet: quinetiam ne de affectibus quidem sensu nimis rigido verba "potest" et "possunt" accipienda sunt.

[c]) Vide supra notulam b.

*Oratio Dominicæ 12 post Trin.: in Brev. Rom. 11 post Pent.

Digitized by Google

Secundum Marcum. (Cap. 13. D.)

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Videte, vigilate, et orate: nescitis enim quando tempus sit. Et reliqua.

Omelia Venerabilis Bede Presbiteri.

Vigilare et orare [*cod.* Vigilate et orate], et cautos existere, discipulos suos Dñs monuit; sed tamen eis iudicii ultimi tempus ostendere noluit: quia magis illis profuit hoc nescire quam scire; ut semper suspecti, semperque parati, vigilarent. *Lec. viij.*

Bene siquidem vigilat qui vanis mundi gaudiis dormit, et preceptis divinis excubat. Utiliter enim orat qui talem se exhibet, ut percipere valeat quod in oracionibus postulat.

Leccio ix.

Nescitis enim quando tempus sit. Acsi aperte diceret, Sicut ignoratis [*legendum* ignorastis: cf. § 72] diem introitus vestri in mundum, ita ignoratis diem exitus vestri de mundo: dies enim illa sicut fur ita in nocte veniet.

[*Ante Laudes,*] *In festis ix lec.* ℣*s*, Ora pro nobis. *In festis iij lec. dicitur* ℣*s* Iustum deduxit. *vel* ℣*s* Iustus ut palma. [*V.* § 70.]

In Laudibus, *A.* Iustum deduxit *minor* (§ 70). *Ps.* Dñs [regnavit. *v.* § 5]. *A.* Non est inventus. *Ps.* Iubilate. *Et alie ane* [*et psalmi*] *ut supra* (§ 62).

Cap. Iustus cor suum (§ 67).

Ymnus, Iesu Redemptor (§ 62). *Totus ymnus dicitur per omnia sicut de Uno Conf. et Pont.*

℣*s,* Iustus germinabit (§ 62).

Añа, Euge serve (*ibid.*) *Ps.* Benedictus (p. 15).

Or'o, Adesto Dñe. [*ut supra ad j Vesp's.*]

Ad Primam, *A.* Iustum deduxit *minor*: § 70]. *Ps.* Deus in nomine. [*et ceteri: v.* § 6.]

Ad Tertiam et ad alias Horas, *Añe, Ria, et Versiculi de Communi Unius Conf. et Pont.*

Ad iij, Cap. Iustum deduxit. [*ut supra ad j Vesp's.*]

Ad rj, Cap. [Sap. 10. C.]

Custodiuit eum Dñs ab inimicis, et a seductoribus tutauit illum; et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potencior est sapiencia.

Ad ix, Cap. [*Ibid.*]

Sapiencia venditum iustum non dereliquit, sed a peccatoribus liberauit eum.

Ad II Vesp's, *A.* Iustum deduxit [*minor*: § 70]. *Psalmi Feriales.*

Cap. Iustus cor suum (§ 67).

Ymnus, Iesu Redemptor (§ 62).

℣*s,* Iustus germinabit (*ibid*).

Añа. Iste est qui ante (§ 63). *Ps.* Magnificat.

Or. Adesto. [*ut supra ad j Vesp's.*](b)

"Justum deduxit Dñs per" &c.) In Vulgata (v. 10): "Hæc [*i. e.* Sapientia,

---

b) Codex ipse, — in lec. 2, pro "mundum" male "mundus" habet; in lec. 5 "incistere"; in Euangelio "quia nescitis enim"; in lec. 8 "exi-"bet", quum tamen supra in lec. 2 "exhibeat" scriptum sit.

Idem pro *dicitur* utroque loco *d'r* (v. ad § 1); et pro *debet, d;* (cf. quæ de conjunctione *que* supra (ad § 16) dicta sunt.

Quod autem in lec. 1 cod. habet, "elimosinam", ex *elemosynam*, quod (per syncopen vel contractionem formatum) pro *eleemosynam** aliquando legitur, per iotacismum (cf. Fasc. I., pp. xiv, xv) factum est.

*In quo vocalis tertia primo saltem longa fuit.

Digitized by Google

"profugum iræ fratris justum [i. e. Jacobum ob Esavi iram profugum] de-"duxit per" &c.

CUSTODIVIT eum Dñs] In Vulg. (v. 12): "Custodivit illum"; scil. Sapientia, de qua (cf. ad Cap. Tertiæ) sermo est. De pronominum autem usu v. ad § 54.

et sciret] Sic cum Vulg. L: in A, "ut sciret".

"SAPIENTIA venditum" &c.) In Vulg., immediate post Sextæ Capitulum (v. supra), versu 13 legitur: "Hæc venditum" &c.

UNDE is quidem vigilat] In L, ut supra (p. xxiij) vidimus, "Bene siqui-"dem vigilat".

Ad lectionis 9 finem, L, ut supra (p. xxiij) vidimus, addit: "dies enim "illa sicut fur ita in nocte veniet."

Unius autem *Confessoris Neque Pontificis Neque Abbatis* in Calendario Sarisburiensi Communi tria tantum festa occurrunt; nempe S. Eusebii, die Aug. 14, S. Hieronymi, die Sep. 30, et S. Edwardi Regis (Translatio scilicet: nam de Depositione ejus, die Jan. 5, fit tantum Memoria): quorum omnium Officia in Proprio de Sanctis partim indicata, partim descripta inveniuntur.

8. In Commune Plurimorum Confessorum extra Tempus Paschale.

§ 73.) EXTRA TEMPUS PASCHALE, quod L habet, sine uncinis locum teneat.

PLURES — sacerdotium.] In Vulg., vv. 23, 24: "Et alii quidem plures "f. s. s., idcirco q. m. p. p.: Hic autem — sacerdotium."

idcirco] L "iccirco".

Justi in perpetuum] In L, — in quo post tertiam demum lectionem Pium hoc plene descriptum est, — "Justi autem imperpetuum."

et Nato] Sic post Lec. 3 (v. annotationem præcedentem) L: in A "ac "Nato".

Post "nos, Dñe," L "quesumus" addit.

Alia Oratio.] V. ad § 27.

sanctorum Confessorum] "sanctorum" om. L.

ét eorum — èt] Prius "et" om. A: utrumque habet L.

§ 74.) "*In festis ix lec.*" om. A.

Lectio j.] In L lectiones i, ii, iij nostræ in sex divisæ sunt: v. ad § 29.

qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet] In L: "qui ad "aspectum veri luminis claritatem meritis oculos" &c.; unde legendum videri potest: "qui ad aspectam veri luminis claritatem mentis oculos" &c.

Digitized by Google

exhibeat audiamus.] Sic bene L: in A, "exhibebit: audiamus."

Discumbere quippe nostrum, est in æterno regno quiescere.] In L, "D. q. "in regno quiescere est."

Sed certe Dñs nobis] Sic L: in A, "Vel certe nobis Dñs".

§ 75.) In *A.* 1, pro "justis" L "justo".

In *A.* 3, pro "ejus sunt" A "sunt ejus".

In ℟ 4, L "Lætamini in Dño, et exultate justi."

In Lec. 6.) custodiat vel secundam] secundam saltem custodiat.

§ 76.) In *A.* 3, pro "sequuntur" L "secuntur".

In Lec. 7.) aperta] Sic recte L: in A "aperte".

Quia viris l. in l. sit, f. in u.] In L, "Ubi" [Uti?] viris l. in l., sic f. in u."

"Quia viris luxuria in lumbis sit, feminis in umbilico, testatur Dñs; qui "de diabolo ad beatum Job loquitur, dicens: Virtus ejus in lumbis ejus, et "fortitudo ejus in umbilico ventris ejus." — Secundum mysticam hanc loci Jobiani(a) applicationem, in utroque sexu honestior quædam corporis pars pro *figurativa* luxuriæ sede capitur. Ideo autem in ipso diabolo eædem partes potestatis ejus sedes esse dicuntur, quòd per vitia quæ in ipso dominantur, et quæ per sedes tales designantur, nos sibi similes reddere conatur, et ni satis ei restistatur, reddit. Quantumvis tamen bene et fructuose in euangelico de lumbis(b) accingendis loco tacita ad id vitium, contra quod omnium maxime in lubrico plerumque stamus, allusio videri potest(c), nequaquam tamen obliviscendum est, sensum ejus *principalem* in *usitata* vestium cinctarum significatione, in ita ordinato nempe totius hominis statu, quærendum esse, ut quocunque temporis momento ad portam Domino aperiendam parati simus. Talis autem status, — etiamsi per luxuriæ vitium omnium plurimi gratiam divinam amittere videntur, — non tamen in hôc tantum, sed in *omni* vitio evitando, omnique insuper negligentiæ torporisve genere arcendo, constare manifestum est.

In ℟ 8, pro "in æternum", L "in generacione et generacionem": v. Fasc. I, p. xiii.

§ 77.) **JUSTORUM** autem animæ] "autem", hîc et ad Primam, non item ad Vesp's II, om. L.

---

a) Cap. XL, 11: in Vulg. "Fortitu- "do ejus —, et virtus illius — ejus." De usu autem *ejus* et *illius* v. ad § 54.

b) In utroque loco, tam Jobiano quam euangelico, *lumbi* Græce sunt ὀσφύς: nam quod Latine in plurali, Hebraice in duali (*mothnajim*), positum *duo* dorsi inferioris *latera* exprimit, in S. Lucæ Græco ideo tantum extra numerum singularem invenitur, quod non ad singulos, sed ad universos, discipulos suos Dominus loquatur.

c) Confer quæ de S. Thoma Aquinate, in ejusdem Officio, die Martii 7, lectione 4, Breviarium Romanum ad hanc rem pertinentia narrat.

Digitized by Google

§ 78.) SANCTI et justi, in Dño gaudete.] In Vulg., initio Cap. 3, "De "cetero, fratres mei, gaudete in Dño." — "De cetero" autem *Quod reliquum est* valet.

cogitatio eorum] Pro "eorum" Vulg. "illorum". (V. ad § 54.)

"*Hym.* Rex gloriose Martyrum." om. A: habet L.

9. In Commune Unius Virginis et Martyris.

§ 79.) Si quis roget, cur non de feminini quoque generis Sanctis eadem quæ in Officiis præcedentibus inter Tempus Paschale et Tempus Extrapaschale distinctio observetur, respondendum est, — in Calendario Sarisburiensi duas tantum inveniri Sanctarum celebrationes quæ intra Tempus Paschale cadere possint, nempe S. Potentianæ et S. Petronillæ; de quarum priore, cujus dies (Maji 19) in S. Dunstani festum incidit, præter Memoriam nihil unquam fiebat. De Sancta autem Petronilla fiebat quidem aliquando Officium, sed tum demum quum non solum extra Tempus Paschale, verum etiam post Octavas SS. Trinitatis et SS. Corporis Christi dies ejus caderet: alioqui hæc quoque Memoriam tantum habebat.

In festis autem solennioribus, Memoriæ, præter quasdam majores, non in Officio de Die, sed in Officio Parvo de B. M. V. (cf. ad § 1) locum habebant.

Capitulum ex versu 13, qui tamen in Vulgata est "Exaltasti — defluente "deprecatus sum.", præfixo "Dñe Deus meus" constat. Cf. ad Nonam (§ 84).

VIRGINIS proles.] Metri typus Sapphicus; in quo tamen multo minus quam in hymno *Iste Confessor* (v. ad § 57) classica syllabarum quantitas observatur; siquidem, — præterquam quod, ut ibi, in "secreta" syllaba *re* corripiatur, et quod in "Spiritus alme" *tus* producatur, — sexies, non minus, vocalis brevis ad vocis finem per arsis tantum, vel arsis cum cæsura, vim producta legitur. — Contra vero terminationum similitudo multo majorem quam in hymno prædicto locum habet.

Alia Oratio.] V. ad § 27. In hac autem Oratione posteriore, L, qui eam solam habet, post "ut" incaute omissum, mox "et Martyris" quoque omittit, et pro "festivitate" "commemoracione" habet.

§ 80.) In *A.* 1.) thorum] Sic cum Brev. Rom. (in quo "torum") L: in A "thronum".

"QUONIAM hodie" &c.) In L, hæc, usque ad "ibi incola est" (in lec. 3), mutatis quibusdam, *Unius Virginis Non Martyris* Nocturnorum 1 et 2 lectiones sunt.

Contra vero, in hôc *Unius Virginis et Martyris* Communi ejusdem codicis Nocturnorum 1 et 2 lectiones ex iis quæ in Ed. nostra ut *Unius Virginis Non Martyris* quattuor priores leguntur, — omissis clausulis quibusdam, mutatis aliis, et lectionibus quattuor in sex divisis, — factæ sunt.

Digitized by Google

In Breviario autem Romano, unum tantùm Virginum, sive Martyrum sive Non Martyrum, Commune invenitur; sed ex *Aliis* trium Nocturnorum *Lectionibus* ad Communis finem additis, quæ ad Noct. I pertinent in Martyris, sive Virginis sive Non Virginis, festo dicendæ sunt: de ceteris v. ad § 82. In eodem Brev. (in quo Nocturni primi lectiones e Scripturis Sacris de more sumptæ sunt) loci prioris lectio 4, — post titulum "Sermo "S. Ambrosii Episcopi. (*Lib.* 1. *de Virginibus, circa initium.*)", — est:

"Quoniam hodie natalis est virginis, invitat nunc integritatis amor, ut "aliquid de virginitate dicamus; ne veluti transitu quodam præstricta vi- "deatur quæ principalis est virtus. Non enim ideo laudabilis virginitas quia "in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres faciat. Quis autem humano "eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? "aut quis naturali voce complecti, quod supra usum naturæ sit? E cœlo "accersivit quod imitaretur in terris. Nec immerito vivendi sibi usum quæ- "sivit e cœlo, quæ Sponsum sibi invenit in cœlo."

Continuatio autem quæ in Brev. Rom. pro Lectionibus 5 et 6 legitur ("Hæc nubes, aëra, angelos, sideraque transgrediens, Verbum Dei in ipso "sinu Patris invênit, et toto hausit pectore." &c.) in Communibus nostris non invenitur.

Ante "mirentur" (pro quo A "mirantur") L "sanctitatem" inserit.

sed quia ipsa martyres facit] Pro "facit" L cum Brev. Rom. (ut supra) "faciat".

In *Lec.* 3) genitale domicilium] In L, "virginale domicilium".

§ 81.) ℟ 4.) oleum secum] Sic, cum Brev. Rom. et Euangelio (S. Matth. xxv. 3), MStum L: — in A, "secum oleum". In Brev. autem Rom. ℟ hoc, non 4tum, sed 7mum est, et Versum alium habet.

Lec. 5.) In locutione "sub utero", *uterus*, ut apud Virg. Æn. II. 20, pro *venter* in genere, *sub* autem ut in *sub terrâ*, intelligendum est.

℣. Veni electa mea] Sic cum Brev. Rom. L: in A, "℣. Veni sponsa mea". In Brev. autem Rom. ℟ integrum est primum, et similiter pro Martyre tantùm; ita tamen ut pro "præparavit; — introibis." legatur "præparavit in "æternum: — introisti."

Et ponam in te thronum meum] Pro "in te", quod cum Brev. Rom. L (in quo postea "tronum") habet, A "te in". Idem de ℟ 7 dicendum.

Lec. 6) "non corporis lacte, sed apostoli, cum" &c.) Eo quod apostolus dedit, cum &c.

℟ 6.) Et concupiscet.] In L repetitio, tam ante quam post *Gloria Patri*, a "Quoniam" demum initium habet.

§ 82.) In Brev. Rom., — in cujus Sanctarum Lectionibus Communibus Martyres a Non Martyribus, si Virgines sint, in primo (cf. ad § 80), si

Digitized by Google

Non Virgines, in primo et secundo tantum Nocturnis distinguuntur, — Euangelium "Simile — agro. Et reliqua." cum Expositione sua in *Non Virginum*, in *Virginum* autem Communi legitur aut Euang. "Simile — sponsæ." cum Exp. sua (v. § 89 cum annot.) aut aliud quod cum Exp. sua ibidem videri potest.

In hôc autem Brev. Euangelii "Simile — agro." Expositio talis est:

"Cœlorum regnum, — didicit, quasi confricatus — quod scit notum — "cœlorum regnum — agrum illum."

"*Lec. viij.* Qua in re — desiderat, — portat in via. — proximi opera nos- "tra bona — præbeamus exemplum — Deo soli — optemus secretum."

"*Lec. ix* [quæ extra Brev. nostrum est]. Thesaurus autem cœleste est "desiderium: ager vero in quo thesaurus absconditur, disciplina studii cœ- "lestis. Quem profecto agrum venditis omnibus comparat, qui voluptatibus "carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cœlestis "custodiam calcat: ut nihil jam quod caro blanditur, libeat; nihil quod "carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescat."

Homelia Beati Gregorii Papæ.] Sic recte, tam hîc quam § 89, L: in A utrobique additum est "de eadem Lectione", contra Rubricam quæ in Tertio S. Andreæ Nocturno, tam in A ipso quam in L, invenitur: "*Non dicitur* "de eadem Lectione: *quod per totum annum observetur secundum Usum Sa-* "*rum.*" Cf. ad § 99, de Homilia S. Augustini.

per hoc quod scit, notum diligere] Pro librorum scriptura "sit", ex Brev. Rom. (v. supra) reposui "scit", addita tamen virgula, ut "quod" non conjunctio (quam editiones quædam addito etiam accentu esse faciunt), sed relativum sit. Sin autem retentum esset "sit", "quod" per "quid" explicandum esset.

custodire non sufficit] custodiendi impar est operi.

pro omnibus nobis] L, "pro nobis omnibus".

"Deprædari" sensu passivo capiendum.

§ 83.) *vel* ℣s Adjuvabit] V. ad § 27.

quam vigilantem Dñs invenit] L, "quam D. v. i."

JESU corona virginum] Metri typus idem qui in §§ 2, 5, 21, 26, 37, 50, 62.

§ 84.) Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione: et exaudita est oratio mea.] Oravi, hoc pollicitus ("Laudabo" &c. "et exaudita est oratio mea.": cf. in Bibliis ipsis versum præcedentem (v. 14 Hoc autem qui dicit, voti se reum agnoscit.

Liberasti] In Vulg. "Et liberasti" sequitur immediate post Cap. Sextæ.

et laudem dicam nomini tuo, Dñe Deus meus.] In Vulg. "et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Dñi." Cf. ad Primas Vesperas (§ 79).

inventa una pretiosa margarita] Sic A cum Vulg.: in L, "inventa pre-

Digitized by Google

"tiosa"; in Brev. Rom. (in aña ad *Benedictus*) "inventa una pretiosa"; ambo sine "margarita".

§ 85.) Pro *supra scriptis* male L *subscriptis*, tam hîc quam in § 53.

"*nisi in festo* — Confitebor tibi." om. L, non dissidente ejusdem *Proprio de Sanctis*, nisi quod in festo S. Agathæ *a prima manu* scriptum erat, "*Cap.* Confitebor." quod deinde in "*Cap. Unius Virg. et Mart.*" a secunda mutatum est.

et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum] In "et" intelligi potest "et sane"; "in inferno" autem, per Hebraismum, pro "inferno" *in dativo* dictum est.

10. In Commune Unius Virginis Non Martyris.

§ 86.) Inter Communia *Unius Virginis Martyris* et *Unius Virginis Non Martyris* L inserit: "*Lecciones de quacunque Virgine.*" subjunctis statim quæ in Ed. nostra (infra § 92) *Plurimarum* (Plurium) *Virginum*, et tres tantum, lectiones sunt, in L autem, mutatis quibusdam, in sex divisæ leguntur; quarum tres priores in eodem postea libro (v. ad eandem §) *Plurium* etiam *Virginum* Officio assignantur.

QUI gloriatur] In Vulg. "Qui autem gloriatur".

Pro "*Vs.* Diffusa est — Magnificat." L "*Cetera — Martiris.*" (quod in Ed. nostra post Orationem legitur) habet: v. ad § 2 (ad finem).

"*Cetera omnia*" &c.) Hunc et sequentem paragraphum om. L: cf. notam præcedentem.

§ 87.) "Simile est regnum cœlorum" &c.) De cod. L v. supra, ad § 80.

Et tamen] In L (v. ad § 80), "et tamen".

Lec. 2.) Pro "quo sentimus" L "quod sentimus"; quod, si admittatur, "τὸ sentire nostrum" fortasse valere poterit.

Cum "aut videndo, — tangendo." subaudiri potest "qua hoc facimus"; ut totum "qua, aut videndo, — tangendo, hoc facimus." valeat.

Lec. 3.) Palam est quia virgines sunt, et lampades habent.] In L, "pia-"rum [lege "Palam", vel "Clarum] est quia virgines: tamen lampades ar-"dentes non habent." — In "quia" autem intelligendum est "quod".

§ 88.) Ad lectionis 4 finem, post "opera bona", "intelliguntur", quod in Ed. nostra subintelligendum est, in L legitur.

Lec. 5) In "et bona opera sunt", "bona" est prædicatum.

§ 89.) Simile est] In Brev. Rom. "Simile [in Vulg. "Tunc simile] erit". Homelia Beati Gregorii Papæ.] V. ad § 82.

"*Lectio vij.* Sæpe vos," &c.) In L lectiones 7 et 8 in tres divisæ sunt: in

Digitized by Google

Brev. Rom. lec. 8 est, "Sed prius quærendum — quæ colligantur."; lectio autem nona ("In quinque autem corporis sensibus unusquisque subsistit." &c.) in Communibus nostris non invenitur: cf. ad § 80.

Ex verborum autem ipsorum variationibus (v. ad § 29) notari possunt, "compellor dicere", "gratia humana", et "a mercede", quæ in Lec. 7 tam in Brev. Rom. quam in L inveniuntur.

MANDATUM solvit et docet," &c.) In verborum Dominicorum "et do-"cuerit sic homines" (S. Matth. V 19) interpretatione hac, "sic" non pro "idem facere" sed pro "ita faciens", accipitur.

§ 90.) In cod. L, præter Capitula Sextæ et Nonæ, hæc sectio omissa est: cf. ad § 86.

in Communi Unius Virginis Non Martyris] Errorem manifestum libri A, in quo pro "*Non*" scriptum erat "*et*", correxi.

SAPIENTIA vincit malitiam: attingit ergo — suaviter.] In Vulgata, Capitis VII finis est, "sapientiam non vincit malitia."; Capitis VIII versus primus, "Attingit ergo — suaviter."

De *Vesperis Secundis* vide initium et finem sectionis 86.

11. In Commune Plurium Virginum.

§ 91.) O QUAM pulchra] In L, "Ecce quam pulcra".

DEUS qui ut humanum genus ad] Sic L: in A, "Deus qui h. g. ut ad".

In Oratione autem posteriore idem MStum L "ydoneos", "adorandam", et "intercedere" habet.

§ 92.) AD MAT. *Inv.* — *Vs*, Adducentur (§ 83.)] In L, "*Ad Mat's Inv.* "Agnum Sponsum [§ 80]. *Ps.* Venite. *Aliud Inv.* Regem virginum. *Ps.* Venite. "*Hymnus.* Jesu corona virginum. *Super omnes psalmos ante lecciones dice-*"*tur hec sola aña:* O quam pulcra est casta generacio cum claritate. *Ps.* Dñe "Dñs noster. *Et ceteri psalmi de Communi Unius Virginis. Vs.* Adducentur."

Lectiones autem in quorundam tantum locorum clericorumve usum, vel in voluntarie recitantium gratiam, — fortasse etiam ut tempori futuro (si forte opus esset) provideretur, — insertæ esse videntur: saltem sanctarum Martyrum Perpetuæ et Felicitatis, die Martii 7, et Ursulæ sociarumque ejus, die Octobris 21, quæ sola Plurium Virginum festa in Calendario Sarisburiensi inveniuntur, lectiones (tres utrumque) proprias habent.

"*Lectio j.* INTERROGATUS" *&c.*) In L, pro tribus hujus Communis lectionibus, habemus tantum, "*Lec. prima.* Interrogatus Dñs a dis.": per quæ tamen intelligitur breviores tres lectiones de quibus ad § 86 sermo fuit in hôc etiam Officio esse legendas.

Integra vero Legenda, in sex (ut dictum est) lectiones divisa, sic, loco ibidem indicato, in eodem MSto legitur:

Digitized by Google

"*Lectio j.* Interrogatus — dixit decem — signantibus — excluduntur. "*Lec. ij.* Quinque itaque virgines michi videntur significare quinque perti- "cam [*i. e.* quinquepertitam] continentiam — aurium, a — *Lec. iij.* Sed "quia ista contingencia partim fit coram Deo et illi placeat interiori — "*Lec. iiij.* Quinque dicuntur — formite gaudeat. Lampades autem sunt que* "in manibus portantur, opera que s. i. c. fuerint. *Lec. v.* Dictum est enim, Sic "luceant — sponso. *Lec. vj.* Intelligendum — senseri — obviam venire. "Tu autem Dñe.†"

In ℟ 3, pro "calcavit" L "calcaverunt".

§ 93.) In Tertiæ ℟io, in L repetitur, non "Post eam." sed "Virgines "post eam." In ℣lo autem, pro "afferentur", idem MStum "offerentur" habet.

"*Oratio ut supra.*" ad Tertiam, ad Sextam, et ad Nonam, om. L.

Vesperæ Secundæ in festis iij lectionum sine regimine chori, — qualia sunt quæ in Calendario Sarisburiensi *Plurium Virginum* (cf. ad § 92) festa occurrunt, — non dicuntur. Secundum analogiam vero, in festo quod Vesp's II haberet, Psalmi Feriales cum Añia Laudum, Cap. idem quod in Vesperis Primis et Laudibus, Hymnus et ℣s ex Laudibus, Añia ad *Magnificat* eadem fortasse quæ in Communi Plurium Martyrum (unde etiam supradictus Hymnus et ℣s), dicenda essent.

Cum hoc autem *Plurium Virginum* Officio, terminantur libri L *Communia:* post quæ, Benedictiones ad Prandium et ad Cœnam MSti ipsius textum claudunt.

In hoc autem codice Calendarium, non quemadmodum in impressis plerisque, ad initium, ante *Proprium de Tempore*, sed post huic subjuncta, — nempe post Dedicationis Officium (cf. §§ 164 — 197) cum Benedictionibus ante Lectiones (cf. §§ 198 — 200) et Rubricis quibusdam, — immediate ante Psalterium invenitur: post Psalterium verò, quod ante Psalmi 102 finem mutilando terminatum est, primò *Proprium de Sanctis*, deinde vero eorundem *Communia*, et ad finem prædictæ Benedictiones ad Prandium et ad Cœnam sequuntur.(a)

Ceterum tam ante ipsius libri initium quam post ejusdem finem, etiam in Calendario, varia variis manibus (omnibus tamen satis antiquis) inserta leguntur.(b) Quorum quæ textum ipsum præcedunt, paginæ viginti sex,

---

* Hoc *quæ* aut cum "lampades" concordare aut neutrum esse potest.

† Vide ad § 28.

a) Plura de Officiorum in hoc libro distributione vide ad § 106.

b) Sic et ad eorum finem quæ *Proprio de Tempore* subjuncta sunt (vide paragraphum præcedentem) memoranda quædam a manu recentiore scripta inveniuntur.

Eorum vero quæ in inferioribus Calendarii marginibus leguntur, pars quædam Anglice scripta est.

Digitized by Google

quoties opus erit (cf. ad § 67, p. xx ad calcem), "Pr. L" (*Præfixa* L), quæ eundem sequuntur, "Subj. L" (*Subjuncta* L), in annotationibus sequentibus vocabuntur.

In his autem insertionibus, eædem fere abbreviationes, eadem plerumque orthographiæ principia, quæ in ipso L obvia sunt: inter ea vero quæ ab ejusdem consuetudine recedunt, apud duos saltem harum insertionum scriptores (neque apud reliquos contrarium notavi) *solennis* et derivativa ejus per *mpn* loco *nn* (v. p. xx ad calcem) scripta inveniuntur.[c])

12. In Commune Unius Matronae.

§ 92.) NON SECUNDUM SAR.] Quia, — etiamsi hoc et alia in quorundam Provinciæ Cantuariensis locorum usum destinata Officia in libris Sarisburiensibus inserta sunt (cf. ad § 92), — in genuinis tamen ipsius Ecclesiæ Sarisburiensis Officiis quicquid de Matronis dicendum erat, in *Proprio de Sanctis*, — aut plene, aut per locorum in Virginum *Communibus* indicationem, — exhibebantur.

Quemadmodum et quod in Calendario, penultimo Januarii die, invenitur, "Batildis Reginæ: Virginis Non Martyris." intelligendum: *Officia* scilicet (præter Orationem) ex Communi Unius Virginis Non Martyris sumendum esse.

§ 95.) *ut in festis earum*] In Proprio de Sanctis.

§ 96.) "*Vel aña*," &c.) V. ad § 27.

§ 97.) *Ꝑia et Versiculi*] Pro "*Versiculi*" A "*versus*": v. ad § 3, inter *Annotationes Longiores*.

Vel aña.] V. ad § 27.

---

c) In uno quidem loco, nempe in S. Thomæ Martyris Commemoratione, in lec. 1 (v. § 107), — cujus viri sanctissimi Officia, ut in tot aliis libris antiquis, ita et in MSto nostro impiâ tyranni rabie deturpata seu potius decorata sunt (v. Fasc. I, pp. lxix, lxx, ad calcem), — librarius (de quo v. ad eandem § 107), si non contra morem suum "solemnter", saltem cum *p* admodum brevi "solempter" scripsit. Quod posterius tamen eo probabilius videtur, quòd unum *i*, ob abbreviationem omitti parum operæ pretium erat; sin autem revera "solemnter" scriptum est, calami potius lapsui quam alii cuivis caussæ irregularis apud hos scriptores litterarum "*mn*" concursus proculdubio tribuendus est: cf. quæ de casu simili ad paginæ xix calcem dicta sunt.

Digitized by Google

II. IN OFFICIA VARIA.

1. In Officium Translationis Sancti Ceddæ.

Ad § 98.) Quæ de ipso Sancto nostro et de fratribus ejus, ex Brev. Sarisb. partem maximam extracta, in Fasciculo Primo (p. xlv, ad calcem) duodecim abhinc annis dixi, ea nunc Venerabilis Bedæ aliorumque auxilio aliquatenus hîc augere simul et corrigere libet. Sunt autem sequentia:

"S. Cedda, Episcopi Londinensis ejusdem nominis et duorum aliorum Sacerdotum præcla-"rorum Sinibil et Chelim frater, primò quidem Monasterii B. Mariæ Lestinguyi in Insula Lindis-"fernensi (Holy Island) Abbas fuit; deinde verò, in partibus peregrinis diutius demorante "Wilfrido, a Wyne Occidentalium Saxonum Episcopo Archiep. Ebor. consecrari coactus est. Re-"verso autem Wilfrido, S. Cedda Ecclesiæ Lichfeldensis Ep'us electus est. Mortuus verò A. D. "670, 6 Non. Martias, et in Eccl. B. Mariæ primò sepultus, post Ecclesiam verò S. Petri ibidem "constructam in eandem translatus, utrumque locum sanitatum miraculis celebrem reddidit. Postea "verò, sæviente sæculorum recentiorum furore et rapinâ, eximii hujus Sancti corpus a piis quibus-"dam feliciter celatum est; atque adeo hodie Ecclesiam Cathedralem eidem nuper Birminghami "dedicatam sanctitatis suæ odore illustrat."

Quibus nunc, antequam plura dicam, annotationes sequentes appendo:

ejusdem nominis] Sic Brev. Sarisb. in Sancti nostri Depositionis festo (v. infra, p. xxxiv): de veris autem tam utriusque pontificis quam ceterorum fratrum nominibus vide inter Annotationes Longiores; ubi etiam de ipso Londinensi Episcopo pauca quædam videri possunt.

in Insula Lindisfernensi] Sic Brev. Sarisb. in § 162, lec. 1: de hujus autem Monasterii situ vide ad eandem sectionem.

deinde vero, — consecrari coactus est] Hæc aliquanto pleniora in § 162, lectionibus 1 et 2, videri possunt.

A. D. 670] Sic Brev. Sarisb.: de vero autem obitûs ejus anno vide ad § 100.

"Reverso autem Wilfrido," &c.) Inter duorum Episcopatuum tempora, aliquantulum saltem, in Monasterio quod antea rexerat, S. Cedda "quietam vitam agebat" (v. S. Bedæ Hist. Eccl. Gentis Anglorum, lib. IV, cap. 2; unde, post "Reverso autem Wilfrido," melius legeretur, "S. "Cedda mox Ecclesiæ Lichfeldensis Episcopus factus est."

Sancti autem nostri, — ad quem solum, ut in *Annotationibus Longioribus* videbitur, nomen *Ceddæ* jure pertinet, — historia quidem integra, ut a Beato Beda memoriæ tradita est, aut in ibidem memorandis supra laudati Operis ejus locis, aut inter Sanctorum Vitas Surianas (a Surio Carthusiano aliisque scriptas), ut, gradatim auctæ, Coloniæ Agrippinæ annis 1617, 1618 prodierunt, aut denique in magnifico Bollandistarum opere (*Actis Sanctorum*), videri potest; (in quibus utrisque Fastis hodiernis quæ ab S. Beda in supra indicatis capitibus dispersa leguntur, in corpus unum, sub die Martii secundo, S. Ceddæ scilicet Depositionis festo, collecta sunt; in posteriore accedunt editorum doctissimorum "Commentarius Historicus", sive *prolegomena*, et annotationes:) — notabiliora vero quædam (præter ea quæ supra dicta sunt) in hoc etiam Fasciculo, scilicet in ejusdem Sancti nostri Translationis (de quo nunc agitur) et Commemorationis (§§ 160 — 164) Officiis, cum annotationibus ad singulas utriusque partes, invenientur.

Digitized by Google

Quicquid autem in his Officiis, vel horum alterutro, Sancto nostro proprium legitur, id omne ex supradicto Depositionis ejus Officio, utpote ex fonte pleniore haustum est.

Intelligendum est tamen hæc *propria* nequaquam *Sarisburiensia* esse, id est, nequaquam ad eos omnes pertinere qui *Usum Sarisburiensem* servabant (vide Fasc. Primi paginam v, ut in ejusdem Fasciculi p. lxiii emendata est).

Nam primo, de quibusdam festis, et inter hæc de toto S. Ceddæ *Translationis* Officio, in Calendario nostro diserte dicitur, *non Sar.* sed *Synodalia* tantum esse, i. e. in iis tantum Diœcesibus observanda, quarum Episcopi in Synodis suis eadem acceperant.

De *Commemoratione* vero, sive Officio Hebdomadali integro(a), quum nullo speciali modo Sanctus noster cum Ecclesia vel Diœcesi Sarisburiensi conjunctus sit, res est nimis clara quam de qua quidquam dici opus sit.

Denique, de *Depositionis* Officio, — unde, ut dixi, quæcunque in Translationis et Commemorationis Officiis propria leguntur hausta sunt, — Rubrica sequens — ex libro A, i. e. ex Brev. Sarisb. Communi, extracta, — in qua et Officii ipsius titulus continetur, satis diserte loquitur:

"*In festo S. Ceddæ Episcopi et Confessoris, ix lectiones fiant: omnia de "Communi, secundum Picam Sar.: tamen secundum Usum Lichfeld, Ad Vesp. "Ant.*" Sequitur statim Officium ipsum; quod in Pr. L quoque (v. ad § 93), in ejusdem collectionis paginis 23—25, invenitur, et ibi quidem, præterquam quod Lectiones (ideo fortasse quod in ipso L inveniantur) omissæ sunt, parum ab libri A Officio diversum; quum contra in L ipso, — præter Nocturnorum 1 et 2 Lectiones (quæ tamen non eædem sunt quæ in A leguntur), — Orationem (quæ, ut in Pr. L, cum *Commemorationis* nostræ Oratione eadem fere est: v. ad § 160), — et Añas ad *Magnificat* in I Vesperis et ad *Benedictus* (de quibus infra), — omnia ex Communi sumuntur.

Usus autem *Lichfeldensis* haud aliter, vel vix aliter, ab *Usu Sarisburiensi* quam quod in Sanctorum Officiis, prout loci ratio postulabat, pauca quædam mutata erant, diversus fuisse videtur.

Porro notandum est *propria* eadem, exceptis tantum Lectionibus et Oratione, eatenus omnia *metrice* conscripta esse, quod membra, si non æqualis, similis saltem sunt longitudinis, et per terminationum etiam similitudinem sibi invicem respondent.

Hujusmodi vero membra, ubicunque inventa, in lectoris commodum, more hodierno divisi: v. ad § 2.

---

a) De Commemorationibus in genere vide Fasc. I, pp. xlii — xlvi, cum *Anni* 1855 *Addendis et Corrigendis.*

Digitized by Google

Cujus etiam utilitati consulens, hîc ut alibi, tam alia quædam, quam quæcunque frustra aliàs in hoc et præcedente Fasciculo quærerentur, quoties eadem per prima tantum verba in Breviario indicata inveneram, — partim ex supradicto Depositionis Officio, partim aliunde, — inter uncinos complevi: cf. quæ in Fasciculi prioris Monito Generali (pp. ii, iii) de hac re dicta sunt.

In hoc autem Translationis Officio ita complendo, "alleluja" ubicunque hoc Temporis Paschalis ratio, secundum duas Rubricas sequentes, ambas ex ipsius diei Paschæ Officio extractas, postulabat, addidi:

1. "*Ab hac die usque ad Festum Sanctæ Trinitatis* [*exclusive*] *omnes* "*Responsiones Versiculorum cum* alleluja *dicuntur de Servitio Diei*[b]; *nisi* "*ad Primam cum dicitur* ℣*s* Exurge Dñe. *post* Jesu Christe. *et in Capitulo* "[i. e. *in Officio Capitulari*: v. Fasc. I, p. xix] *cum dicitur* ℣*s* Preciosa. *et ad* "*Completorium cum dicitur* ℣*s* Custodi nos. *et post Aspersionem Aquæ in* "*Dominica cum dicitur* ℣*s* Ostende nobis."

2. "*Et sciendum est quod omnia invitatoria, omnes antiphonæ, omnia* "*responsoria, et introitus, et offertorium, et communio*[c], *ab hac die usque ad* "*festum Sanctæ Trinitatis* [*exclusive*] *debent terminari cum* alleluja *in Ser-* "*vitio de Die.*"

Quod autem ad S. Ceddæ festorum magnitudinem attinet, secundùm Usum Sarisburiensem Communem, — in quo, præter quattuor Ecclesiæ Occidentalis Doctores et S. Edwardum Regem, nullus Confessor festum duplex habet, — Sancti nostri Depositio novem, Translatio autem, utpote intra Tempus Paschale cadens, trium tantum lectionum festum, sed *cum regimine chori* (v. ad § 8), ut in Calendario diserte docemur, erat. In L autem, cum Confessorum prædictorum, S. Ceddæ solius festum inter *duplicia*, (scilicet inter *inferiora*, i. e. in quarta eâdemque ultima duplicium classe,) invenitur.[b]

Sed ad singula jam descendamus.

---

[b]) *Servitium Diei*, vel *de Die*, est Officiorum Ordo qui diei cuivis ut ad eundem jure principali pertinens assignatur: cui præcipue opponuntur; ex Breviario quidem ea Defunctorum et Dñæ Nostræ Officia quæ Ordini huic superadduntur (v. ad § 115); Missæ vero, quæcunque, sive superadditæ sive substitutæ, cum eodem Ordine non concordant. Ita tamen ut hîc saltem (in his duabus rubricis) *Missæ* qualescunque, præterquam de Defunctis, non excludantur.

Ceterum in L, "*in servicio diei*" habemus: in quo deinde "℣*s*" ubique, et "*in Dominica*", omissa sunt.

[c]) In L: "*et omnes antiphone, et* "*omnia responsoria, officia, et offe-* "*rende, et communiones.*" In libris scilicet Sarisburiensibus *introitus* plerumque *officium* vocatur; de *offerenda* vero pro *offertorio* occurrente v. Du Cange s. v.

[b]) In eodem MSto, ex omnibus cujuscunque generis festis Non Duplicibus sola S. Nicholai Depositio colore cœruleo in Calendario scripta est.

Digitized by Google

In añia "Germanorum" *Comm.* (i. e. supradictum Commemorationis Officium) omittit "est"; quod *Dep. Prop.* (i. e. *Proprium* Depositionis Officium quod in A et Pr. L, ut supra p. xxxiv dictum est, invenitur) habet.

In hoc autem *Proprio* Depositionis Officio — cum quinque psalmis, nempe cum *Laudate pueri* (p. 87), *Laudate Dñm omnes gentes* (p. 89), *Lauda anima mea Dñm* (p. 98), *Laudate Dñm, quoniam* (ibid.) et *Lauda Hjerusalem* (ib.), totidem dicuntur antiphonæ; ceteræ quidem unâ, ultima vero duabus terminationum similitudinibus gaudentes.

In ipso autem Breviario L, neque hoc Translationis Officium, neque *Commemorationes* quævis inveniuntur; et, ut supra (p. xxxiv) dictum est, in Sancti nostri Depositionis honorem, præter Orationem, de qua, et Nocturnorum I et II Lectiones, de quibus, v. ibid., — et præter Añas ad *Magn.* in Vesp. I et ad *Benedictus*, de quibus v. infra, — nihil *proprium* invenitur.

℟. O pastor. *absque Prosa.*] Vide *Annotationes Longiores.*

In añia ad *Magnificat*, pro "patronus", quod A tam in *Comm.* quam in *Dep.* habet, L et Pr. L (in *Dep.*: v. supra) "rogamus"; pro "in perpetuum", quod *Comm.* habet, *Dep.*, tam in A quam in L et Pr. L, "imperpetuum".

Hujus vero añiæ ("Sis pro nobis") loco, alia, verbis *Pastor vigil* (ut sequitur) incipiens, et sex terminatione simili gaudentes versus continens, in Depositionis Officio, ut in A hoc Officium legitur (nam in Pr. L una tantum invenitur añia), dici potest. (Cf. ad § 101.) "*Vel Ant.*

"Pastor vigil, gregis in medio, "Quo præsente, grex est in gaudio;
"Sacri verbi munitur gladio; "Sed absente, caret solatio:
"Plantans mores, expulso vitio: "Cui favet ut pater filio."

Quod autem in ultima tam Vesperarum quam Laudum rubrica invenitur, "*sub silentio*", "per "*submissa voce*" explicandum.

§ 99.) In Proprio Depositionis Officio, pro Invitatorio, in A quidem habemus:

"In qua vigent jugiter solennia: "Virgo Mater jubilet Ecclesia.";

in Pr. L autem, ut in ipsius A Commemorationis Officio:

"In qua viget jugiter memoria "Sancti Ceddæ: Jubilet Ecclesia."

Quoniam igitur Inv. nostrum non per "In qua vigent", sed per "In qua "viget" expressum erat, non ex priore, sed ex posteriore, (addito ut supra "alleluja",) quæ brevitatis ergo omissa erant supplevi.

In *A.* 2, pro "quam dilexit" scribe "quam direxit".

In *A.* 3) archipræsulavit] Archiepiscopum fecit.

Pro "Homelia" A, contra morem suum, "Omelia": cf. ad § 32.

Homelia S. Augustini Episcopi.] Non ex Sermonibus in ipsum S. Johannis Euangelium, sed ex Sermone in parabolam (apud S. Matthæum, XX. 1) de operariis in vineam missis, hæc lectio sumpta est. Ex quo (Serm. LXXXVII

Digitized by Google

de Scripturis, cujus eadem lectio est Cap. I, 1), ut in Ed. Bened. (Antwerpiæ, 1700), col. 322 F et 323 A, invenitur, — primùm verba quædam quæ in Breviario omissa erant, inter uncinos inserui; deinde pro "tempore" "tempori", et pro "nos arando" (quanquam "nos" utcunque per "nosmetipsos" explicari potest) lectionem meliorem "non arando" reposui.

Ibidem vero, pro nostris "temporalis. — spiritualis — ille nos — melio-"rem. — extirpare mala semina — [istam] culturam acceperimus in cor "nostrum, — existimus", invenimus: "corporalis. — spiritalis — nos ille " — meliorem: — exstirpare semina mala — istam culturam in cor nostrum sic acceperimus, — exsistimus". In A autem post "temporalis" pro simplici duplex invenitur punctum.

Et ipsum fructum] Et ipsum hunc fructum.

acceperimus] I. e. admiserimus.

§ 100.) In Lec. 2, — quæ, præter anni indicationem, ex Ven. Bedæ Historia, lib. IV, cap. 3*, fere ad verbum (v. infra) transscripta est, — post "sexcentesimo septuagesimo", inter uncinos addendum "secundo": huic enim anno tam hodiernæ in S. Ceddæ Depositionis festo Nocturni II lectiones(ᵉ), quàm Alfordi Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ Annales † (sub eodem anno, Cap. 1), obitum ejus assignant.

In ipso autem S. Bedæ opere, sec. Ed. novam Parisiensem (de qua v. ad § 98, inter *Annotationes Longiores*), habemus: "Obiit autem Ceadda sexto "die — crebra sanitatum miracula operari. — phreneticus —, et ibi — ostendit." ††

Ceterum sub ejusdem lectionis finem, "consequeretur", de sanitate recens recepta, pro *consecutus esset* scriptum est.

In Ῥio 2, pro "paruerat, Cedens", *Comm.* (v. supra) "pervenerat sedem" habet. Verba autem "paruerat" et "dixerat", quæ pro "paruit" et "dixit" ob terminationis similitudinem dicta sunt, in *Comm.* et *Dep.* bene cum Ῥio tertio (quod in § 162 vide) conjunguntur: "fore" vero in tempore præsente, et "prætenuerat" ut *antea tenuerat* intelligenda. — Pro "sedi" autem (quod in Pr. L non post sed ante "Cedens" locum habet), "sede", quod sensus postulat, scripsi.

ᵉ) Ex eadem Historia, ex libri III capp. 23 et 28, et libri IV capp. 2 et 3, — additâ similiter anni indicatione, — contrahendo confectæ.

* Ubi post "possit incertum." (v. in notula f, p. xxxix) immediate sequitur.

† Totius operis titulus est, "Annales Ecclesiastici et Civiles Britannorum, Saxonum, Anglo-"rum." Quorum auctor eruditissimus, Societatis Jesu theologus Anglus, et per 33 annos in Anglia Missionarius, quominus eosdem ad finem perduceret, morte, quæ Audomari A. D. 1653 accidit, impeditus est. Quæ parata reliquit, in quattuor tomos (in folio) divisa, Leodii A. D. 1663 prodierunt. Quorum primus Ecclesiæ Britannicæ ab initio ad annum 500, secundus Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ Annales ab anno 500 ad annum 800 continet: ceteros non vidi.

†† In vetere MSto Trevirensi (v. ad § 98, inter Annotationes Longiores), "freneticus". In eadem vero lectione scribendum: "construcia — Principis —; et ibi".

Digitized by Google

Lec. 2.) In ipso Ven. Bedæ opere, sec. eandem Editionem, statim post "operari." (v. supra), legitur: "Est autem locus idem sepulcri — do- "munculi — habente — illo adveniunt — adsumere — in aquas — redibunt." Inter lectiones autem varias inveniuntur, "sepulchri", "domunculæ" (sic vetus MS Trevirense: v. ad § 98, inter *Annotationes Longiores*), et "assu- "mere"; quas Brev. nostrum habet.

De miraculis autem ipsis, ad S. Ceddæ sepulchrum factis, non Catholici tantum, sed et Protestantes honeste veritatem dixerunt. Sic enim de eo, — ut in supra (p. xxxvij) memoratis Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ Annalibus, sub eodem anno 672, Cap. 5, monemur, — Centuriatores Magdeburgenses ("Cent. 7, f. 534") scripserunt:

"Mortuus claruit miraculis, adeo ut freneticus, tantum dormiens ad ejus "tumbam, sanitati sit restitutus; et quovis morbo conflictati, gustato pulvere "ejus monumenti, curati."

De tempore autem posteriore in iisdem Annalibus, ibid. Cap. 6, legimus:

"Corpus S. Ceaddæ, posteriùs, majori cum honore conditum; cum Lich- "feldensis Ecclesia illustriùs cœpit ædificari, et a S. Ceadda nomen apella- "tionemque accipere; præsertim Waltero Langtono Episcopum ibi agente; "de quo ita scribit Godwinus*: *Ecclesiæ suæ Lichfeldensis benefactor extitit "munificentissimus. Capellæ B. Mariæ ibidem fundamenta jecit, ac moriens "priusquam extrueretur, pecuniam reliquit unde id fieret. Claustrum ejusdem "muro cinxit, et duo millia librarum impendit in Thecâ qua corpus S. Ceddæ "antecessoris sui conderetur. Clausum sive præcinctum Ecclesiæ, ét muro èt "fossa circumdedit, additis portis duabus, magna una, vel potius magnifica, "ad Occidentem, et alia, sed minore, ad Austrum.* Ita factum circa exuvias "corporis ejus, Edwardo Secundo regnante. Ceterum ejus animam, ab "agmine angelorum in cœlum assumptam, vidit Egbertus, [vel quidam huic "Sancto notus,] et refert Beda l. 4, c. 3."(f)

* "Godwin. in Catal. [Godwinus de Præsulibus Angliæ,] in Waltero Langtono."

f) Verba quæ, vel quibus similia, ideo fortasse ab auctore, quòd ipsam Ven. Bedæ Historiam ob oculos dum scriberet non habebat, sed memoriæ vel commentariolo nimis jejuno fidebat, omissa sunt, inter uncinos supplevi.

Ita enim apud Bedam ipsum res narratur:

Inter Abbates (i. e. Monachos) Anglos, S. Egbertum, — qui in Hibernia religionis caussâ degens, voto seipsum (inter alia) ne unquam in patriam terrestrem rediret obstrinxerat, — et S. Higbaldum†, ex Provincia Lindissi (i. e. Lindisfarorum: v. p. xl) 'virum sanctissimum 'et continentissimum', qui "gratia "visitationis" ex Britannia ad eum venerat, — "intervenit mentio reve- "rentissimi antistitis Ceadda, dixit- "que Ecgbert:

† In Ed. nova Parisiensi, ex qua (v. supra, p. xxxvij) sequentia transscripta sunt, "Hyg- "bald". Colitur autem die Sep. 22.

Digitized by Google

Anni autem 1643 initio, ut idem Annalium scriptor doctissimus (v. ad calcem p. xxxvij) capite 7 narrare pergit, Baro illustrissimus, qui sub finem anni superioris, procerum animos ad bellum contra Episcopatûs defensores quoscunque, imprimis vero *Papistas*, accendens, ita peroraverat, "Procedamus alacriter ad fundendum sanguinem impiorum", irarum plenus, et Sanctorum quoque, eorumque monumentorum hostis, ad Lichfeldensem urbem venit, ibique castra metatus, nullâ aut loci aut diei reverentiâ habita, ipso Martii die secundo, S. Ceddæ scilicet Depositionis festo, in supradictum ejusdem Sancti claustrum cataphractus irrumpere parat; sed, quum, elatâ paullulum casside, ænei tormenti, in ipsam S. Ceddæ Ecclesiam explodendi, situm visurus esset, "in oculo, qui solus vulneri patebat, sclopeti "ictu percussus, — confestim animam emisit; atque ita *vir sanguinum non "dimidiavit dies suos*" (Ps. 54, 24).

Hujus autem infelicis nomen, satis (ut credi potest) temporibus istis notum, eodem anno scribens non profert auctor; de furibundo autem

---

"Scio hominem in hac insula ad- "huc in carne manentem, qui cum "vir ille de mundo transiret, vidit "animam Ceddi fratris ipsius cum "agmine angelorum descendere de "cœlo, et adsumptâ secum animâ "ejus ad cœlestia regna redire.

"Quod utrum de se an de alio ali- "quo diceret, nobis manet incertum; "dum tamen hoc quod tantus vir "dixit, quia [*i. e.* quod] verum sit, "esse non possit incertum."

Quod etiamsi, collatis quæ S. Paulus in Ep. II ad Cor., cap. XII, versibus 1 — 7, jam ante dixerat, de seipso virum sanctissimum dixisse, non paucis satis certum videri potest, tamen, quum ipsius Bedæ auctoritatem Annalium nostrorum auctor proferat, si ob oculos Bedæ verba habuisset, — nisi per calami lapsum, seu potius mentis nutationem, — aliter quam cum tali quadam insertione qualem inter uncinos feci, quod scripsit scribere non potuisset.

Unde etiam Bollandistæ, visionem integram die Martii 2 ipsis Ven. Bedæ verbis narraturi, eandem interim, in S. Ceddi Vita, die Jan. 7, non 'ab S. Egberto', sed "a quodam "viro sancto", visam esse dicunt.

Ipse verò Egbertus anno demum 729, ætatis suæ 90, post S. Willibrordum (rectius Wilbrordum*) et cum eo undecim alios Missionarios in Fresiam missos, et post monachos Hienses ad Romanum Pascha celebrandum feliciter persuasos, apud hos, ipso (et hôc Romano) Paschæ die†, quum prius Dominicæ Resurrectionis Sacrificium Matutinum celebrasset "meritorum cumulo plenus"††, ab exilio diuturno ad regna cœlestia migravit. — De quo in eadem Bedæ Historia (lib. III, cap. 27; lib. IV, capp. 3 et 26; et lib. V, capp. 10, 11, et 23) plura videri possunt.

* Colitur die Nov. 7: cf. Missalis Romani Supplementum Hollandicum.

† Aprilis 24, quo die colitur: cf. Missalis Romani Supplementum Hollandicum. Vetus autem Pascha Britannicum nunquam post diem Aprilis 21 celebratum erat: v. Ideleri Handbuch der Chronologie (Berolini, 1825, 1826); vol. II, p. 295.

†† Sic, sub anno 729, Cap. 3, supradictorum Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ Annalium auctor. Idem vero Sanctus ab ipso jam Beda (V. 10) "venerabilis, et cum omni honorificentia no- "minandus, famulus Christi et Sacerdos" vocatus erat.

Digitized by Google

Domino *Brooke* agi, etiamsi non mox, prophetæ ("Nahum 3. 16") verba applicans, "Sic *Bruchus expansus est et avolavit.*" addidisset, res ipsa satis indicaret.

De integra vero Ecclesiæ et Diœceseos hujus historia sequentem, quæ in Ven. Bedæ Operum Ed. nova Parisiensi*, ad Hist. Eccl. lib. IV, cap. 3, invenitur (cujus sit, non dicitur), annotationem addam:

"Ante Ceaddam habuit Lyccidfelth Episcopos, Diumam an. 656, Ceol-"lach an. 658, Trumhere an. 659, Jarumannum an. 662. Vide lib. III. 21. [23. "et 30.] Jarumanno successit hic Ceadda an. 669. [V. ibid. IV. 3.] Cum in "Synodo 1075, episcopatus in celebriora loca transferrentur, Petrus Epis-"copus [Lichfeldensis] sedem suam ad Cestriam movit, Robertus [de Lim-"sejo], ejus successor, Coventriam. Paulo post Rogerus [Clinton] Lichfel-"diam retulit, conditâ ibidem an. 1148 magnificâ ecclesiâ in honore B. "Mariæ Virginis et S. Ceaddæ. Dirutam bellis civilibus nitori plusquam "pristino restituit Episcopus [Protestans] Hacketus. Fuit hæc sedes in Ar-"chiepiscopatum evecta sub Offa Merciorum rege, Merciis et Orientalibus "Anglis in provinciam datis a Papa Hadriano [I], sed statim sub Leone [III] "successore pristina auctoritas ad Cantuariam rediit."

Post S. Ceddam vero (A. D. 672) Wynfridus, post Wynfridum (A. D. 675) Sexwulfus provinciis "Merciorum et Mediterraneorum Anglorum [*sive* Mid-"delanglorum] et Lindisfarorum" (bene ab *Lindisfarnensibus*, v. p. xxxiij, distinguendorum) Episcopus factus est: v. eandem Hist. Eccl., lib. IV, capp. 3 et 6.

De Sancti autem nostri reliquiis a sæculi decimi sexti furore et rapina feliciter servatis, et Ecclesiam Cathedralem ipsi in Birminghamo temporibus nostris dedicatam sanctitatis suæ odore illustrantibus, in Fasciculo priore (v. hujus Fasc. p. xxxiij) monui.

Quibus nunc (Dom 3. post Pascha, A. D. 1855) libenter quod in Sabbati penultimi (XI Cal. Majas) *Vexillo Catholico* ("The Catholic Standard") legitur addo; a duobus nempe piis, ad novæ in ejusdem Sancti honorem in Mancunio dedicatæ Ecclesiæ chorum adornandum, sex millia non minus librarum sterlingarum in Reverendissimi Salfordensis Episcopi potestate collocata esse; atque ita in eodem opere progressus celeres fieri, ut omnium in Anglia idem pulcherrimum fore, non sine caussa sperare liceat.

De ejusdem vero Sancti nostri vitâ, plura, ut dixi, in Commemorationis ejus Officio (§§ 160 — 163), et in annotationibus ad idem invenientur.

℟ (3). Pie pastor. *absque Prosa.*] Vide ad § 98, inter *Annotationes Longiores.*

---

* De quâ vide ad § 98, inter Annotationes Longiores.

Digitized by Google

§ 101.) monachatur] fit monachus, *vel* monachi vitam degit.
Ut divinis libere vacans] Pro "libere" *Dep. in Pr. L* "litteris".
claruit quod pontificatur] tantum claruit ut pontifex factus sit.
receptaculum regulæ divinæ] verbum Dei.
actibus sacris excitavit] excommunicavit.

In añа ad *Benedictus*, pro "cœlo", *Comm.*, etiam *Dep. in L* et *in Pr. L* (non item in A), "celis"; pro "perennibus", *Dep. in Pr. L* "perhennibus", *in L* "celestibus".

Ut autem ad *Magnificat* in Vesp. I, ita et ad *Benedictus*, *Dep. in A* (non item *in L* vel *in Pr. L*) alteram, sequentem scilicet, antiphonam, ante cujus titulum subaudiendum est "*Vel*" (cf. ad § 98, p. xxxvj), addit: "*Ant.*

"Pastor pie, pro tuis ovibus "Ut solvantur a lupi morsibus,
"Ora Christum devotis precibus; "Et sint tecum in suis edibus."

ubi "suis" more mediævo pro "Ejus" dictum est.

§ 102.) "*Ad Primam et ad alias Horas* [*Breves*], *añæ et Capitula si-*"*cut in alio festo,*") Dele "[*Breves*]", et v. ad § 10.

De Prima autem et *Horis Brevibus* (Tertia, Sexta, et Nona) in Officio Depositionis nihil omnino dictum est: earundem vero Officia ex eis quæ hîc dicta sunt, collatis præsertim quæ in ejusdem Sancti Commemoratione, post Servitium B. M. V., (§§ 160 — 163) inveniuntur, plenius indicare haudquaquam difficile fuit.

Notandum est autem, quando ad Laudes añæ psalmorum propriæ habeantur, earundem de more, quod hîc videtur, primam ad Horam Primam, et, quartâ prætermissâ, secundam, tertiam, et quintam ad Horas Tertiam, Sextam, et Nonam respective repeti.(g)

In *Vesp. II.*) *Ant.* Sis pro nobis (§ 98).] Hujus añæ loco, in Depositionis festo sequentem habemus: "*Ant.*

"Qui mores docuit, purgando vitia, "De manu Dñi, regnans in gloria;
"Talenta duplicans, cepit duplicia "Quo nos ascendere det Christi gratia.":

ubi Pr. L, terminationum similitudinem turbans, "det gratia Christi".

2. In Commemorationem (sive Officium Hebdomadale*) Sanctæ Etheldredæ.

§ 103.) De ipsa S. Etheldreda v. infra, inter *Annotationes Longiores. Cetera, Unius Virginis Non Martyris.*] In "*Unius Virginis Non Mar-*"*tyris*" intelligendum est *quæ Unius Virginis Non Martyris sunt*, sive *quæ in Unius Virginis Non Martyris Communi inveniuntur:* cf. § 104.

---

g) In Circumcisionis Officio añа quæ non repetitur, non quarta, sed ultima est.

* De Commemorationibus in genere v. Fasc. I, p. xlii — xlvi, cum *Anni* 1855 *Add. et Corr.*

Digitized by Google

3. In Commemorationem (sive Officium Hebdomadale*) Sancti Thomæ Martyris.

§ 105.) Commemorationem hanc, ubi opus erat (v. ad § 98, p. xxxv), aliunde, — scilicet ex ipsius S. Thomæ Depositionis (die Decembris 29) et Translationis (die Julii 7) Officiis, partim etiam ex Communi, — in lectoris commodum inter uncinos complevi.

Depositionis autem Festum, ut hodieque, Octavas habebat; quæ tamen, quoad Officia, cum diei Octavæ Laudibus, quoad rem ipsam, cum ejusdem Nonis (ut videtur), in Vigilia Epiphaniæ terminabantur.

§ 106.) In *A.* 1, pro "Est" male B, in *Translationis* festo, "et".

Hujus autem libri (erratorum satis superque pleni) neque *Propria Hyemalia* neque *Officia Varia* nunc ad manum habeo.

In *A.* 3, "Domini" male om. B.

In *A.* 4, pro "tineam" non B solum (v. ad *A.* 1), sed et L, in *Depositionis* festo, male "vineam".

In hoc autem MSto neque Commemorationes quævis inveniuntur†, et in Sancti nostri *Translationis* Officio, præter Nocturnorum 1 et 2 Lectiones et Orationem, ad propria reliqua invenienda lector ad *Depositionis* festum remittitur.

Pro "hortum" iidem libri, de more, "ortum".

In *A.* 5, pro "Exulat" non B solum (v. ad *A.* 1), sed et A, male "Exultat": cf. ad *A.* 6.

In *A.* 6, pro "Exulantis prædia præda" B "Exultantis pledia", omisso "præda": cf. ad *A.* 5.

§ 107.) Commemorationes, ut supra (ad § 105) dictum est, in L non inveniuntur; in Pr. L autem (v. ad § 93), — *post sex* Legendas (sive lectionum triades) de Dña Nostra (v. ad § 148), et post Lectiones in Ecclesiæ Dedicationis festivitate de quibus ad §§ 186, 192, et 194 dicendum erit, — paginis 9 et 10, Lectiones in hac Commemoratione legendæ primum scripturæ genus claudunt.

Quarum prima quidem et secunda, etiam tertiæ pars major, — transcribentium varietatibus (v. ad § 29 et ad hanc infra) exceptis, — cum nos-

---

* De Commemorationibus in genere v. Fasc. I, p. xlii — xlvi, cum *Anni* 1855 *Add. et Corr.*

† Cum Commemorationibus, ut supra (p. xxxvj) dictum est, deest etiam S. Ceddæ Translationis Officium: Dñæ vero Nostræ in eodem codice Servitium, secundum anni dicique varietatem, in variis Proprii de Tempore locis invenitur.

De Ecclesiæ autem Dedicationis Officio, — quod, præter Servitium illud, solum ex iis quæ nobis *Officia* sunt *Varia*, in hoc libro legitur, — ut et de Benedictionibus ante Lectiones, v. ad § 93.

Digitized by Google

tris eædem sunt; de reliquâ vero Lectionis tertiæ parte loco suo (ad § 109) dicendum erit.

De furoris autem Henriciani vestigiis, quibus tam hæ Lectiones quam pleraque omnia S. Thomæ Martyris Officia ornata sunt, vide ad § 93 (in notula c), et in Fasciculi I loco ibidem indicato.

In Lec. 1, "præsideret" pro "præsessurus esset" dictum est. Ambabus autem locutionibus respondet una eademque locutio Anglica *would preside*.

Probatissimum — impletum est.] In Pr. L: "Probatissimum siquidem "tenebat sedem illam,† id est, sedem Sanctorum esse; Sanctum recipere "aut facere, vel cicius et facile indignum abicere; et sic totum quod perfec- "tum est [*sic saltem scriptum esse videtur*], in Beato Thoma Martyre imple- "tum est."

In ℟ 1, pro "Studens" B "Stridens". — In ejusdem ℟ii Versu, pro "hic" male A (in hôc, non autem in Depositionis Officio), "et hic".

§ 108.) In Lec. 2 pro "e vestigio" scribendum "evestigio".

novus homo] ut novus homo.

§ 109.) In Lec. 3, pro ultima periodo, "Hæc autem, — quærebat.", in Pr. L (v. ad § 107) sequentia, quæ, tam in L quam in A, in Sancti nostri Depositionis festo Lectionum pars sunt, habemus: "Aspectus igitur [*ex* A "*et* L (*ubi supra*) *legendum*, "Affectus est igitur] contumeliis immensis, "dampnis grauioribus attritus, et innumeris lacessitus(a) iniuriis. Tandem "sibi morte(b) intentata, quia causa Ecclesie non dum(c) plene innotuerat, "et personalis videbatur persecucio, cedendum esse censuit(b) malicie. "Actus ergo(c) in exilium, a Dño Papa Alexandro Senonis(f) honorifice sus- "ceptus est, et in Monasterio Pontiniacensi(g) studiose commendatus(b). "Tu autem, Dñe, [miserere nostri.]"

In ℟ 3, pro "area" male L "aera".

In Depositionis autem Officio hoc ℟ium ad Processionem quæ post Sanctorum Innocentium Vesperas, ubicunque Sancti nostri altare inveniebatur, Primarum ejusdem Vesperarum loco, sive pro Memoriâ sollemniori, ad idem altare fiebat, cantandum erat. Cf. ad § 111.

---

† Virgulas, tam solas quam cum superpositis punctis, ipse, ut in ipsis MSti verbis quicunque posset sensus appareret, de more addidi: nam interpunctio antiqua, satis in impressis parca, in MSto nostro vel parcior est.

a) Sic A: in ipsis Pr. (Præfixis) L, ut in ejusdem codicis textu, "la- "cescitus".

b) In A et L, "morte sibi".

c) Sic et L.

b) In A et L, "censuit esse."

c) Sic et L: in A, "igitur".

f) In ipsis Pr. L, "Scenonis": in A et L recte.

g) Sic A et L: in ipsis Pr. L, "Pon- "tinnacensi."

b) Sic A et L: in ipsis Pr. L, "com- "mendatus est".

Digitized by Google

§ 110.) Pro "*ad Horas Breves*" scribendum "*ad Primam et ad Horas* "*Breves.*"

in festo ejusdem Natalis Dñi et Translationis ejusdem] in festo ejusdem in hebdomada Natalis Dñi (die Dec. 29), et in festo Translationis ejusdem (die Julii 7).

Ad *Quicunque*, in B Aña est *Gratias tibi*, contra Rubricas *In ceteris* et *Per hebdomadam*: v. pp. 21 *b* et 22 *a*.

IN LAUDIBUS, *Aña:*] *Cum uncino* (qui errore nescio quo elisus est) scribendum, "[IN LAUDIBUS, *Aña:*" nam ex hoc loco usque ad sectionis 111 finem omnia a me, secundum rubricam immediate præcedentem, in lectoris commodum (cf. p. xxxv, et ad § 105) suppleta sunt.

In Aña ad *Benedictus*, pro "jacentes" male B "tacentes".

§ 111.) "Totus orbis" &c.) Añæ quæ Horis Tertiæ, Sextæ, et Nonæ assignantur, eædem, ut passim (v. ad § 102), sunt, quæ in Officio sollemniori, in Depositionis scil. et Translationis festis, cum secundo, tertio, et quinto Laudum Psalmo respective dicuntur. Cum quarto autem dicitur aña,

"Ad Thomæ Memoriam quater lux descendit;
"Et in Sancti gloriam cereos accendit."

Ubi "Memoria" sensu *technico*, aut de supra (v. ad § 109) memorata Processione, aut de Commemoratione parva (v. ad § 115, notulam a quæ (præterquam in Circumcisionis festo) quotidie intra Sancti nostri Octavas, etiam in diei Octavæ Laudibus (v. ad § 105) et, ubi Processio non fiebat (v. ad § 109), in Sanctorum Innocentium Vesperis locum habebat, dictum esse videtur.

De ejusdem vero Sancti nostri miraculorum abundantia, quorum in Tertiæ, Sextæ, et modo transscriptâ aña plus minus mentio facta est, plura inter *Annotationes Longiores* vide.

In Sextæ autem aña, "Aqua" pro *fonte* dictum esse potest.

De Capitulis vero ad Sextam et ad Nonam dicendis, quod in libro A, tam in Depositionis quam in hoc Commemorationis Officio, per silentium, idem in B (in Translationis Officio: v. ad § 106) disertâ Capitulorum *Nemo sumit.* et *In ecclesiis.* indicatione, in vetere autem MSto L (in Depositionis Officio: v. ibid.) per sequentem (quæ Capituli loco ad Tertiam invenitur) rubricam exprimitur:

"*Cap'a, ℞ia, et ℣li de Communi Unius Mart. et Pont.* [§§ 41 — 43] ad "*omnes Horas dicuntur. Ita tamen quod ℞ia tantum habentur cum* Alleluja "*et Responsiones ℣lorum sine* All'a."

In qua, periodus posterior ad Depositionis tantum festum pertinet; in quo, ut quotidie a Vigilia Nativitatis Dñi ad Oct. Epiph. inclusive, ℞ia ad Primam et ad Horas Breves additur (quod solum pro repetitione minore repetitur) duplex *Alleluja.*

Digitized by Google

§ 114.) *De Communi Unius Mart. sive Pont.*] Quum in Responsoriis Versiculisque ad Tertiam, Sextam, et Nonam dicendis, nullum inter *Communia* Paschalia discrimen inveniatur, sub quonam titulo eadem ibi Officii membra quærantur parum quidem refert; sed qui ipsos Communium Paschalium (§§ 1 — 14) titulos inspexerit, vix ei dubium esse poterit, quin pro "*Pont.*" reponendum sit "*Conf.*"; ut, quum *Commemorationes* "cum regimine "chori" sint, ad Commune quod sectionibus §§ 8 — 11 constat remittatur lector. Post "*Pont.*" igitur, nisi quis in "*Conf.*" idem statim mutare malit, inseratur "[v. Annot.]"

3. In Servitium Beatae Mariae Virginis.

A) IN OFFICIUM PARVUM DOMINÆ NOSTRÆ IN ADVENTU.

§ 115.) "*Quotidie*", ut in prima hujus Servitii rubrica legimus, "*per "totum annum dicantur Vesperæ et Matutinæ de Sancta Maria in choro vel "extra.*"[a] Quod non ita intelligendum, quasi non et reliquæ Horæ quotidie dicendæ fuerint; sed potius, ut videtur, *Vesperæ et Matutinæ* Officium integrum designant: cf. sectionis 125 penultimam et sectionis 129 ultimam rubricam; utramque immediate post Nonæ Officium positam, et tamen illam verbis "Hic *ordo de Vesperis et Matutinis S. Mariæ*", hanc "Hic *ordo* "*de Matutinis et Vesperis de S. Maria,*" incipientem.

Ita vero de Dña Nostra quotidie dicebatur Officium, ut quoties Servitium ejus *Servitium de Die* (v. ad § 98, notulam b) non erat, id est quoties neque Festum ejus agebatur, neque *Commemoratio Primaria* sive *Hebdomadalis* (de cujusmodi Commemorationibus vide in Fasc. I, pp. xlii — xlvi, cum *Anni* 1855 *Addendis et Corrigendis*), ideoque de ea non fiebat *Servitium Plenum*, toties Servitio Diei adderetur *Officium* ejus *Parvum*, sive *Commemoratio Secundaria*; quæ in §§ 115 — 125, 130 — 135, et 141 — 145 continetur.[b]

Sin autem additamento marginali quod ad § 120 ex vetere MSto L extraxi fides adhibenda est, quinque erant dies, (videlicet, *Feria Quarta Quattuor Temporum Adventus, Dies Nativitatis Dñi, Dies Circumcisionis Dñi, Vigilia Epiphaniæ, et Festum Omnium Sanctorum,*) in quibus (ut res

[a]) Quid de hac re in L inveniatur, v. ad § 120 et in mox ad hanc dicendis.

[b]) Quod in Officiis Romanis sub *Commemorationis* nomine plerumque intelligitur, in nostris autem *Memoria* vocatur, — id est, in Missa trium Orationum, in Vesperis autem et Laudibus Añæ ad *Magnificat* vel ad *Benedictus*, Versiculi, et Orationis insertio, — id, ubi appellatione distinctiva opus est, *Commemoratio Tertiaria* vocari potest. De *Commemorationibus* autem in genere plura inter *Annotationes Longiores* videri possunt.

Digitized by Google

intelligatur oportet) *Servitium Dei* ita Beatissimæ quoque Virginis Officium Commemorativum erat, ut, quemadmodum in ejusdem festis et Commemorationibus Hebdomadalibus, Officii ejus Parvi additio pro non necessaria haberetur.

De ejusdem vero Dñæ Nostræ Officii antiquitate, ex Du-Cangii *Mediæ et Infimæ Latinitatis Glossario* paragraphum sequentem exscribam:

"*Matutinarius Cursus B. Mariæ.* Hugo Flaviniac. an. 961, p. 135: *Qui* "*tunc forte solo prostratus matutinarium Beatæ Virginis decantabat cur-*"*sum.* Unde liquet Officium B. Virginis in Ecclesia perantiquum."

Quibus autem diebus Beatissimæ Virginis Vesperæ et Matutinæ, proprie sic dictæ(c), *in conventu* (sive *in choro*), quibus *extra*, dicendæ erant, ultima quidem sectionis 125 rubrica, — ex impresso A, cujus plerumque auctoritatem Ed. nostra sequitur, exscripta, — docere profitetur; sequens autem, quæ in vetere MSto L immediate post Dñæ Nostræ Vesperas Adventuales (v. infra, p. xlvij) sequitur, non plenior tantum, sed et magis accurata, esse videtur; et præterea de ceteris Horis nonnihil addit:

"*Et sciendum est, quod per totum annum singulis diebus dicuntur* [*Vesp.*] "*et Mat. de S. Maria in choro; nisi in festis duplicibus, et in Vig. Natalis* "*Dñi, et abhinc usque ad Oct. S. Stephani, et nisi in Vig. Epiphaniæ, et nisi* "*a Vesperis quarte ferie*(b) *ante Cenam Dñi usque in crastinum Oct. Pasche,* "*et nisi per ebdomadam Pent. et per Oct. Dedicacionis Ecclesie. Cetere vero* "*Hore, scilicet Prima, Tertia, Sexta, et Nona, et Completorium, in choro non* "*dicuntur.*" (V. autem ad § 125.)

Sed et sequentem de Officio Dñæ Nostræ rubricam generalem, quæ in L immediate post modo laudatam legitur, omnino operæ pretium erit exscribere:

"*Et notandum est quod ante incepcionem Vesperarum et Mat. de S. Ma-*"*ria non d'r* Pater noster *nec* Aue Maria *in audiencia, nec eciam sub silen-*"*cio*(c), *per totum annum, quando non Plenum Servicium fit de ea.*(f) *Sed*

c) In *Matutinis proprie sic dictis* includuntur *Laudes:* quinimmo *Matutinæ* rectissime sic dictæ nihil aliud quam *Laudes* sunt; etiamsi *Nocturni*, ideo primum in nominis societatem admissi, quod iisdem plerumque præponendo adjungebantur, in lingua hodierna nomen ipsum fere *suum* fecisse videntur.

b) Hujus vocis, et partim aliorum quorundam, periit minium.

c) I. e. *submissa voce*: cf. ad § 98, p. xxxvj. Distinguendum autem, ut videtur, inter *vocem submissam* qua *Pater noster* et *Ave Maria* (cf. in Fasc. I, Pr. 5 *a*) aliæve omnibus notæ formulæ ab unoquoque pro se secreto, et qua, ut in § 98, quædam Officiorum partes ab uno vel quibusdam pro cunctis humili tantum voce, dicendæ erant.

f) Ante Vesperas et Matutinas *Parvas* de B. Virgine ideo non dicebatur *Ave Maria*, quod Vesperis et Matutinis *de Die* respective, ut earundem appendix, subjungebantur.

Digitized by Google

"*ad alias Horas dicitur* Aue Maria; *que in Capella dicuntur que dicitur* "Salua."

Ubi verba ultima ad ipsam Ecclesiam Sarisburiensem spectant; in qua scilicet, — ut rubrica sequens, quam ex Missali Sarisburiensi exscripsi, monstrat, — Capella Dñæ Nostræ "Salva" (in declinatione prima, nisi legendum "Salve") ab Missa ibidem dicenda vocabatur; — quæ et ipsa ab Introitu "(Salve, sancta parens", &c.), qui a Purificatione usque ad Adventum in usu erat, nomen *Salve* habebat.

"*Ordinatio Missæ Quotidianæ Beatæ Mariæ Virginis quæ dicitur* Salve. "*Pulsato ad Missam Beatæ Mariæ, conveniant Clerici ad eandem per hebdo-*"*madam deputati; qui, dictis prius Horis Beatæ Virginis in Capella ejusdem,* "*videlicet Prima, Tertia, Sexta, et Nona, Missam solenniter exequantur.* "*Hoc addito, quod in inceptione cujuslibet Horæ* [*i. e. uniuscujusque ex præ-*"*dictis Horis*] *dicitur Salutatio Angelica, scilicet* Ave Maria. *genuflectendo,* "*sub silentio.*"

Post quæ, paucis interjectis, sequuntur:

"*Celebratur etiam Missa Beatæ Virginis solenniter omni die per annum* "*in Capella ejusdem, nisi duobus diebus proximis ante Pascha.*"

Quoties autem Servitium Dñæ Nostræ *Servitium Diei* erat, Missa *Diei* de ea in choro dicebatur; unde diebus illis duas de ea Missas, in choro alteram, alteram in supra memorata Capella, dictas fuisse videmus.

De hac autem Missa, nec minus de Officii Parvi Prima et Horis Brevibus, loquitur rubrica sequens; quæ in L inter has et illam Horam (v. ad § 120) legitur:

"*Et sciendum est quod quociens dñr Vesp. et Mat'e de Sancta Maria* "[?]*ferialiter in conventu, tociens* [?]*et alie Hore eiusdem, preter Compl.,* "*dñr* [?]*ante celebracionem Misse Beate Marie in eiusdem Capella.*"

Quemadmodum vero præcedentia (v. p. xxxv), sic et Dñæ Nostræ Officia, ubi opus erat, inter uncinos complevi.

In L autem, ut supra (ad § 106) dixi, Officia hæc, secundum anni dieique varietatem, in variis Proprii de Tempore locis docentur. Sic, e. g. post Vesperas quæ primæ de Adventu ipso dicuntur, ubi in Ed. nostra (Pr. 3 *b*) duæ de Deiparæ Virginis Vesperis Parvis Adventualibus rubricæ, et similiter post Completorium de Adventu, ubi in Ed. nostra (Pr. 4 *a*) una de ejusdem Completorio Parvo Adventuali rubrica, ibi in L Officia ipsa (quantum hoc de tam breviter indicatis Officiorum Ordinibus dici potest) inveniuntur.

Sed et in Præfixis L (v. ad § 93) Lectiones plerasque, cum formulis quibusdam, quæ in his Officiis dicuntur habemus. Etenim, præter Lectiones de quibus ad § 107 dixi, quarum pars (v. ad § 148) paginis 21 — 23 repetita

Digitized by Google

legitur, statim post Lectiones in S. Thomæ Martyris Commemoratione legendas (v. ad § 107), sequentia, secundo scripturæ genere scripta (v. ibid.), occurrunt:

P. 10 — 12: — *Pater noster* et "Ave Maria — Jesus. Amen." (v. p. 121): *Confiteor*, *Misereatur*, et *Absolucionem*, (v. p. 107 *b*;) sine rubricis: Psalmus *Venite* (v. p. 122), sine Invitatorio: Hymnus *Quem terra* (v. § 120).

P. 12, 13: — "Lectiones de S. Maria." videlicet quæ apud nos in § 131 leguntur, cum ꝑiis "Sancta et immaculata virginitas," "Beata es, Maria;" et "Felix namque es,": v. ibid. et § 141.

P. 13: — Hymni "O gloriosa Domina [*sic*]," (§ 123), et "Aue Maris Stel-"la," (§ 116).

P. 13, 14: — "*Ant.* Sancta Maria, succurre [*&c. ut* § 145.] Dñs vob. Et "cum. Oremus. [*Sequitur lineola rubra*].

"*A.* Sancta Maria, intercede pro toto mundo; quia genuisti Regem Or-"bis. ℣*s.* [*qui non datur.*]

"*Ant.* Aue Regina Celorum, aue Domina Angelorum;
"salue radix sancta, ex qua mundo lux est orta;
"aue gloriosa, super omnes speciosa;
"vale, valde decora, et pro nobis semper Christum exora.

"*Ant.* Aue Regina Celorum, Mater Regis Angelorum;
"o Maria, flos virginum, velud [*cf. ad* § 32] rosa vel lilium;
"ffunde preces ad Filium pro salute ffidelium. ℣*s.* [*qui non datur.*]"

P. 14, 15: *Credo in Deum* (v. p. 122), et (sine titulo) *O gloriosa*, ut, hinc sumpta, in § 142 hæc añ, inter uncinos, exscripta est.

Post hæc autem, pp. 15 et 16 (quæ posterior ita completur), — scripturâ aliquanto minore, sed adhuc cum rubro (quod postea vix in Pr. L videtur), — sequitur Officium Devotionis de Dña Nostra et de Passione conjunctim; quod in Laudes, Primam, et Horas Breves divisum est; et ad quod pertinet etiam Completorium simile quod *Subjunctorum L* (v. ad § 93) paginam sextam facit. — Cujus Officii partes quædam in *Servitio* nostro occurrunt.

quando fit de Sancta Maria Commemoratio in conventu] *Commemoratio* hîc *Secundaria* intelligitur: v. supra (p. xlv, cum notula *b*), et inter *Annotationes Longiores.*

Verba autem *in conventu*, — si non ideo tantum (super numerum) addita sunt, quod scriptor (in hoc saltem loco) Officium *in conventu* dicendum principaliter ob oculos habebat, — eos qui in Capella, vel alias extra chorum, idem Dñæ Nostræ Officium Parvum recitarent, aut a Psalmorum in feria iij dicendorum mutatione excludere, aut saltem in hac parte liberos relinquere videntur. Quicquid vero hîc, idem, ut videtur, in §§ 135 et 145, *in quibus de choro vel conventu nihil dicitur*, de hac quæstione statuendum est; — præsertim quum L, qui non hîc, sed tantum in § 135, regulam de psalmorum mutatione (v. ad eandem sectionem) tradit, post eandem "*Quod*

Digitized by Google

"per totum annum observetur." addat. Tertius autem locus (v. ad § 141) in hoc MSto non invenitur.

§ 116.) Hymnos *Ave Maris Stella, — Quem terra, pontus, —* et *O gloriosa femina*, integros ex Annunciationis Officio, collatis etiam Præfixis L (v. supra, p. xlvij et hanc), inter uncinos, supplevi.

De quorum, ceterorumque in Beatissimæ Virginis Servitio occurrentium hymnorum metris, inter *Annotationes Longiores* vide.

"In horum autem primo, pro "Mutans nomen Euæ." quod tam in Pr. L quam in A legitur, Brev. Rom. "Mutans Hevæ nomen."(g)

Pro "vinc'la" (vel "vincla") Pr. L, contra metrum (de quo v. ubi supra), "vincula; et pro "posce" "posse".

Pro "preces" Pr. L "precem"(h): vide in *Annotationibus Longioribus.*

Pro "collætemur" Pr. L "collitemur": cf. Fasc. I pp. xiv, xv.

In ultimo autem versu, pro "Trinus", quod A habet, ex iisdem Præfixis L et Brev. Rom. "Tribus" reposui; quanquam in Frantzio (v. notulam h), p. 155, legitur, "Trinis honor et unus.": in quo "et" metrum perdit, et "Trinis", si consulto scriptum et impressum est, eodem quo "Tribus" sensu intelligatur opportet.(i)

§ 117.) *statim dicitur Memoria de Sancto Spiritu.*] Vide ad § 142.

In rubrica proxima, *parochialibus* om. L.

Memoria de Reliquiis] Erat etiam *Festum cum Octavis* de Reliquiis; de quo plura inter *Annotationes Longiores* vide.

PROPITIARE] A verbo "continentur" in hac, usque ad idem verbum in proxima Oratione (PRÆSTA) ita in L librarius saltum fecit, ut, omisso "ecclesia", quod alio deinde atramento in margine suppletum est, hujus posterioris Orationis cetera ("nos protegant merita; quatenus" &c.) statim subjunxerit.

§ 118.) *Memoria de Omnibus Sanctis per Adventum cum ista añ*a: Ecce] Pro his in L pleniora, ut sequitur, habemus:

---

g) Sic etiam in vetere Devotionis libro, pulchre super pergamenas impresso, quem Bajocis quondam in Normandia emi, et qui, nisi quod mutilus est, præter alia (tam Francica quam Latina), Horas quasdam sec. Ecclesiæ Constantiensis Usum continet: — etiam in Brev. Carthusiensi Parisiis ab Thielmanno Kerver A. D. 1522 impresso, et a me olim Oxonii empto.

h) Sic etiam modo (in notula g) memoratum Brev. Carth.: etiam Cl. Frantzii "*Geschichte der geistlichen Liedertexte vor der Reformation, mit besonderer Beziehung auf Deutschland*"; (*Carminum Spiritualium ante Reformationem, Germaniam specialiter respiciens, Historia;*) Halberstadtii, 1853, p. 154.

i) Supra, in notula g, memoratæ Horæ Constantienses cum A, — ibidem vero memoratum Brev. Carth. cum Præfixis L, Breviario Romano, et Ed. nostra hoc loco concordat.

Digitized by Google

"*Memoria fiat de Omnibus* [*Sanctis*] *ad Vesp's et ad Mat's de Sancta* "*Maria quandocunque chorus regitur* [v. ad § 8]. *In aliis vero omnibus die-* "*bus fiat de eis Memoria ad Vesp's et ad Mat's de Die. Quod per totum an-* "*num observetur; nisi a Capite Jejunii usque ad Oct. Pasche: tunc enim* "*nulla fiet Memoria de Omnibus Sanctis ad Vesp's et ad Mat's de Die.* "*Ant.* Ecce". — Cf. autem ad §§ 123 et 142.

ut veniens Jesus Christus, Filius tuus, Dñs noster, cum omnibus Sanctis,] In L "Dñs noster," ante "Jesus Christus," legitur.

In añia "Da pacem", verba "qui pugnet pro nobis" melius "*to fight for* "*us*", quam (ut in *Libro Precum Communium* Anglicano, "*The Book of* "*Common Prayer*") "*that fighteth for us*", Anglice redduntur.

Oratio. Deus, a quo. — *Alia Oratio subsequens dicitur ad Matutinas tantum. Oratio.* **DEUS,** auctor pacis] Fieri potest ut, recentioribus saltem sæculis, Oratio *Deus, a quo*, quod in Officio Romano *de præcepto*, in Sarisburiensi *ad libitum*, ad Mat's quoque dici potuerit.

Pro lemmate autem nostro in L inveniuntur: "*Ad Vesp's Or.* Deus a "quo sancta de. recta. *Ad Mat's. Oracio s*[*equens*]. **DEUS** auctor pacis": quo eodem exemplo *Liber Precum Communium* Anglicanus Orationem hanc Officio suo Matutino, illam Vespertino assignat.

In Breviario autem Romano Commemoratio (v. ad § 115, notulam a) de Pace, Officii *de Die* pars est; ideoque non nisi *inter Tempus Paschale et Adventum*, et *inter Octavam Epiphaniæ et Passionem*, et ne tunc quidem *in festis duplicibus*, vel *infra Octavas*, dici potest.

Ceterum, tam in Brev. Rom. quam in Breviariis Sarisburiensi, Herefordensi, et Eboracensi, Oratio *Deus, a quo* inter eas quæ Sanctorum Litaniæ subjunctæ sunt invenitur: v. Fasc. I, p. 114 *a*, cum annot. ad p. 113 *b*.

Inter has autem Vesperas et Completorium de Adventu, in L (v. ad § 115, p. xlvij) leguntur duæ rubricæ generales: v. (ad eandem sectionem) p. xlvj.

§ 119.) Pro "cinnamomum", hîc et § 145, non item 135, A "cynamo- "mum". In L, hîc et § 135, "synomomum": tertius vero locus (v. ad § 141) in hoc MSto non invenitur.

℟*o.* Et habitare] Vel "℟o. Habitare": v. ad § 142.

§ 120.) In L Deiparæ Virginis Matutinæ Parvæ Adventuales post Dominicæ I in Adv. Mat's, duarum quæ in Ed. nostra (v. Pr. 9 *b*) leguntur rubricarum loco, *ipsæ* (quantum hoc de Officii Ordine tam breviter indicato dici potest) inveniuntur: post Matutinas autem de Dña Nostra sequuntur statim (quanquam non in choro dicendæ: v. ad § 115, pp. xlvj, xlvij) Prima et Horæ Breves ejusdem Adventuales.

quando non fit Plenum Servitium de ea] V. ad § 115, pp. xlv, xlvj.

Digitized by Google

In hymno (de quo v. ad § 116), pro "æthera", quod tam in Pr. L quam in A legitur(i), Brev. Rom. "sidera".

Ad ejusdem vero hymni finem, post "sæcula." adde "Amen."

"*Feria v, vj*," &c.) Post rubricam hanc, L duas sequentes addit:

"¶ *Sciendum est eciam, quod quando Servicium de Sancta Maria prop-*
"*ter aliquod duplex festum pretermittitur a choro* [v. ad § 115, p. xlvj],
"*nichilominus ordo feriarum*, [non ipsarum antiphonarum ceterarumque
"formularum,] *in antiphonis, psalmis, et versiculis, servabitur in sequentibus*
"*feriis in conventu; quod per totum annum generaliter observetur.*" Ubi *in conventu*, si non abundat (cf. p. xlviij), pro *eciam in conventu* dictum esse potest: saltem *extra* conventum nihil aliud erat, quod dici poterat.

"¶ *Nam co*^{e} [*commune*, i. e. *communiter*] *per totum annum, sive in choro*
"*sive extra chorum, Vespere et Mat'e de Sancta Maria dñr.*" (Cf. § 115.)

Ultimis autem hujus rubricæ verbis in margine laterali adjacet nota quæ proculdubio lectorem ad additamentum sequens remittit, quod in margine superiore (sive a prima sive a secunda manu scriptum) legitur:
"*nisi in Die Nativitatis Dñi, Circumcisionis Dñi, in Vig. Epiph., et in Festo*
"*Omnium Sanctorum, et in iiij feria Quattuor Temporum Adventus Dñi.*"

De quo additamento plura ad § 115, pp. xlv, xlvj, vide.

§ 121.) Lectiones 1 et 2, cum "Et" præfixo, capitis in Isaja undecimi versus 1 — 5 sunt.

et replebit eum Spiritûs timoris Dñi.] In "Spiritûs" deleatur *circumflexus*. Hæc autem verba, quemadmodum etiam Græca *ἐμπλήσει αὐτὸν πνεῦμα φόβου Θεοῦ*, Hebraicorum *wahharīchôw bajir'dth Adōnâj*, si non *formam*, *sensum* proculdubio fideliter reddunt. Ad litteram vero si eadem reddi volueris, *et odoratio* (i. e. *perceptio*, *delectatio*) *ejus* (*spiritualis* scilicet) *in timore Dñi* (*erit*), sonare videntur.

Hæc dicit.] Vide *Proprium de Tempore Adventus*, p. 5 *a*; ubi post "Dñs" utrobique, inter uncinos, inserendum est "Deus".

In L autem, pro "Hæc dicit.", hoc loco cum formula plena legitur, "*Et*
"*terminentur iste tres lecciones sic*: Hæc dicit Dñs Deus: convertimini ad
"me, et salvi eritis."

Ria *Missus est*, — *Ave Maria*, — et *Suscipe verbum*, in ipsius Dom. I in Adv. Officio tertium, 4tum, et 5tum respective sunt: v. (in Fasc. I) Pr. 6.

quoniam virum non cognosco] Ex S. Lucæ I, 34; ubi necessario interpretandum, 'quoniam virgo permansura sum'. Hoc scilicet votum, a Deo inspiratum, Dei Spiritu instructa, ratum esse noverat.

---

i) Sic etiam in supra (ad § 116, in notula g) memoratis Horis Constantiensibus; in quibus præterea tetrastichon quintum ante doxologiam additum est: v. ad § 124.

§ 122.) Locutus est Dñs] In Vulg. "Et adjecit Dñs loqui". Eadem cum L postea, pro "est vobis", "vobis est".

In ℟ 3, pro "concipiens" &c., scribendum "concipies per aurem; Deum "paries et Hominem."

§ 123.) Post ℣li ante Laudes indicationem, L addit: *Iste ℣ls d'r ante "Laudes per totum annum quando non fit plenum Servitium de Sancta Ma-"ria."* *Cf.* §§ 132, 142; et v. ad § 124.

In hymno (de quo v. ad § 116, et ad cujus finem, post "sæcula." adde "Amen."), pro "femina" Pr. L (non L ipsum) "Domina"([f]).

In Breviario autem Romano hymnus integer ita legitur:

"O Gloriosa Virginum,
"Sublimis inter sidera,
"Qui te creavit, parvulum,
"Lactente nutris ubere.
"Quod Heva tristis abstulit,
"Tu reddis almo germine:
"Intrent ut astra flebiles,
"Cœli recludis cardines.
"Tu Regis alti janua,
"Et aula lucis fulgida:
"Vitam datam per Virginem,
"Gentes redemptæ plaudite.
"Jesu, tibi sit gloria,
"Qui natus es de Virgine;
"Cum Patre, et almo Spiritu,
"In sempiterna sæcula. Amen."

Post ultimam vero hujus sectionis rubricam L sequentem addit:

"¶ *Si ad Vesp's vel ad Mat's de Die fiat Memoria de Omnibus Sanctis, "tunc non fiet de eis Memoria ad Vesp's et ad Mat's de Sancta Maria. Simi-"liter de Reliquiis: non fiet Memoria de eis per Octavas ad Vesp's et ad "Mat's de Sancta Maria.*" Cf. vero ad § 118.

Intelligendum est autem in *Festo* Omnium Sanctorum (quod in Officio Sarisburiensi Octavas non habet) eorundem necessario includi *Memoriam*.

§ 124.) *dicatur hic hymnus*: Memento salutis. Maria plena. Gloria tibi, Dñe.] 1. Tetrastichon *Memento salutis.* tertium est in hymno "Christe "Redemptor omnium," qui in festo Nativitatis Dñi ante Nocturnos dicitur: cf. ad § 130 et 132. — In Brev. autem Rom. hoc tetrastichon ita legitur:

"Memento, rerum Conditor,
"Nostri quod olim corporis,
"Sacrata ab alvo Virginis,
"Nascendo formam sumpseris."

Sic enim melius quam "ab alvo Virginis Nascendo," interpungitur. — "Nascendo" autem de *Conceptione* intelligendum: cf. in Symbolo Nicæno, "Et ex Patre natum ante omnia sæcula"; et in Ps. 86, "Homo et homo [Ho-"mo in quo nos omnes nativitatem divinam habemus] natus est in ea". Quod, si de Ecclesia *apertius*, non tamen de hac *verius*, quam de Ea dictum est, quæ Ecclesiæ et typus et nucleus est.

---

[f]) Sic etiam in supra (ad § 116, in notula g) memoratis Horis Constantiensibus; in quibus præterea tetrastichon quartum ante doxologiam additum est: v. ad § 124.

Digitized by Google

2. Tetrastichon *Maria plena* ("Maria, plena gratiâ,"?) quum in libris qui ad manum erant plene scriptum invenire non possem, — ne mutilus relinqueretur hymnus, inter uncinos, lectore satis monito, tetrastichon quod in Brev. Rom. eundem habet locum inserui.

Pro hujus autem tetrastichi versu secundo, supra (ad § 116, in notula g) memorati libri Constantiensis(l) Carthusiensisque "Mater misericordiæ," habent; quod quum metri tantum, ut videtur, caussa in "Dulcis parens "clementiæ," (in Brev. Rom.) mutatum sit, fieri potest ut ipsum tetrastichon Sarisburiense ut sequitur dictum fuerit:

"Maria, plena gratiâ, "Tu nos ab hoste protege,
"Mater misericordiæ; "Et mortis hora suscipe."

In eodem verò libro Constantiensi tetrastichon hoc, ut apud ipsum et in supradicto libro Carthusiensi legitur, non post *Memento salutis* tantum, verum etiam in hymnis *Quem terra* et *O gloriosa* (§§ 120 et 123), inter penultimum et ultimum tetrastichon additum invenitur.

In eodem verò Brev. Carthusiensi, post *Memento, salutis* et *Maria, mater gratie*, duo alia (sequentia scilicet) tetrasticha ante doxologiam inserta leguntur:

"Maria, Mater Domini, "Per tuum, Virgo, Filium
"Eterni Patris Filii; "Per Patrem, per Paraclytum,
"Fer opem nobis omnibus, "Adsis presens ad obitum,
"Ad te confugientibus. "Nostrumque muni exitum."

Tetrasticho autem nostro, quomodocunque primi duo versus legantur, si in posterioribus, pro *Tu — Et*, duplicaretur *Tu*, parum certe detrimenti fieret.

"Maria, mater gratiæ "Maria, mater gratiæ,
"Dulcis parens clementiæ; "Dulcis parens clementiæ;
"Tu nos ab hoste protege, "Tu nos ab hoste protege,
"Et mortis hora suscipe." "Tu mortis hora suscipe."

3. Tertium vero tetrastichon, "Gloria tibi, Dñe," (pro quo, hîc et passim, Brev. Rom. "Jesu, tibi sit gloria," ut supra ad § 123) omnium ejusdem metri Dñæ Nostræ hymnorum conclusio sive doxologia est: cf. §§ 120 et 123.

Ḍium autem Breve *Ave Maria* (in L "Ave Maria gracia."), — *quod anni totius* (cf. §§ 133 et 143) *est*, — tam in Pr. L, in supra (p. xlviij) memorato Devotionis Officio, quam in supra (ad § 116, in notula g) memoratis

---

l) Ad Sextam; nam ex Primâ, Tertiâ, et Nonâ, quæ hymnum continebant perierunt folia. Ad hanc autem Sextam, ante *Memento salutis* legitur tetrastichon:

"Veni Creator Spiritus;
"Mentes tuorum visita:
"Imple superna gratia
"Quæ tu creasti pectora."

Digitized by Google

Horis Constantiensibus, integrum, ut in Ed. nostra inter uncinos completum est, invenitur.(m)

In eodem verò Devotionis Officio, tam hìc quam ad Tertiam et ad Nonam, *ipsius Rii Brevis duplicatio*, qualis ét in supra (ad § 116, in notula g) memoratis libris Constantiensi Carthusiensique, èt in Brev. Rom. hodierno fit, aperte præscripta est; id quod, — quantumvis duplicatio talis per se probabilis esse potest, — neque in ipso Brev. Sarisb. neque alibi in *Præfixis* vel *Subjunctis* L (v. ad § 93) factum esse notavi. Ad Sextam vero duplicatio hæc, etiamsi certissime, quemadmodum in Prima et in supradictis Horis Brevibus, facienda, non tamen præscripta invenitur.

Pro ℣lo autem, tam in modo memorato Devotionis Officio, quam in supradicto libro Constantiensi (in quo cum Responsione sua integer invenitur), — quum non *Adventualis*, sed *Generalis* poscatur, — *Sancta Dei genitrix.* habemus: cf. §§ 133 et 143.

Pro "*Oratio.* Deus qui — Per eundem Christum [Dñm nostrum] Be-"nedicamus Dño. [Deo gratias.]", in L habemus:

"*Or'o.* Deus qui de Beate Marie. *que terminetur sic ad omnes Horas* "*preterquam ad Nonam*, Per eundem Christum [Dñm nostrum]. Benedica-"mus Dño. Deo gratias. *sine* Dñs vobiscum *in fine Orationis. Ad Nonam* "*vero sic concluditur*: Per eundem Dñm [nostrum *&c. ut* § 118]. Dñs vo-"biscum. [Et cum spiritu tuo.] Benedicamus Dño. Deo gratias."

§ 125.) Locutus est Dñs ad Achaz] Vide ad § 122.

Ad Nonæ vero finem, pro Rubrica "Hic *ordo de Vesperis et Matutinis*" (cf. ad § 115, p. xlv), in L sequentem habemus:

"*Iste Hore dñr supradicto modo co*e [*commune*, i. e. *communiter*] *per* "*Adventum quando non fit Plenum Servicium de Sancta Maria.*"

In Rubrica autem "Per *totum annum*", primo quidem, verba "*usque ad* Oct. "*S. Stephani*" *exclusive* intelligenda; — deinde vero, "*ab Cœna Dñi usque ad* "*Oct. Paschæ*" per plenioris de hac re rubricæ quam ad § 115 (p. xlvj), ex alio veteris MSti L loco, exscripsi definitionem ("*a Vesperis quarte feriæ ante* "*Cenam Dñi usque in crastinum Oct. Pasche*", i. e. *exclusive*), si non com-

m) In supra (ibid.) memorato Brev. Carth. Responsorium brevius habemus, videlicet:

"℟. *Hic accipimus veniam.** "Aue Maria, gratia plena. Aue "[Maria, gratia plena]. ℣. Dñs "tecum. Aue [Maria, gratia ple-"na†]. Gloria Patri, [et Filio, et "Sp. S.] Aue [Maria, gratia ple-"na]."

Quod autem ceteris *Versus*, idem in hôc Brev. *Versiculus*, (non Adventualis, sed Generalis,) est:

"℣s. Benedicta tu in mulieribus "[℟o.] Et benedictus fructus ventris "tui."

* Hæc vel his similia in hoc Brevisrio sæpe verba leguntur.

† Similiter et ad Horas Breves in hoc Breviario Rium integrum statim post Versum repetitu

Digitized by Google

genda, certe, ut videtur, explicanda; — denique, post "*Pentecostes.*" in eodem MSto "*et per Oct. Dedicacionis Ecclesie.*" addi notandum est.

De impropria autem designatione *Oct. Paschæ* v. ad § 142.

B) In Commemorationem Plenam B. M. V. in Adventu.

§ 126.) De *Servitio Pleno* et *non Pleno* v. ad § 115, pp. xlv, xlvj.

In L autem Commemoratio Dñæ Nostræ Plenaria (sive *Primaria*) in Adventu dicenda, in Proprio de Tempore Adventus, ad Hebdomadæ Primæ finem, ubi in Ed. nostra *Rubrica* tantum, post Rubricas de Commemorationibus Primariis in genere (pp. 18*a* — 19*b*), invenitur.

Post Capituli indicationem ("*Cap.* Ecce Virgo con. *usque* eligere bo-"num.")L addit: "*Non d'r ℟ium in Commemoracionibus.*"

Memoria de Adventu.] In L plenius: "*Memoria de aliquo Sancto, si ha-"beatur, fiat. Et postea de Adventu tantum.*"

Ubi de iis tantum Sanctorum festis agitur, in quibus chorus non regitur (v. ad § 8): nam quæ *cum regimine chori* fiunt, Commemorationibus, quæ ejusdem tantum sunt dignitatis, locum non cedunt.

"Completorium *de Adventu*" &c.) V. Fasc. I, pp. 100, 101 et 107, 108; etiam Pr. 3*b* et 4*a*; cum ejusdem Fasc. Annotationibus et *Anni* 1855 *Add. et Corr.*

Ad Mat's autem in Invitatorio auferantur uncini: nam in L (hîc, non autem in § 137, 147, vel 157) integrum legitur.

In eodem MSto añæ 1 — 8, hîc quidem integræ, cum psalmorum suorum initiis, ut in Ed. nostra sectionibus 137 et 147, ibi vero per indicationem tantum (ut sectione 157), docentur. Pro "myrrha" autem L "mirra", (cf. ad § 119, inter *Addenda*), et pro "pulchritudine" (de more) "pulcritudine".

§ 127.) In L (v. ad § 29) Lectiones sunt: 1. "Missus est-—nominatur." 2. "Illum — De quo Psalmista ait: — Et rursum: — qui, virtutum Dñs, potens — veniebat." 3. Multas— videretur origo. — texere."

§ 128.) "*Non repetatur*" &c.) In Adventu (v. Pr. de T. Adv., p. 8*a*) et a LXX usque ad Pascha, non dicitur Canticum *Te Deum*, de quocunque fiat Officium; sed loco ejus, in Dominicis tantum et ix lectionum festis, repetitur Lectionis ultimæ ℟ium. Ideo autem, pro eo quod L habet, "*usque ad Pascha*", in A (cujus auctoritatem Ed. nostra plerumque sequitur) "*usque ad Qua-"dragesimam*" legitur, quia a Feria iv Cinerum (sive, "in Capite Jejunii") usque ad Dominicam in Albis non fiebant Commemorationes: v. Fasc. I, p. xlv.

nec etiam de Festo Loci] I. e. in Commemoratione de Festo Loci: v. Fasc. I, pp. xlii — xlvi, cum *Anni* 1855 *Add. et Corr.*

Post ℣li ante Laudes indicationem L addit: "*Iste ℣s*, Ora pro nobis,

Digitized by Google

"Sancta. *d'r per totum annum ante Laudes, quando fit Plenum Servicium de "Sancta Maria.*" Cf. §§ 140, 154, 159.

Memoria de Adventu.] In L: "*Memoria fiat ut supradictum est ad Vesp's.*" Cf. ad § 126.

§ 129.) Ad Primæ initium in L legitur: "*Ad Primam, Ymnus,* Jam lucis. *In fine ymni dicitur,* Gloria tibi, Dñe, Qui natus. *Et sic ad alias Horas "Beate Virginis.*"

℟. Jesu Christe. ℣. Qui de Virgine.] In L: "*Cap.* Regi sæculorum. ℟. Je-"su Christe. ℣. Qui de Virgine. ℣*s,* Exurge." V. (in Fasc, I) p. 22.

Ad Tertiam, post Orationis indicationem, in L habemus: "*Et d'r ad om-"nes Horas.*"

HIC *ordo de Mat. et Vesperis de Sancta Maria,*] Vide ad § 115, p. xlv.

in feriis et quando fit Plenum Servitium de ea] Si non omittendum "*et*", per *ferias* hîc significari videntur dies in quibus de Dña Nostra neque Festum agebatur, neque Commemoratio Plena fiebat: cf. ad §§ 115 (p. xlvij et inter *Addenda*), 135, et 140. Quod si verum est, "HIC *ordo*" &c. de sectionibus, non ab 126to tantum, sed ab 115to, dictum erit.

c) IN OFFICIUM PARVUM B. M. V. A NATIVITATE DOMINI USQUE AD PURIFICATIONEM.

§ 130.) In L Officium Parvum de Dña Nostra inter Adventum et Purificationem dicendum ibi docetur, ubi primum *in conventu* dicitur; scilicet immediate post Laudes in Octava S. Stephani; ubi per rubricam sequentem, quæ tituli quoque officium præstat, introducitur:

"HIC *primum fiant Matutine de Sancta Maria in conventu.*"

Quod idem in A, addito "*ut plene notatur post Commune Sanctorum.*" in eodem Proprii de Tempore loco legitur.

Ab antiquiore autem Beatissimæ Virginis Horarum ordinatione quæ in L invenitur, satis apparet cur, etiam quum eædem, ut in A et in Ed. nostra, in unum collectæ essent, hæc tamen Officii Parvi portio secunda (§§ 130—135) non, ut portio prima (§ 115 — 125), a Vesperis, sed a Matutinis, inciperetur.

Tetrasticha *Castæ parentis* et *Domus pudici* tertium et quartum sunt in hymno ad Laudes in festo Nativitatis Dñi: cf. ad § 132; etiam ad § 124.

§ 131.) In *textu* L, non ℟iorum tantum, sed ne Lectionum quidem quæ in hac sectione occurrunt, plus quam initia inveniuntur: de ejusdem vero MSti *Præfixis* v. ad § 115, p. xlviij.

In iisdem Præfixis, in Lec. 1 "regnare imperpetim", in Lec. 2 "qui pro "nobis natus — et sua caritate", in Lec. 3 "ubi manes cum Filio tuo"(a); in

a) Sic et in supra (ad § 116, in notula g) memoratis Ecclesiæ Constantiensis *Horis.*

Digitized by Google

℟io 2, "Genuisti eum qui te fecit, et ineternum permanes virgo. ℣. Aue Ma-"ria, gracia. Genuisti."; fine Versus ("plena: Dñs tecum."), quum pro noto haberetur, omisso.

In ℟io primo, "contulisti" pro simplici "tulisti" dictum esse videtur.

Pro tertio autem ℟io, *Te laudant angeli*, in Præfixis L, — utpote non Tempore Natali dicenda, sed *Generalia* tradentibus, — ut supra (p. xlviij) dictum est, legitur ℟. *Felix namque es*(b): v. § 141, cum annott. ad eandem.

§ 132.) *Ant.* O admirabile.] Añæ super psalmos ad Laudes et ad Horas Breves, ex Circumcisionis Officio sumptæ, ex eodem et ex Devotionis Officio quod, ut supra (p. xlviij) dixi, in Pr. L invenitur, et in quo prima (*O admirabile*) bis (ad Laudes et ad Primam) plene scripta legitur, completæ sunt.

In Circumcisionis autem Officio ultima ad Laudes, quæ hîc non invenitur (cf. ad § 102, et præsertim notulam g), ita dicitur:

"Ecce Maria genuit nobis Salvatorem: quem Joannes videns, exclama-"vit dicens: Ecce Agnus Dei! ecce qui tollit peccata mundi! alleluja."

Pro Capitulo, L, "*Cap.* Maria Virgo, letare." sine "semper": in Pr. L autem (in modo memorato Devotionis Officio), integrum, ut in A et in Ed. nostra, invenitur.

Tetrasticha *Enixa est* et *Gaudet chorus* quintus et septimus in hymno ad Laudes in festo Nativitatis Dñi sunt: cf. ad § 130; etiam ad § 124.

Oratio, Concede nos (§ 117).] In L: "*Or'o*, Concede nos famulos. *Que* "*terminetur sic*: Per Christum Dominum [nostrum]. *sine* Dñs vobiscum. *in* "*fine, et sine* Benedicamus Dño."

et de Festo Loci] In L, "*et de Sancto Ecclesie*"; quod eodem redit.

De Omnibus autem *Sanctis* in hoc MSto eadem præscribitur Memoria quæ pro *Memoria Communi* in Officio *de Die* dicitur; ideoque Oratio, non necessario "Omnium Sanctorum." sed una ex quattuor, *Infirmitatem*, — *Omnium Sanctorum*, — *Vide Dñe*, — et *Tribue, quæsumus*: v. (in Fasc. I) pp. 41 *b* et 42 *a*; et cf. ad § 135.

Cujusmodi variationes per locorum sæculorumque diversitatem probabiliter explicari possunt.

§ 133.) APPARUIT gratia] In Vulg. "Apparuit enim gratia".

De ℟io et ℣lo v. ad § 124.

§ 134.) Psalmi ad Tertiam, Sextam, et Nonam, iidem qui in § 125 sunt; id quod in L per primi in unaquaque Hora psalmi indicationem docetur.

---

b) Sic, et ob eandem caussam, in supra (ad § 116, in notula g) memoratis Ecclesiæ Constantiensis *Horis;* in quibus præterea *Sancta et immaculata* est ℟. 1, et "Beata es, "Virgo Maria" (*sic*), ℟. 2.

Digitized by Google

APPARUIT benignitas et humanitas] In Vulg. "Cum autem benignitas "et humanitas apparuit".

℟ium ad Tertiam in Purificationis et in supra (p. xlviij) memorato Devotionis Officio, ad eandem Horam, cum Versu suo integrum invenitur.

In quo eodem Devotionis Officio Versiculus ad Tertiam, ut in eodem et in supra (ad § 116, in notula g) memorato Constantiensi libro (vel libri reliquiis) ℟ia cum Versibus et Versiculis suis ad Sextam et ad Nonam dicendis, integra inveniuntur.

Ex quibus fontibus ita corrigendum est Nonæ ℟ium:

"℟. Speciosa facta es [Et suavis. (Speciosa facta es Et suavis.) ℣. In "deliciis tuis, Sancta Dei genitrix. Et suavis. Gloria Patri, et Filio, et "Sp. S. Speciosa facta es Et suavis]."

Sextæ autem et Nonæ Capitula etiam in L integra leguntur; — in quo, si "Amen. Benedicamus Dño. Deo gratias." et "Dñs vobiscum. Benedica-"mus Dño." excipiam, nulla alia formula in §§ 130 — 135 completa invenitur.

In eodem vero MSto Oratio *Deus qui salutis* (§ 133) ad singulas Horas Breves indicatur.

§ 135.) De Psalmis ad Vesp's, in L habemus: "*Ps.* Letatus sum. "*et "ceteri psalmi consueti ferie iij: tamen quando idem psalmi dñr ad Vesp's de "Die, tunc ad Vesp's de Sancta Maria dicentur hij* [cod. *et hij*]: *Ps.* Dixit "Dñs. *Ps.* Confitebor. *Ps.* Beatus vir. *Ps.* De profundis. *Ps.* Memento Dñe. "*Quod per totum annum observetur.*" (V. ad § 115.)

Pro "*Or.* Concede nos (§ 117)." (sic enim, deletis uncinis et quæ inter eosdem inclusa sunt, scribendum est,) in L habemus:

"*Or'o*, Concede nos famulos. *terminatur sicut ad Mat's* supradictum est.

"*Hec Or'o per totum annum d'r ad Vesp's et ad Mat's quando ferialiter "habent dici.*" Cf. ad § 115, p. xlvij et inter *Addenda*: etiam ad § 130.

De Omnibus vero *Sanctis* in hoc MSto eadem præscribitur Memoria quæ pro *Memoria Communi* in Officio *de Die* dicitur; ideoque non necessario aut Añia "Sancti Dei" aut Oratio "Infirmitatem", sed illa, una ex quattuor, *Sancti Dei, — Omnes electi, — Sanctorum precibus, —* et *O quam gloriosum*; hæc, una ex quattuor quæ *Memoriæ Communi* in Laudibus *de Die* assignantur: v. in Fasc. I p. 42 *a* et *b*, et in hôc ad § 132. — De rubrica autem quæ in Fasc. I, p. 42 *b*, de ℣li *in Officio de Die* variatione legitur, annotationem in *Anni* 1855 *Addendis* vide.

AD COMPL.) "*Or.* Concede, — *Paschale.*") Pro his, in L habemus:

"*Or'o*, Concede, quesumus, omnipotens et misericors Deus. *Que ter-"minetur sic*, Per eundem Dñm nostrum [*&c. ut* § 118]. Dñs vobiscum. [Et "cum spiritu tño.] Benedicamus Dño. [Deo gratias.]

Digitized by Google

"*Hec oratio d'r ad Compl. de Sancta Maria per totum annum, quando "non fit Plenum Seruicium de ea; nisi per Aduentum et a Pascha usque ad "Vigiliam Ascencionis*[sic] *Dñi; tunc enim dicetur Or'o* Graciam tuam." Cf. §§ 119 et 145.

Post quæ sequuntur statim:

"*Hoc eodem modo dñr Mat'e, Hore* [cf. ad § 10], *Vespere, et Compl. de "Sancta Maria usque ad Purif., quando non fit Plenum Seruicium de ea.*"

Orationem vero *Concede, quæsumus, misericors Deus.* quæ etiam in Processionum reditu ad Dñæ Nostræ Memoriam dicebatur (v. ad § 98, inter *Annotationes Longiores*) e Primis Dñicæ I post Trin. Vesperis complevi.

D.) In Commemorationem Plenam B. M. V. inter Octavam Epiphaniæ et Purificationem.

§ 136.) Quemadmodum in A et in Ed. nostra, sic et in L Officium hoc immediate post præcedens sequitur; quanquam in hoc MSto utrumque in alia Breviarii parte legitur: v. ad § 130.

Ideo autem **ab Oct. Epiph.**, non, quemadmodum in Officio Parvo, **a Nativitate,** denuo traditur Commemoratio Plena, quòd a Vig. Nativitatis usque ad Oct. Epiph. (ambabus diebus inclusive sumptis) Commemorationes Plenariæ non fiebant.

nulla enim Memoria fiat de Omnibus Sanctis] Scilicet, quia in Commemorationibus Plenariis *chorus regitur:* cf. ad § 118.

Ad Completorium *omnia fiant sicut in Dominicis hujus temporis,*] Hujus temporis Completorium est quod "*Compl. vj.*" in Psalterio vocatur: v. p. 102 *b*, cum correctione quam in Fasc. I, p. xxix, indicavi.

Ideo autem *sicut in Dominicis* dicitur, quia in *feriis* plerisque, *quando de feria agebatur*, ab initio *Precum*, i. e. a primo "Kyrieleyson." (p. 107 *a*) genuflectendum, et in iisdem Precibus Psalmus *Miserere* cum ℣lo præcedente et subsequente inserendus erat; quæ utraque in Dominicis, in festis, et in Commemorationibus omittebantur: v. pp. 107, 108.

Post "*hujus temporis,*" autem in L recte inseritur "*extra quod in fine "hymni dicetur* Gloria tibi, Dñe.": vide (ad § 124) penultimum paginæ liij paragraphum; ubi etiam post "Dñæ Nostræ", "vel in Dñæ Nostræ Officiis "dictorum" inserendum est.

Añam vero *Glorificamus te*, ex *Compl. xxij* (eodemque ultimo) complevi: v. (in Fasc. I) p. 107.

§ 137.) "In Nocturno," hîc et in § 147 om. L; in quo deinde: "*A.* "Benedicta tu. *Ps.* Dñe Dñs noster. *Et cetere añe cum suis psalmis, ut supra "in Sabbato prime ebdomade Aduentus Dñi*, usque ad nonam añam, que "erit* Post partum.† ℣*s.* Sancta Dei ge." Cf. ad § 126.

* In § 147 additum est "*dñr*". † In § 147 additum est "*Ps.* Cantate. *ij.*"

Digitized by Google

§ 138.) In L Lectiones sunt: 1. "Parturiente — et supernum largere-"tur[*sic*] affectum." 2. "Et natus — virginitas." 3. "Nam sicut — de femi-"nio[*sic*] utero nisi sine generante prodire." In quo ultimo loco, cum libri A et Ed. nostræ lectione facit, quod ex Ovidio sine præpositione laudatur, *matris utero prodire.*

In *Lec.* 1, — 1. **PARTURIENTE** pro *pariente*(a), vel *quum parturivisset*, dictum est. — 2. Pro "Et quod" Vulgata (S. Lucæ I. 35), "Ideoque et "quod".

§ 139.) de opere cur retractas?] *cur ab opere quoque credendo retrahis te?* — cf. quod ex Cicerone laudatur, *sive retractabis, sive properabis, moriendum est.* — Eodem fere sensu in Ep. ad Heb. (X. 38) legitur *subtrahere se*: "Justus autem meus ex fide vivit: quod si subtraxerit se (καὶ ἐὰν ὑποστείληται), "non placebit animæ meæ." ubi interpretes Anglicani, quod tam a Græco quam a Latino et Syriaco abest, "quis" subintelligentes, pro "but if he draw back", vel (quod Versio Duacensis habet) "but if he withdraw himself", subjectum mutantes reddiderunt, "but if "*any man* withdraw himself"(b).

§ 140.) In L Vli ad Tertiam et ad Sextam non indicantur; a Capitulis autem et Riis (vel ab his solis) Vlos quoque eosdem qui in ejusdem temporis Officio Parvo (v. § 134) esse intelligitur.

Ad Nonæ vero finem L addit:

"*Supradictus Ordo de Feriali Seruicio Sancte Marie et de Commemo-*"*racione eiusdem servetur usque ad Purificacionem.*" Cf. ad §§ 115 (p. xlvij et inter *Addenda*), 135, et 140.

E.) In Officium Parvum B. M. V. inter Purificationem et Adventum.

§ 141.) Etiamsi in libro unde L, vel hæc saltem ejus pars descripta est, hujus et sequentis Officii (v. § 146) tituli non iisdem omnino verbis quibus in A et in Ed. nostra scripti esse videntur, eorum tamen ita similitudo libri L librarium, vel qui librarium legendo adjuvabat, incautum fefellit, ut post prima tituli prioris verba pergamenæ commissa, statim in titulum posteriorem transiluerit, eundemque, (integro quod sectionibus 140 — 145 continetur *Officio Parvo* omisso,) cum duplici, ut sequitur, Purificationis mentione, *Commemorationi Plenariæ* quæ sectionibus 146 — 155 continetur præposuerit:

---

a) Cf. in Brev. Rom. Lec. 4 in Nativitate B. M. V.

b) *Per litteras* quidem *italicas* fideliter ipsi interpolationem indicaverunt; quam tamen neque *explicite* neque *implicite* in sancti scriptoris verbis contineri satis clarum est.

Digitized by Google

"¶ *Post Purificacionem, quando fit Plenum Seruicium de Sancta Maria "a Purificacione usque ad Aduentum Dñi, extra Tempus Pasche* [cf. ad "§§ 25 et 44], *hoc modo fiat Seruicium.*" (Plura in *Addendis*).

℟. *Felix namque* ex Assumptionis Officio et Pr. L (v. p. xlviij) complevi; ita tamen ut post "Gloria Patri, — Sp. S.", pro integro "Quia ex te ortus "est Sol Justitiæ, Christus Deus noster.", quod (ut lector videbit) in verbis "Quia ex te. Gloria. Quia." præscriptum erat, et quod etiam in Assumptionis Officio L habet, per incuriam ultima tantum verba "Christus Deus "noster.", quemadmodum in Pr. L, in libri L Assumptionis Officio, et in Breviario Romano([a]) fit, repetierim.

Pro "commemorationem" vero "Commemorationem" scribe, ut facilius sensu technico (v. p. xlv cum notula b) accipiatur.

Pro hac autem voce, in Assumptionis Festo "Assumptionem", in Romano Visitationis Officio (v. notulam a) "Visitationem", dicitur.

§ 142.) ℟*o.* Habitare] Sic hôc loco A; sed in § 96 (quam vide), "℟*o.* "Et habitare"; quod idem in supra (ad § 116, in notula g) memorati libri Constantiensis Officio Generali ad Laudes legitur.

In Brev. autem Romano pro Responsione hac, quæ tamen non eodem loco legitur, habemus: "In tabernaculo suo habitare facit eam."

De "*Ant.* O gloriosa Dei genitrix." v. ad § 115, p. xlviij.

"*In fine, Memoriæ de Sancto Spiritu,*" &c.) Ante has autem omnes faciendæ erant eæ Sanctorum Memoriæ quæ *ex Officio Diei* nonnunquam in hoc Officium Parvum transferebantur.

Sic autem transferebantur omnes ix lectiones non habentium Sanctorum celebrationes, quoties in Adventu, vel inter Caput Jejunii et aut Sabbatum Sanctum aut Dom. in Albis([b]), inclusive, cadebant; quoties etiam ob Ro-

---

[a]) In Visitationis Festo; nam in Assumptionis, ℟ium hoc septimum est, ideoque *Gloria Patri* non habet.

In supra autem (ad § 116, in notula g) memorato libro Constantiensi, post "Gloria Patri et Fi-", folium in cujus capite cetera sequebantur, ut alia non pauca, abreptum est.

[b]) In Calendario, in Pica de Hebdomada Septuagesimæ, et in hujus hebdomadæ Officio Dominicali, de *breviore* tantum tempore, in ejusdem vero hebdomadæ Officio Feriali, in Officio in Capite Jejunii, et in Tabula de Festorum Divisione (prope finem), de *longiore*, ut sequitur, sermo est:

Loco 1: "*A quarta vero feria in "Capite Jejunii usque ad crastinum "Oct. Paschæ neque servitium fiat "de festo iij lectionum neque Memo-"ria, nisi ad Vesp's et ad Mat's de "Sancta Maria tantum; quæ præce-"det Memoriam de Sancto Spiritu.*"

Loco 2: "*De festis iij lectionum "nihil fiat usque crastinum Octava-"rum Paschæ, nisi Memoria ad "Vesp's et ad Mat's de Sancta Ma-"ria, ante Mem. de S. Sp.*"

Loco 3. "*A quarta vero feria in**

* Sic corrigendum quod in A legitur "a".

Digitized by Google

gationum Feriam ij vel iiij, vel ob ejusmodi Historiam Dominicalem(c) quæ omitti non poterat, ideoque in casu necessitatis tribus Feriis assignatum erat, vel denique ob Defunctorum die Nov. 2. Commemorationem(b), in Officio Diei omittebantur.

In Adventu autem, quum inter iij lectionum in Officio Diei omittenda *festa* non computata sit S. Andreæ *Octava*, in ipso Sarisburiensi Calendario, præter SS. Saturnini et Sisinnii in ejusdem S. Andreæ Vigilia iij lectionum festum, quod aliquando intra Adventum cadebat(c), nihil aliud quod ita transferri poterat invenitur.

Ob hanc tamen ipsam translationem, præterquam quod aliæ in aliis Usum Sarisb. sequentibus locis Sanctorum celebrationes esse poterant, quod in § 117 legitur, "*statim dicitur Memoria de Sancto Spiritu*", *sub conditione* dictum habeatur oportet.

In Quadragesima vero, post Passionis initium ix etiam lectionum festa simplicia, et in ultimo triduo duplicia quoque omittebantur; ita tamen ut duplicia in loca commodiora transferrentur, in simplicibus, scilicet in S. Edwardi Regis et Martyris, S. Cuthberti Ep'i et Confessoris, S. Benedicti Abbatis, et S. Richardi Ep'i et Confessoris Depositionibus, celebratio a diebus Martii 18, 20, et 21, et Aprilis 3, in eorundem respective Sanctorum Translationes, scilicet in diem Junii 20, Sep. 4, Julii 11, et Junii 16, eâ lege differrentur, ut tres priores, si Passionis caussa priorem celebrationem amisissent, in celebratione posteriore ix pro tribus lectiones haberent; Sancti autem Richardi, — cujus festum prius in Hebdomadam Paschæ vel Tempus Paschale cadere, et in illo casu similiter omitti, in hôc in trium lectionum festum mutari poterat, — Translatio novem quidem esset lectionum festum, sed lectiones medias Sanctis Martyribus Cyrico et Julitæ impertiret.

De his igitur festis majoribus, quanquam ob Passionem loco suo omissis, non erat caussa cur in Beatissimæ Virginis Officio Parvo Memoria fieret.

"*Capite Jejunii usque ad crastinum*
"*Octavarum Paschæ, de hujusmodi*†
"*festis iij lectionum fiat tantum Me-*
"*moria ad Vesp's et ad Mat's de*
"*Sancta Maria; quæ precedet Mem.*
"*de S. Sp.*"

In quibus locis, si ut *in* Quadragesima, ita et *post* eam, non de Memoria in Officio Diei omittenda tantum, verum etiam de eâdem in Officio Parvo faciendâ agitur, idem *Pentecostali* quoque *Hebdomada* faciendum fuisse non improbabile videri potest.

De locutione vero *Oct. Paschæ* v. infra, p. lxiij.

c) I. e. Lectiones cum Responsoriis suis.

b) Quæ in Brev. Sarisb. *Officium de Die*, ideoque Commemoratio *Primaria* est: cf. ad §§ 115 (p. xlv, cum notula b) et 123.

c) Cf. (in Fasc. I) *Picam* de Adventus Hebdomada Prima.

† Non distinctive, sed abundanter, accipiendum est hujusmodi.

Digitized by Google

sicut in ij feria post Oct. Paschæ notatum est.] *Improprie* tantum Dominica in Albis *Paschæ Octava* vocari potest; nam per septenos tantum dies Paschæ et Pentecostes Festa continuantur.

Quod autem ad rem ipsam attinet*, — in Paschalibus de Omnibus Sanctis Memoriis quæ loco indicato, *usque ad Ascensionis tantum Vigiliam dicendæ*, inveniuntur, ad Mat's quidem dicitur prima, secunda, vel tertia, ad Vesp's autem ultima, ex antiphonis quæ in Apostolorum Communi (§ 5) Psalmis ad Laudes assignantur; ad utrasque vero, ℣ls qui ibidem ante Laudes legitur; cum Oratione sequente:

"*Oratio.* Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut in Resurrectione Dñi "nostri Jesu Christi Filii tui, cum Omnibus Sanctis percipiamus veraciter "portionem; Qui tecum vivit [*&c. ut* § 118]."

Ab Ascensionis autem Vigilia inclusive, tam ad Mat's quam ad Vesp's, dicebatur prima vel secunda ex supradictis Laudum añis, cum eodem ℣lo, et Oratione *Infirmitatem* (§ 135), vel "Vide Dñe [infirmitates nostras, et "intercedentibus Omnibus Sanctis tuis, celeri nobis pietate succurre. Per "Dñm *&c. ut* § 118]."

Quibus autem diebus hæc Memoria *in Servitio de Die* facienda, quibus *in Officium Parvum* transferenda fuerit, ad §§ 118 et 123 videri potest.

Quum vero rubricæ de antiphonis aliisque formulis cum *alleluja* in Tempore Paschali terminandis (v. p. xxxv) in Servitio *de Die* tantum valuerint, — quoties Memoria hæc in Officium Parvum translata erat, *alleluja* in aña et in ℣li Responsione omittendum fuisse videtur; — nisi forte Memoria ipsa, utpote ex Servitio Diei translata, ejusdem potius quam Officii Parvi regulas sequebatur. Quod, si de hac Omnium simul Sanctorum Memoria verum est, de singulorum quoque, vel quorundam, Memoriis, quæcunque similiter (v. supra, pp. lxj, lxij) ad Officium Parvum transferebantur, non minus verum esse potest.

Quomodocunque autem quoad has ex Servitio Diei in Officium Parvum *quibusdam tantum diebus* transferendas Memorias se res habet, alibi certe nihil *Tempori Paschali proprium*, quo hoc a ceteris anni partibus distingueretur, in Officio Parvo Sarisburiensi legitur; nam Orationis ad Completorium mutatio quæ (usque ad Vig. Ascensionis tantum) in § 145 præscribitur, non minus (ut ibidem videmus) in Adventu facienda est.

In hac autem parte multo certe felicius est Officium Parvum Romanum; in quo, etiamsi non aliter Paschale ab reliquo anni tempore distinguitur, ad *Magnificat* tamen, ad *Nunc dimittis*, et ad *Benedictus*, dicitur aña omnino paschalis,

* De qua cf. ad § 141, inter Addenda.

Digitized by Google

"Regina Cœli,* lætare, alleluja: "Resurrexit sicut dixit, alleluja:
"Quia quem meruisti portare, alleluja, "Ora pro nobis Deum, alleluja."

§ 143.) In Capitulo (ubi scribendum "[Eccl'i 24. A.]"), — 1. Vulgata (v. 11) "et in his omnibus" habet. — 2. "et dixit" (quod a Græco abest) pro "et locutus est" accipiendum. — 3. Pro "requievit in tabernaculo meo" Græcum (saltem ut nunc legitur) est "requiescere fecit tabernaculum me-"um"; *in eodem* scilicet *Ipse requiescens.*

Capitulum autem ipsum in Assumptionis et in supra (p. xlviij) memorato Devotionis Officio (in quorum priore ad Primam ut hîc†, in posteriore ad utrasque Vesp's, ad Laudes, et ad Tertiam dicitur) integrum invenitur.

§ 144.) Capitulum ad Tertiam (ante quod scribendum est "*Cap.* "[Eccl'i 24. A.]") in supra (p. xlviij) memorato Devotionis Officio et in Brev. Rom. (in quo ad Vesp's quoque dicitur) integrum invenitur.††

Capitula vero ad Sextam et ad Nonam in Assumptionis et in modo memorato Devotionis Officio, etiam in supra (ad § 116, in notula g) memoratis Horis Constantiensibus et Brev. Carth., integra inveniuntur. In Brev. autem Rom. ambo in unum conjuncta Cap. ad Sextam faciunt, et ad Nonam dicitur "In plateis sicut cinnamomum" &c. ut § 119.

et in parte Dei mei hereditas illius] In Græco, *ἐν μερίδι Κυρίου, κληρονομίας ἀυτοῦ*, (*in parte Dñi*, [*in parte*] *hereditatis ejus*,) si litteram unam omiseris, *in parte Dñi hereditas ejus*, habebis. In quo "ejus", ut quod in Vulgata legitur, "illius" (cf. ad § 54), — ad "populum honorificatum" referatur oportet.

In Fasciculo autem nostro scribendum est "in partes": hoc enim tam in Assumptionis quam in supra (p. xlviij) memorato Devotionis Officio, etiam in supra (ad § 116, in notula g) memoratis Horis Constantiensibus et Brev. Carth., scriptum invenitur; etiamsi pro vera loci *Biblici* lectione habendum est quod in Vulgata et in Brev. Rom. (v. supra) legitur, "in parte". Post lectionem vero "et in partes Dei mei", "extendit se", vel ejusmodi aliquid, subintelligi potest.

Ceterum in Vulgatâ, Capitula ad Tertiam, ad Sextam, et ad Nonam, versus sunt 14, 15, et 16 respective.

§ 145.) De Aña *Sancta Maria, succurre.* v. p. xlviij.

---

* Asteriscus, ut in añis Romanis passim, locum notat ubi añæ *inceptio* (v. Fasc. I, p. x, cum *Anni* 1855 *Addendis*) terminanda sit.

Notandum est autem, in Officio Parvo nullas, neque in Romano neque in Sarisburiensi Breviario, *duplicari* añas.

† Sic et in supra (ad § 116, in notula g) memoratis Horis Constantiensibus: in ibidem vero memorato Brev. Carth. ad Tertiam dicitur.

†† In supra (ad § 116, in notula g) memoratis Horis Constantiensibus folium in quo Tertiæ Capitulum scriptum erat abreptum est: de ibidem vero memorato Brev. Carth. v. notulam proxime præcedentem.

Digitized by Google

Añam *Cum jocunditate* ex Beatissimæ Virginis Immaculatæ Conceptionis Nativitatisque Officiis, in quibus 5ta ad Laudes est, — pro "Conceptio-"nem" vel "Nativitatem" "Commemorationem" substituto, — complevi.

Añа *Glorificamus te* in Beatæ M. V. Purif., Visit., Assump., et Nativ., etiam in Commemorationibus ejus Plenariis inter Purif. et Adv. extra Tempus Paschale occurrentibus, cum Psalmo *Nunc dimittis* dicitur: cf. (in Fasc. I) pp. 106, 107, et (in hôc) § 146.

In Sanctæ autem Crucis Exaltationis festo, quod in Beatissimæ Virginis Nativitatis Octavarum diem penultimum cadit, ita partim variabatur Officium Parvum, ut in singulas ejusdem Horas aliquâ saltem Octavarum Officii parte translatâ, Nativitatis celebratio, quæ in Officio de Die aliter quam per Memoriam ad Vesperas et ad Laudes fieri non poterat, minus interea suspenderetur. Hoc autem quomodo effectum sit, ex Proprio de Sanctis et ex Pica de priore Septembris dimidio discatur oportet(f).

In sequente vero rubrica, quæ in eodem Proprio de Sanctis, in Visitationis Officio, legitur, scilicet, "*Notandum est quod in festo* [*Translationis "et Ordinationis*] *S. Martini* [*die Julii* 4], *et in aliis festis novem lectionum "infra Octavas Visitationis B. V. M. contingentibus, dicuntur Vesperæ et "Mat'æ de Sancta Maria Virgine extra chorum, sicut extra Octavas ejus-"dem.*" (sic saltem B), pro "*extra chorum*" legendum videtur "*intra vel "extra chorum*": v. ad § 115, p. xlvj.

Cum hac autem sectione 145 terminatur Officium Parvum.

F.) In Plenam Dominæ Nostræ Commemorationem inter Purificationem et Adventum, extra Tempus Paschale.

§ 146.) De titulo in L v. ad § 141.

Completorium *Temporale*] Completorium quod secundùm anni tempus dicendum erat.

§ 147.) "In Nocturno," &c.) Vide ad § 137.

§ 148.) Sex hîc sequentes *Legendæ*, sive Lectionum triades, sub titulis, (1) "*Lecciones de Sancta Maria per Estatem*", (2) "*Item alie lecciones "de eadem*", (3) "*Item alie lecciones de eadem*", (4) "*Item alie lecciones*", "(5) *Item alie lecciones de eadem*", (6) *Item alie lecciones de eadem*", ita Præfixorum L initium (tres paginas et dimidiam) faciunt, ut in his Præfixis, præterquam quintæ, Legendarum ceterarum Lectiones breviores (cf. ad § 29) quam in A et in Ed. nostra inveniantur.

Quarum earundem Legendarum secunda, tertia, et quarta, sed ordine contrario, — et cum titulo "*Lecciones de Sancta Maria per Estatem*" quartæ,

f) Operæ pretium erit notare, in Nativitatis, non minus quam in Assumptionis Vigilia, sec. Usum Sarisb. *observandum fuisse jejunium.*

Digitized by Google

"*Item alie lecciones*" tam tertiæ quam secundæ (quæ sola hîc brevior quam in A et in Ed. nostra legitur), præmisso, — in iisdem Præfixis a manu recentiore scriptæ, folium undecimum et paginæ 23 initium occupant.

Quæ posterior ut a scriptura priore distinguatur, prior per indicationem *Pr. L* (Præfixa L) *priore loco*, sive "Pr. L 1", posterior per *Pr. L posteriore loco* sive "Pr. L 2", laudari potest.

In L autem ipso duas tantum hôc loco Legendas habemus; sed in inferiore ejusdem paginæ margine in qua posterior terminatur, rubro additum legitur: "*Require alias lecciones de Commemoracione Beate Marie in "principio libri.*" i. e. *in Præfixis.*

Duarum autem quæ in hujus libri textu hôc loco inveniuntur Legendarum (quanquam hæc designatio tam a textu quam a Præfixis abest), prior, (quæ, præterquam quod brevior est, cf. ad § 29, cum prima nostra concordat,) ut nostra, sine titulo, posterior, (quæ in priore tantum parte cum quintâ nostrâ eadem est,) per titulum "*Alie lecciones per Estatem*", infertur.

Quod autem ad titulos supradictos, et præsertim ad locutionem "*per "Æstatem*" in iisdem et in Legendarum nostrarum titulo secundo occurrentem, attinet, — quum *Æstas* (si consuetum ejus sensum volumus) hebdomadas inter Tempus Paschale et Adventum positas significet, — ita per Legendarum harum titulos res ordinata esse videtur, ut inter Oct. Epiph. et Caput Jejunii semper Legenda I, post Pentecosten vero omnes sex, suis singulæ hebdomadis, per ordinem dicendæ fuerint.

Si quis autem in Commemorationibus inter Oct. Epiph. et Caput Jejunii occurrentibus Lectiones semper easdem fuisse minus libenter credat, ideoque hanc quoque anni partem, ob Officiorum similitudinem, sub *Æstatis Marianæ* titulo inclusam esse malit, — secum reputet, primo quidem, quam parum tempus hoc *æstivi* nomen mereatur, deinde vero Lectiones, in Officio Parvo per veram quoque Æstatem, in ceteris Commemorationibus per totum annum, invariabiles fuisse.

In primæ Legendæ Lec. 1, L et Pr. L (v. supra) in periodo prima "es", in secunda "ergo" omittentes, ambas, etiamsi ut duas nobiscum *scribunt*, quoad sensum in unam conjungenda relinquunt; nisi forte in prima nonnulli invocationem indicativam intelligere malent.

Hujus autem Legendæ Lectiones tam in textu quam in Præfixis L iis breviores sunt, ut prima per "pietatis", secunda per "actenus mentiti su- "mus", tertia per "ostende" (in Pr. L "nobis ostende") terminetur.

Pro "aurem" Pr. L "aures"; pro "quidem" L "siquidem"; pro Beata "Virgo" Pr. L "Beata Maria", L autem ipse "Beata Virgo Maria"; pro "Redemptoris — cernis — Conditoris", male L "Conditoris — sernis —

Digitized by Google

"Conditoris". (Ubi de "sernis" notari potest, culpas tales, quæ jam in L et Pr. L hîc illîc occurrunt, pronunciationem hodiernam, qua ante E et I C ut S profertur, satis apud nostrates antiquam probare videntur.)

In posteriore vero Lectionis 2 parte, "consequitur" sensu passivo capiendum, et "certamen orationum" est *quod orationes impetrare certant.*

§ 149.) De libri L Legenda secunda v. ad § 152.

In Pr. L 1, hujus Legendæ Lectiones initia quidem cum nostris, fines vero ad verba "dignitatem.", "violaret.", et "pietatis." habent.

Contra in Pr. L 2, prima et secunda (hæc cum "Cui novo" incipiens) prima sunt nostra, tertia (usque ad "potencia Creatoris [*sic*].") secundæ nostræ est initium.[a])

In Lec. 1. pro "singulari privilegio" Pr. L in utraque scriptura "privile-"gio singulari".

Ibid.) comparem] Sic recte Pr. L 1 et 2: in A male "comparere".

Ib.) quod absit] *de quo absit ut cogitemus.*

Ib.) quod — sacrificium obtulit.] *sacrificium quod — obtulit.*

§ 150.) De verbis "*per Æstatem*" v. ad § 148.

In Pr. L 1, Lectiones, (quæ se mutuo sine intervallo excipiunt,) ad verba "invenit.", "reconsiliacionis." (*v. infra*), et "sexu." terminantur: in Pr. L 2, ut supra dictum est, hæc et sequens Legenda integræ inveniuntur.

Lec. 1.) "O Beata Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum et lau-"dum præconia impendere; quæ singulari tuo assensu mundo succurristi "perdito?")) In Pr. L 1, pro "singulari tuo assensu", "t. s. a."

De hac autem exclamatione R. P. Rothaan, ultimus Societatis Jesu Præpositus Generalis, in præclaris ad S. P. Ignatii *Exercitia Spiritualia* Annotationibus, "Nos vero merito cum Ecclesia illis S. Augustini verbis "B. Virginem compellamus: *O Beata Maria, quis tibi digne valeat jura "gratiarum ac laudum præconia rependere; quæ singulari tuo assensu "mundo succurristi perdito?*" (Ad Med. de Incarn.)

Ibid.) Pro "persolvat" Pr. L 1 et 2 persolvet".

In eadem Lectione, Beatissimæ Virginis *commercium*[b]), primo quidem de fœdere inter Deum et genus humanum per eundem illum *assensum singularem* inito intelligendum, per quem, cum *gladio suam ipsius animam transfixuro* (S. Lucæ 2. 35), summum sibi (ut soli neque per originale neque per actuale peccatum maculatæ) munus oblatum, — non ut ambitiosa, sed ut humilitate perfecta, ideoque voluntatem propriam voluntati divinæ omnino deditam et prorsus in unum conjunctam habens, — accepit, atque ita

[a]) Ex verborum ipsorum variationibus eas tantum profero, quæ aut auctoritate duplici nituntur, aut alias notatu digniora videntur: cf. ad § 29.

[b]) Cf. ad § 152, in Lec. 2 ex L.

Digitized by Google

mundo perdito succurrit; deinde vero de hinc secuta Dei Conceptione, totoque Deiparæ Matris, a Deo dato, ab ipsa præstito Officio, per quod nobis, Ipso ita disponente, datus est Redemptor.

Ibid.) In "quascunque exiles, et quascunque" Pr. L 2 "et", Pr. L 1 "et "quascunque", omittit.

Lec. 2.) Pro "reconciliationis" Pr. L 2 "reconsiliacionis", Pr. L 1 "tue "reconsiliacionis". Sic in § 57, L "reconsiliacio" habet.

Ibid. ingerimus] *inferimus:* scil. *ad Deum.*

Ib.) sit impetrabile] Pro "sit" Pr. L 1 et 2 "fiat".

§ 151.) In Pr. L 1, Lectiones 1 et 2 prima sunt nostra, tertia verbo "dignissimis" terminatur: in Pr. L 2 Lectiones nostræ, ut supra (ad § 148) dictum est, integræ inveniuntur.

In Lec. 1, pro "quæ ejus" Pr. L 1 "quia ejus".

Ibid.) Nam — exhibetur] In Pr. L 1, "Nam et reuerencia que Matri debe- "tur, illi eciam sine dubio qui eam fecit talem ut Virgo et Mater esset "exhibetur."

Ib.) Ideo ergo] *Ob hanc igitur causam;* sed Pr. L 1 om. "ergo".

Ib., pro "èt Filium" Pr. L 1 et 2 "Filium q."*

Ultima ejusdem Lectionis verba "dum per Spiritum Sanctum Dei Fi- "lium concepit" om. Pr. L 2.

Lec. 2.) ut — celebretur — ei] *ut in ejus honorem celebratio fiat;* sed in Pr. L 1 et 2 "ei" subauditur.

Ibid., pro "salutavit" Pr. L 1 et 2 "salutans honorabat".

In Lectionis 3 initio, pro "tamque" A, pronunciationem magis naturalem exhibens, "tanque".

In ejusdem Lectionis fine, post "purget" Pr. L 2 inserit "nos".

Tu autem, Dñe, miserere nostri. Deo gratias.] Non "*in audientia*", sed *privatim* tantum, in Officio Sarisb. post *Tu autem* addebatur "Deo gratias.": v. Pr. de T. Adv., p. 5 *b*, cum annot.

§ 152.) Cum hac Legenda, ut supra (ad § 148) dictum est, partim concordat ipsius L Legenda posterior, quam hîc, in lectoris commodum, exscribo:

"*Lec. j* [ex prima nostra et 2da initio constans]. Loquamur, fratres "karissimi, aliquid(1) in laudibus sacratissime Virginis Marie. Sed et "[Cum A et Pr. L legendum "Sed quid] nos tantilli, quid accione pusilli, "in(2) ejus laudibus referamus(3); cum et si(4) omnium nostrum membra

---

* Conjunctio "que" in Præfixis L ut in ejusdem libri textu scriptum invenitur: v. ad § 16 inter Addenda et Corrigenda.

1) In Pr. L, "Loquamur ergo, fratres, aliquid". 2) Sic et in Pr. L: in A "quid in". 3) Sic et Pr. L: in A "referemus". 4) In Pr. L, "quoniam si"; in A "cum etiam si".

Digitized by Google

"verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Alcior (5) celo est(6) "de qua loqui nitimur, abisso(7) profundior cui laudes dicere cupimus(8). "℟. Sancta et immaculata [§ 148].

"*Lec. ij* [quæ, cum tertiâ, in Legendis nostris non invenitur]. Sed quo- "niam hec est Virgo que sola interemit universam hereticam pravitatem, "sola sit post Deum que nos confirmet in omni veritate, suisque commen- "det meritis, et precibus auxilietur, ut ipsi [*i. e., si nihil omissum est*, nos] "digni inveniamur in ejus laudibus. Merito itaque Beata Maria singulari "preconio a nobis extollitur, que singulare commercium [*v. ad* § 150] pre- "buit mundo. ℟. Beata es [§ 148].

"*Lec. iij.* Sed quid dicamus, o Dña, cum de te quicquid dixerimus minor "est laus quam dignitas tua meretur. Si Celum te vocem, alcior es. Si Ma- "trem dicam Gencium, precellis. Si Formam Dei appellem, digna existis. "Si Dñam Angelorum vocem, per omnia esse comprobaris. ℟. Felix nam- "que [§ 148]."

In ejusdem vero libri *Præfixis* Legenda V, ut supra (ad § 148) dixi, cum nostra ét, præter verborum variationes, eadem est, èt eodem modo divisa legitur. Quod autem ad verborum variationes attinet, post eam Legendæ partem quæ in textu L Lectio est prima (de qua v. ad præcedentis et ad hujus paginæ calcem), in iisdem Præfixis habemus, "Deum enim — ipsa in im- "maculato utero — Mater esse, et Sponsa Christi vocari. — Mater enim ge- "neris [pro quo A "genetis] nostri penam intulit mundo: genitrix Christi "Dñi Nostri salutem edidit mundo. — Maria sanando profuit. — ineffabili "modo — peperit Salvatorem."

§ 153.) In Præfixis L *Lec.* 1 est: "Beata — Mater est — de tribu — "Jherusalem(a) — Sanctispiritus(b) sacrarium." *Lec.* 2: "Virgo sancta, Virgo "prudens, Virgo pudica; — Ad obediendum parata, ministerio — atque a "Sanctospiritu(b) fecundata, et ab eodem obumbrata." *Lec.* 3: "Autor(c) — "potavit [pro quo male A "portavit] — frondet frondes, frondes q' [v. ad "§ 151] eius — Hec enim operante prouidencia, ex radice viciata sine uicio "prodiit Uirga, que intelligitur beatissima Virgo Maria. Tu autem, Dñe, "miserere nostri."

Ceterum, ut alibi in hoc MSto Præfixorum cum textûs sive orthographia sive cacographia fere semper concordat, sic et in hac ultima Lectione, præter *ci* pro *ti* (v. ad § 3), "orbemterrarum", "cotidie", et "pulcra" habemus.

In sequentibus vero, — 1. post "posita", si non omittendum "atque",

5) In Pr. L, ut in A, inserium est "enim". 6) In Pr. L, "est illa". 7) Sic et in Pr. L. 8) In Pr. L, ut in A, "conamur".

a) Vide ad § 3, cum notula ad paginæ calcem. b b) In A quoque frequenter in unam vocem conjunctum occurrit "Spiritussanctus". c) Supra tamen, in Legendæ V Lec. 3, "auc- "trix" utroque loco in his Præfixis invenitur.

Digitized by Google

"est" aut inseratur aut saltem subaudiatur oportet. — 2. in "quæ Dñm pe- "perit" melius, ut videtur, omitteretur "Dñm".

§ 154.) *Ant.* O gloriosa Dei genitrix.] "Dei", per incuriam, om. A.

De Prima autem et Horis Brevibus, in eundem sensum cum A et Ed. nostra, L: "¶ *Ad Primam et ad alias Horas, añe, psalmi, et ℟ia, et ℣li, si-* "*cut ante Purificationem, cum hac Oratione* [*ad Tertiam, Sextam, et No-* "*nam*], Concede nos, *dñr. Ad iij, Cap.* Ab inicio et. *Ad vj, Cap.* Et sic in "Syon. *Ad ix, Cap.* Et radicavi in."

G.) In Plenam Dominæ Nostræ Commemorationem in Tempore Paschali.

§ 156.) In *Officio Parvo*, præter *Memorias* quæ, *quibusdam tantum diebus*, in idem *ex Officio de Die* transferebantur, nihil in Brev. Sarisb. Paschali Tempori proprium invenitur: v. ad § 142, pp. lxiij, lxiv.

Commemoratio autem *Plena*, ut omnes cujusvis generis Sanctorum celebrationes, ab Officio *de Die* in ipsis quidem Paschæ et Pentecostes Hebdomadis excludebatur, in singulis autem interjacentibus hebdomadis ita admittebatur ut, — quum ab Rogationum Feriis ij et iiij, ab integra Ascensionis Octava, et a Vigilia Pentecostes excluderetur, — in penultima et ultima uno tantum die locum habere posset, ideoque si in hunc diem festum *cum regimine chori* incidisset, omitteretur.

In L autem Commemoratio hæc ad primæ post Paschalem hebdomadæ finem, ubi in A rubrica tantum, invenitur: cf. ad § 126.

nisi quod in fine hymni dicetur Quæsumus, Auctor. *et* Gloria tibi, Domine, Qui natus.] Hæc duo tetrasticha non in hôc tantum hymno, sed, — præterquam in hymnis "Chorus novæ Hjerusalem" et "Impleta sunt quæ "concinit", quorum ille in Dominicæ in Albis, hic in Sanctæ Crucis Inventionis, Vesperis Primis dicebatur, — in omnibus ejusdem metri, i. e. in omnibus quorum typus metricus (v. ad § 2) *Iambicus Dimeter Acatalecticus* erat, Tempore Paschali *ante Ascensionem* occurrentibus hymnis, in Officio *de Die* doxologiæ loco dicenda erant.

A primis vero Ascensionis Vesperis inclusive usque ad Vig. Pentecostes exclusive, ea duo dicebantur, quæ, in ejusdem temporis usum parata, in Apostolorum Communi (§ 2) inveniuntur.

§ 157 et 158.) Lectiones nostræ, tam prima, quæ Euangelica tantum verba continet, quam duæ sequentes, quæ eorundem Expositionis Augustinianæ pars sunt, in B. Augustini Tractatu 119(1) in Joannem, aliquanto post initium, eodem quo in A et in Ed. nostra ordine se mutuo excipiunt; ideoque fortasse, quanquam Lec. 1 sec. Usum Sarisb. Paschalium, tam

1) In Brev. Rom. Venetiis A. D. 1746, et Brev. Bened. Campidonæ A. D. 1718 impresso, male "110".

Digitized by Google

Hebdomadalium quam *Quotidianarum* (v. ad § 115, p. xlvij), Dñæ Nostræ Missarum est Euangelium, contra tamen morem consuetum hoc *integrum* pro Lectione integra, et tam hoc quam Expositio *sine titulo*, legitur.

In supra autem (ad § 116, in notula g) memorato Brev. Carth., quemadmodum etiam in Brev. Rom. hodierno, Euangelium hoc cum Expositione sua, — quæ tamen in hoc Brev. Carth., etiamsi in quattuor Lectiones divisa(2), cum verbis "infideli deterior." terminatur, — Tertii in B. M. V. Compassionis Festo(3) Nocturni pars est; ita tamen ut *ante* Expositionem in utroque libro Euangelium more consueto incipiatur, *post* eam, in libro Carth. idem, sec. Brev. hujus morem, integrum repetatur, in Brev. Rom. Lec. 9 de Feriæ occurrentis Homilia legatur.

Pro Euangelio autem in Vulgata "Stabant autem(4) — dicit — dicit — "in sua." legitur; unde, quod non modo idem Brev. Carth., verum etiam L(5) et ipse textus Græcus habent, in Ed. nostram introducendum "dicit — dicit"; quanquam cum A (quem ego secutus eram) facit Missalis Sarisburiensis exemplar quod solum mihi nunc adest.

Lectionem vero "in suam" ceteri omnes modo memorati libri, tam L quam A, tam Missale Sarisb. quam modo memoratum Brev. Carth., contra Vulgatæ "in sua" tuentur. Etiamsi vero Græcum (εἰς τὰ ἴδια) utroque modo reddi potest, quanto se melius habeat versio "in sua", ab Expositionis nostræ continuatione, — cujus pars prior in Brev. Benedictino hodierno Lectionem undecimam facit(6), — nemo erit qui non facile videat.

Pro Expositione vero in L habemus, 1. "*Lec. ij.* Hoc [legendum "Hec] "nimirum est illa hora in qua [legendum "de qua] Jesus aquam conversu- "rus in vinum dixerat Matri sue, Quid michi et tibi, mulier? non dum venit "hora mea." 2. "*Lec. iij.* Hanc itaque — non dum venerat; in qua deberet "agnosce[re] moriturus in qua — velud [cf. ad § 33] incognitam repel- "lebat."

Unde certissime "repellebat", — quod præter L, supra quoque memoratum Brev. Carth., Brev. Rom. hodiernum, et ipsa S. Augustini Opera, tam in Ed. Bened. (Antwerpiæ A. D. 1700 emissâ) quam in anni 1664 Ed. Lugdu-

2) In hoc scil. Breviario Nocturni singuli, si tres fiunt, præter ipsa (si adsunt) Euangelii verba, quattuor (sed breves) habent Lectiones; ita tamen ut ab hac regula Tridui ante Pascha et Defunctorum excipiantur Officia; in quibus, ut in Sacerdotum Sæcularium Breviariis, Nocturni singuli tres tantum lectiones habent.

3) Quod in eodem Brev. Carth. Sabbato ante Dom. in Ramis Palmarum sedem propriam habet; sin autem in hunc diem Annunciationis Festum inciderit, in primam hebd. proximæ feriam vacantem cum integra sollemnitate sua transfertur; — in Brev. Rom. Feriâ vj ante eandem Dom. quoties non altioris ritus festo impeditur, aliàs vero Sabbato supradicto, si non similiter impeditur, locum habet.

4) Sic et S. Aug. Operum Ed. Bened: in Lugdunensi vero (de ambabus v. hujus p. parag. ult.), etiamsi textus idem habet, Castigationes tamen 'ex MStis omnibus et Græco '[de quo errant], consentientibus Brev. Lu-'leliensi et Alcuino,' "Stabant" legere jubent.

5) In quo ante "soror" omissum est "et".

6) Ubi Lec. 12 de Feria est: cf. parag. 2, et quae de Brev. Carth. in notula 2 dicta sunt.

Digitized by Google

nensi habent, — in Ed. nostram per textus correctionem introducendum est.

Quod autem ad ceteras verborum in Expositione variationes attinet, in ultima Lectionis 2 periodo, (quæ in Brev. Rom. hodierno, etiam in Brev. Benedictino Campidonæ A. D. 1718 impresso, omissa est,) pro "Tunc vero", cum libro Carth. et ambabus supra memoratis S. Augustini Operum Edd. "Tunc enim" scribendum est.

In ultimis vero ejusdem periodi verbis, "quem Maria pepererat pendebat "in Cruce", etiamsi Editores Benedictini pro "quem" "quod" in textum ad miserunt, nihil tamen (saltem in hac Breviarii Sarisb. Editione) mutandum; nam, — præterquam quod supra memoratum Brev. Carth, "quem" habet, et quod supradictæ Ed. Lugdunensis Editores (Theologi scil. Lovanienses), etiamsi in *Castigationibus* omnia MSta sua "quod" habere dicunt, in textu tamen "quem", in margine "*al.* quod", ét jam posuerant èt mutari non jubent, — quicquid in "quod" salvâ Ecclesiæ fide intelligitur, idem per "quem" (subaudito, ut cum "quod", *ut*: "*ut* quem Maria pepererat") clarius et pulchrius exprimitur; contra vero, minus rem solide ponderanti "quod" ideo introductum videri posset, ut, — quæ ne in contemplatione quidem omnino unquam voluntarie obliviscenda est, — ea tam nascentis quam crucifixi Dñi Nostri reipsa excluderetur Deitas.

De reliquis autem ut in ordine loquar, supra quidem, pro "agnoscere", modo memorata Ed. Lugd. et liber Carth. "agnosci ab ea" habent; in tertia vero Lectione sequentia notari possunt:

MORALIS — insinuatur locus] Ethices suggeritur punctum.

Post "suos" Brev. Rom. "ministros" inserit; quod Ed. Lugd. a MStis suis abesse notat, Ed. Bened. et supra memoratum Brev. Carth. cum A et textu nostro omittunt.

instruxit] Post "insinuatur" melius, ut videtur, cum modo memorato Brev. Carth. legeretur "instruit": saltem in lectione altera rectius *perfectum* (*δεδίδαχε, has taught*) quam *aoristus* (*ἐδίδαξε, taught*) intelligi videtur.

Pro "erant fixa" Brev. Rom. "fixa erant". Cum A et Ed. nostra concordant tam liber Carth. quam ambæ ipsorum S. Augustini Operum supra memoratæ Edd.

Pro "fieret" Brev. Rom., liber Carth., et eædem S. Aug. Edd. fuerit".

Pro "doctrina sana" Brev. Rom. et eædem S. Aug. Edd. "sana doctrina".

Pro "negat" Brev. Rom., liber Carth., et S. Augustini Operum Ed. Bened., cum Bibliis ipsis, tam Græcis quam Latinis, "negavit": — in Editionis Lugd. textu *idem*, in margine vero "*al.* negas" (legendum "*al.* negat"), et postea in *Castigationibus*, "*MSta omnia* negat", invenitur.

Digitized by Google

In Bibliorum autem Versione Vulgata versus integer (Ep. I ad Tim., V, 8) est: "Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non ha-"bet, fidem negavit, et est infideli deterior."

Pro "ipso" scribendum (quod cum interrogationis nota inter uncinos apposueram), "seipso": hoc enim tam in ambabus S. Augustini supra memoratis Editionibus (in Ed. Bened. "se ipso"), quam in Brev. Rom., (liber Carth. ad "deterior.", ut supra dictum est, Expositionem suam terminat,) invenitur.

§ 159.) Pro hâc sectione L sequentia tantum habet:

"*Omnes añe et omnia* R̃ia *terminentur cum* all'a. *Cetera omnia fiant si-*"*cut in Oct. S. Stephani* [v. ad § 130] *supradictum est. Ita tamen quod in* "*fine omnium ympnorum dicetur Versus* Quæsumus, Auctor. *cum Versu* Gloria tibi, Domine, Qui natus."

De his vero duobus tetrastichis in ultimæ ante Pentecosten hebdomadæ Commemoratione mutandis v. quæ supra ad § 156, parag. ult., collato secundo, dicta sunt.

Quod autem harum in Beatissimæ Virginis Officia annotationum finis sit, quum hujus Fasc. textum typis mandarem, Officia hæc, — ut supra (p. xlvij cet.) dixi dispersa, — Dedicationis Officium (v. ad § 93), et Benedictiones ad Lectiones (v. ibid.) in L inveniri, aut non notaveram aut oblitus eram.

5. In Commemorationem (sive Officium Hebdomadale) Sancti Ceddae Episcopi.

§ 160.) De S. Cedda et de Officiis ejus in genere, vide ad § 98, pp. xxxiij — xxxv.

In añia super psalmos, "est" ex Sancti nostri Depositionis Officio (v. ad § 98, p. xxxvj) inter uncinos restitui. De *quattuor* autem *fratribus* v. (ad eandem sectionem) p. xxxiij.

De añia ad *Magnificat* v. ad § 98, p. xxxvj.

Oratio hæc, cum "beatissimi" pro "Beati" et "censeamur" pro "sortiamur", Depositionis quod in L et Pr. L habetur Officii (v. p. xxxiv) est Oratio; ita tamen ut in Præfixis, post "Deus qui", per errorem insertum sit "es".

In libri autem A Depositionis Officio, pro "ut intercessione Beati Ced-"dæ Episcopi, in sorte justorum, tua opitulante pietate, sortiamur", "ut "omnes qui eorum implorant auxilium, petitionis sue salutarem consequan-"tur effectum" habetur. — Cum "sortiamur" vero subintelligendum est *partem nostram.*

§ 161.) De Invitatorio et primis tribus Antiphonis v. ad § 99.

In *A.* 4, pro "Postes Agni sanguine templi tunc linivit" i. e. *Templi* (spiritualis) *postes Agni sanguine tunc linivit*, in Depositionis Officio, in A

Digitized by Google

quidem "Hostes Agni sanguine fuos[lege "suos] tunc linivit", i. e. *Hostes suos Agni sanguine tunc linivit*, in Pr. L autem idem habemus quod in hoc Commemorationis Officio ex A exscriptum legitur. — Cf. autem Exodi XII; 7, 13, 22, 23.

In *A* 6, "sic" per *similiter* explicari potest; "corpus" autem pro *mente corporali*, cui opponitur *mens spiritualis*, positum est.

In *A*. 7, lineæ 1 ordo naturalis est: "Ab habenis mortis mortui exci- "tantur"; quod ipsum in Depositionis Officio apud A, non item apud Pr. L, melius legitur.

In *A*. 8, "Et curatis languidi dum congratulantur,
"Suis a languoribus statim liberantur.",
A, hôc quidem loco "curati languidi", in Depositionis autem Officio "cura- "tis languidis"; unde lectionem veram eruere haudquaquam difficile erat. — In Pr. L, post "curati", ut videtur, "languidis".

In *A*. 9, pro "pulvere", quod recte in Depositionis Officio habet A, idem hîc "pulveri". — In Pr. L, "Aquæ [*in dativo*] mixti pulueres".

§ 162.) Temporibus igitur Oswi Northan-himbrorum Regis] S. Oswaldo, Northumbriæ ab A. D. 634 ad annum 642 Regi, et *Bretwaldæ* (sive Anglorum plerorumque Duci) *sexto*, successit frater ejus Oswi, ab anno 642 ad annum 670 Northumbriæ item Rex, et *Bretwalda septimus*.[a] Post Oswium vero regnavit filius ejus Egfridus; cui, a Pictis anno 685 victo necatoque, successit frater ejus major, sed nothus, Aldfridus; de quo v. infra pp. lxxv, lxxvj.

in Lindisfernensi insula] Meliùs cum *a* in syllaba tertia, ut in Depositionis Officio tam A quam L, quanquam male ille "Lindiffarnensi", hic "Lindistarnensi insusa", habet.

Nequaquam vero in hac insula situm erat Monasterium Lestingay, seu potius *Læstingæu*; de quo in S. Bedæ Operum Ed. nova Parisiensi (v. infra, notulam b), ad Hist. Eccl. (Gentis Anglorum), lib. III, cap. 23, annotatio sequens, sine auctoris nomine, legitur:

"*Læstingæu*] Hujus Monasterii, non minus quam conditoris, patria "diu quæsita fuit: Alfordus eam in agro Eburacensi primum, deinde in Ori- "ent. Saxon., tandem in Nordanhymbrorum Provincia invenit; revera "nullibi. Sed jam non amplius dubitatur quin Lestinghamiæ fuerit, non "procul a Streanæshalch. Dugdalius locum in suum Monasticon inseruit; "sed in eo nihil additum huic Bedæ capiti."

De *Alfordo* v. ad paginæ xxxvij calcem: "Streanæshalch" vero, — ut ad proximum S. Bedæ caput, in annotatione similiter anonyma, docemur, — "est *Whitby*, agri Eboracensis portus".

---

a) S. Ædilberctus (alias Ethelbertus), Cantiæ Rex, sub quo S. Augustinus Angliam venit, *Bretwalda* erat *tertius*.

Digitized by Google

Quid autem Læstingæu cum insula Lindisfarnensi commune habuerit, ex eodem ipsius Ven. Bedæ loco discimus, cui modo exscripta annotatio appensa est; in quo de S. Ceddo, S. Ceddæ fratre (v. supra p. xxxiij), legimus: "expleto studio jejuniorum et orationis, fecit ibi Monasterium "quod nunc Læstingæu vocatur; et religiosis moribus, juxta ritus "[*al.* ri-"tum] Lindisfarnensium ubi educatus erat, instituit."

"Tubâ "[*legendum* Tudâ]," *&c.*)) Northumbrorum Episcopi Scotti et Scotticum sive Britannicum Pascha observantes erant, 1. S. Aidanus, per septendecim, 2. Finanus per decem, 3. Colmannus per tres annos. Quum vero, in Synodo quæ in Monasterio Strenæshalch (*Whitby*) habita erat, — audito tam Colmanno pro suo quam S. Wilfrido pro Paschâ Alexandrino, quod cum Roma vel post Romam plerique omnes jam acceperant, — Rex Oswius (v. supra, p. lxxiv) *orbis* quam Scottico Paschæ adhærere maluisset, Colmannus, "adsumptis his qui se sequi voluerunt, id est, qui Pascha Catholi-"cum et tonsuram coronæ [Romanam scil. et Anglorum], nam et de hoc "[negotio scil.] quæstio non minima erat, recipere nolebant, in Scottiam "regressus est, tractaturus cum suis quid de his facere deberet." Hist. Eccl. S. Bedæ; III, 25, 26. — De Hiensi vero Monasterio, quod Monachorum Scotticorum caput erat, ad Pascha Catholicum feliciter per S. Egbertum postea converso, v. ad § 100, in notula *f*.

Regresso autem Colmanno, Episcopus pro eo factus est supradictus Tuda; qui tamen eodem anno (Computationis nostræ 664) longe lateque grassante peste de mundo raptus est. (S. Beda, ibid. capp. 26, 27.)

"Egfridus "[*legendum*, Alchfridus], Oswi Regis filius," *&c.*)) In S. Bedæ Hist. Eccl., lib. III, prima capitis 28 periodus est: "Interea Rex Alchfrid "misit Uilfridum Presbyterum ad Regem Galliarum, qui eum sibi suisque "consecrari faceret Episcopum "[DCLXIV]."

De Alchfrido autem in eadem Ed. Parisiensi unde hæc omnia exscribo, annotationes sequentes (item anonymas) habemus:

1. Ad locum modo laudatum: "Cui pater Osuius [v. supra, p. lxxiv] Pro-"vinciam Derorum [*aliàs* Deirorum] sub se regendam dederat."

2. Ad lib. V, cap. 19: "Hunc auctores confundunt cum Aldfrido. [Sic "Alfordus, loco mox laudando, capp. 5 et 7.] Sed eorum nomina plane sunt "diversa. Hic etiam fuit filius Oswii legitimus, et vivo patre mortuus est; "Aldfridus vero, putaticius [nothus], post Ecgfridum fratrem regnavit. Hic "Uilfridum habuit Magistrum, [eidemque amicissimus fuit:] Aldfridum Hi-"berni Doctores erudiebant [erudierunt]."

Aldfridus scilicet, post patris mortem, quum optimatum factio hostili in eum animo esset, sive vi pulsus, sive indignationi cedens, in Hiberniam se contulit; ubi "ét ab odio germani tutus, èt magno otio literis

Digitized by Google

"imbutus, omni philosophia" per quindecim annos composuit animum(b). Unde etiam, quum Egfridus quoque, frater ejus ætate quidem minor, jure vero major, jam mortuus esset, ab iisdem revocatus quorum antea animo hostili cesserat, "per decem et novem annos [ab A. D. 686 ad annum 705] "summa pace et gaudio Provinciæ præfuit; nihil unquam præter in per-"secutione magni Wilfridi quod livor edax digne carpere posset admit-"tens." Ita Malmesburiensis apud Alfordum (partim etiam Alfordus ipse), in Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ Annalibus (v. supra, ad paginæ xxxvij calcem), sub anno 686, capp. 5, 6.

De ejusdem vero Regis morte, quæ mox post inobedientiam erga Apostolicas de S. Wilfrido litteras exhibitam, non tamen sine pœnitentia vehemente, secuta est, — ipsius quoque Malmesburiensis verba, — in iisdem Annalibus, sub anno 705, capp. 1 — 4, vide.(c)

De ipso autem S. Wilfrido et persecutionibus ejus vide eosdem Annales, vel S. Bedæ Hist. Eccl., vel denique Hagiographos. Colitur autem nunc die Oct. 12 (v. Missalis Romani Supplementa Anglicum et Hollandicum); qui tamen nequaquam *Depositionis* ejus, sive obitûs, quod quidam errantes posteris tradiderunt, sed *Translationis* est dies: vide Bollandistas ad Aprilis 24tum, verum Depositionis ejus diem(d).

---

b) Ab S. Beda (Hist. Eccl. III, 26) "vir in Scripturis doctissimus" appellatur.

c) Etiamsi responsi regii interpretatio Alfordiana fundamento parum firmo niti videtur, notatu tamen dignum est quod ibidem Alfordus merito culpat, *Antiquitatum Britannicarum* auctorem Matthæum Parkerum, quum inter *Antiquitates* suas et inobedientiam Regis et mox secutam mortem posuisset, ejusdem tamen pœnitentiam omisisse.

d) Error autem verbis quibusdam quæ in S. Bedæ Hist. Eccl. V, 20 legebantur confirmari videbatur. "Verùm ea verba, *IV Idus Octo-"bris*," dicunt Bollandistæ, "desunt "in MSto codice Parisiensi Monaste-"rii S. Germani de Pratis et Alfredi "Regis Versioni Saxonicæ [legen-"dum "Versione Saxonica]; ideoque "ipsa, tamquam a posteris intrusa "in textum Bedæ, intra parenthesim "inclusit Abrahamus Whelocus, auc-"tor Editionis Anglo-Saxonicæ." (In Actis Sanctorum Aprilis, tomo III, p. 293 A.)

Desunt autem non minus in vetustissimo codice Trevirensi quo ut optimo Chiffletius in Editione sua concinnanda usus est, et quem ipse contuli. In nova vero Editione Parisiensi Migniana, "ex tribus præci-"puis Editionibus inter se collatis, "nempe Coloniensi, duabusque in "Anglia studio doctissimorum viro-"rum Smith et Giles, non sine "ingenti litteratorum plausu in lu-"cem vulgatis," factâ, inter uncinos tantum "*Al. add.* quarto Idus "Octob." invenitur. — Smithius autem tam vetusto codice usus est, ut probabiliter anno 737, secundo post S. Bedæ obitum, scriptus sit.*

Quibus omnibus perpensis, non dubitandum est quin omnino ita se res habeat, quemadmodum a Bol-

*In Bibliotheca Regia Cantabrigiensi conservatur.

Digitized by Google

In *Galliam* autem S. Wilfridus, ob eum probabiliter rerum statum, de quo in ultimâ Lectionis ij periodo legimus, missus est.

Lectionum vero ij et iij historia, cum plerisque etiam verbis, ex S. Bedæ Hist. Eccl. III. 28 et IV. 2 extracta est; ita tamen ut (si hoc notatu dignum est) in Lec. iij post "Cedda", "maximam" insertum, post "veritati", "et castitati" omissum sit.*

Post "migrasse de sæculo," in ipso S. Beda legitur, "et necdum alium "pro eo constitutum fuisse pontificem."

Quod autem ad eam S. Ceddæ consecrationem quæ in hac Lectione narratur attinet, Ep'us "Uini", ut ab ipso S. Beda (III. 28) docemur, duos ex non canonice ordinatis (ad Brittonum gentem pertinentes) Ep'os in ordinationis societatem assumpsit; unde non mirum est quod Archiepiscopus Cantuariensis qui in defuncti Deusdedit locum successit, Theodorus scilicet, eundem S. Ceddam, præsertim in Ecclesia S. Wilfridi, etiamsi eam interim per tres annos "sublimiter", sec. S. Bedam (V, 20), rexerat, confirmare noluerit.

Qui tamen, "audiens humilitatem responsionis ejus, dixit, non eum Epis- "copatum dimittere debere; sed ipse ordinationem ejus denuo Catholica "ratione consummavit" (S. Beda, IV, 2); et postea, quum interim S. Cedda, qui inter mortem S. Ceddi fratris sui et Episcopatum suum, Monasterium suum Læstingæuense rexerat, ibidem aliquantulum vitam tranquillam egisset, eundem, cum fructu felicissimo, Ecclesiæ Lichfeldensi præfecit.

Ex quibus facile intelligentur tam quæ in secundo quam quæ in tertio Ꝛio dicta leguntur.

In Ꝛio autem secundo (de cujus lectionibus variantibus v. ad § 100), "legati" de Archiepiscopo Cantuariensi, qui Papæ *Legatus Natus* erat, intelligendum.

De Sancti vero nostri morte, cultu, reliquiis; etiam de animæ ejus ad cœlum ascensu, et miraculis ad tumulum ejus factis; vide § 100, cum annotationibus ad eandem.

In Ꝛio 3, A in hoc quidem Officio "meritorum" et "intonuit", in Depositionis autem, recte cum Pr. L "Merciorum" et "innotuit" habet.

§ 163.) *Ante Laudes* Ꝟls in Commemorationibus "*sicut in j die*" (Pr. de T. Adv., p. 19 *a*), ideoque si festum Octavas non habet, *sicut in festo*,

---

landistis se habere judicata est, quando Vitam ejus non sub Octobris die 12, sed sub Aprilis 24, dandam esse statuerunt, et decisionis hujus caussas in Prolegomenis scripserunt.

*In Lec. 2. A utroque loco "Caneiam". — In Lectionis autem 3 periodo ultima, post "fac- "tus," male A "et", — quod in ipso quidem S. Beda (III 28), post verba "Veniens postea "Uilfrid Britanniam, jam Episcopus factus," sed cum alia periodi conclusione legitur, — retinuit. Si quis autem adhuc retinere mavult, per "quoque" interpretetur oportet.

dicitur. Quoties vero Sanctus de cujus Commemoratione agitur duo festa habet, hoc de festo principali intelligendum est: in Sancti autem Ceddæ Translatione *Vls ante Laudes* idem qui in principali, Depositionis scilicet, festo est: vide igitur § 101.

Aliæ vero ad Laudes et ad Horas sequentes, in Translationis Officio cunctæ ad Laudes (cum *alleluja*) dicuntur: de his igitur v. ad § 101.

6. In Officium Anniversarium Dedicationis Ecclesiae.

§ 164.) In L aña super psalmos cum "alleluya", sine rubrica de Tempore Paschali (cf. infra), terminatur.

In Tempore Nativitatis &c.)) In L hoc ex Proprio de Tempore (ut videtur) subintelligendum est; quanquam in ejusdem Proprii portione a me inter uncinos insertâ, verba "*de quocunque fiat Servitium*" ab hoc M8to absunt.

Vidi civitatem sanctam] In Vulg. "Et ego Joannes vidi sanctam civi-"tatem Jerusalem novam".

"*In Tempore Paschali* [*additur*] Alleluja.")) In L rubricæ de *alleluja* in Tempore Paschali addendo desunt; sed nihilo minus (v. ad § 98, p. xxxv) subintelligendæ sunt.

§ 165.) *Hymnus.* URBS beata Hjerusalem] Metrum, — in quantum hoc de hymno dici potest, in quo non modo syllabarum certa quantitas, sed ne rhythmus quidem quivis invenitur, — *Trochiambicum*, seu potius *Dissyllabicum* (nam dissyllabum pedem nullum excludit), vocari potest, et quum ubique *Dimetrum*, in imparibus quidem versibus *Acatalecticum*, in paribus vero *Catalecticum* est. — Vocalis autem ante vocalem nullibi eliditur.

In tertia vero stropha, ut versus quintus, "Omnis qui pro Christi no-"mine", intra mensuram suam compescatur, melius omittetur "pro".

In penultimo autem doxologiæ versu, — in quo, tam in Romano (v. infra) quam in hymno Sarisburiensi, cum "Cui" subintelligi potest "uni Deo", — deest syllaba una; quam suo quisque modo (e. g. pro "est" "erit", vel pro "et" "atque", legendo) suppleat.

Quod autem ad terminationum similitudines attinet, in stropha secunda tres sibi versus pares mutuo respondent; in quartâ similitudo, in imparibus incipiens, in paribus terminatur; in doxologia vero, — si pro "Filioque", "et Filio" legimus, — primi quattuor versus *homœoteleuti* fiunt.

Ut autem ad sensum pergamus, — in stropha prima, "comite" (ut videtur) pro *a comite*, scil. *ab amante*, positum est.

In secunda, "veniens" pro *quæ vēnit* (in perfecto) accipi potest: vel, *in visione*, quæ jam desponsata est, e cœlesti thalamo descendit, ita præparata ut in cœlo postea "copuletur [i. e. *nubat*] Domino".

Digitized by Google

In doxologia, "Usquequo" pro *Usquequaque*, et "Unà Patri Filioque" pro *Unà cum Patre Filioque*, dictum est.

Quod autem ad lectionum fontes attinet, præter orthographiæ varietatem, et quod in stropha prima pro "coronata" L "coornata" habet, alia inter hunc librum et A diversitas non invenitur. — Inter consuetas vero orthographiæ diversitates notari possunt, "Jerusalem" (v. ad § 3), et "Aditis" (v. ad § 12, *inter Addenda*).

Pro "inclyto" autem tam A quam L "inclito"; quod igitur, — etiamsi in hujus vocis scriptura sibi non constat A, (cf. ad § 1, *inter Addenda*,) quamdiu saltem libri plures collati non essent, melius retinuissem; nam utraque scriptura bona; nec "inclutus", præterquam quod archaismum aliquanto nimis sapere videtur, malum: vide J. F. Noltenii *Lexicon Antibarbarum*.

Quanto autem pulchrior in Brev. Rom. hodierno (metrum *Iambicum Dimetrum Acatalecticum* habens) hic hymnus prodeat, operæ pretium eritvidere:

"Cœlestis urbs Jerusalem,
"Beata pacis visio;
"Quæ celsa de viventibus
"Saxis ad astra tolleris,
"Sponsæque ritu cingeris
"Mille Angelorum millibus.
"O sorte nupta prosperâ,
"Dotata Patris gloria,
"Respersa Sponsi gratia,
"Regina formosissima,
"Christo jugata principi,
"Cœli corusca civitas.
"Hic margaritis emicant
"Patentque cunctis ostia:
"Virtute namque prævia
"Mortalis illuc ducitur,
"Amore Christi percitus
"Tormenta quisquis sustinet.
"Scalpri salubris ictibus,
"Et tunsione plurima,
"Fabri polita malleo,
"Hanc saxa molem construunt;
"Aptisque juncta nexibus
"Locantur in fastigio.
"Decus Parenti debitum
"Sit usquequaque Altissimo,
"Natoque Patris unico,
"Et inclyto Paraclito;
"Cui laus, potestas, gloria
"Æterna sit per sæcula. Amen.

§ 166.) In Versiculi Responsione, pro "longitudinem" scribatur longitudine": nam, etiamsi in Psalmo (92), cum Græco et Versione Vulgata ceteri quoque qui mihi nunc adsunt libri accusativum habent, tamen, quum tam L quam A ablativum hîc exhibeant(a), horum, usque dum ex libris Sarisburiensibus contrarium probabile saltem fiat, in Brev. Sarisburiensis Responsione sequenda est auctoritas.

Post eandem vero Responsionem adde: "[*In Paschali Tempore additur* **alleluja.**]"

---

a) Nisi forte quis lineam quæ in L non super *i* tantum, sed et partim super *e* extensa est, tam pro *m* quam pro *n* positam esse credit.

Digitized by Google

In Aña ad *Magnificat*, pro "quo" (quod ad "nomen" refertur) L "qua" (de *domo* scil.) habet.

AD COMPL.) *sive de aliquo festo ix lectionum*] Etiam in festis iij lectionum *cum regimine chori* (quanquam L quoque de his hôc loco silet): cf. § 178, et Fasc. I, p. 106 ("*Compl. xviij.*"); etiam ad § 185.

In trium autem lectionum festis cum regimine chori intra Octavas in quibus itidem chorus regitur occurrentibus, *Officium de Festo, Memoriam de Octavis* esse debere, in *Tabula de Festorum Divisione* diserte dicitur.

In L autem, — ceteris cum A et Ed. nostra, saltem quoad sensum, concordantibus, — "*quando per Ætatem hoc festum contigerit,*" per incuriam omissum, atque ita totius Rubricæ sensus perditus est.

§ 167.) Quod in A et Ed. nostra primam et secundam, hoc in L (non sine mendis variationibusque) primas quinque Lectiones facit: — de sexta v. ad § 168.

In *Lec.* 1, L (de more) "karissimi", et postea "pie ac iuste"; deinde vero "mentitur — Templum Dei — templum est Sp. S.?"

In ℟ii Versu, pro "Obtulerunt" idem MStum "Optulerunt".

§ 168.) In Lectionis 2 initio, pro "enim" cum L scribendum "ergo".

In *Lec.* 3, etiam in Lec. 6 (§ 170), A "elemosynis": cf. ad paginæ xxiij calcem. — In ℟ii 3 Versu, pro "dixit" L "ait".

Quod autem nobis Lectiones 3 et 4 facit omisso, pro sextâ suâ* MStum idem sequentia (cf. § 170) habet: "Hoc enim — fecerit — et videns ibi h. "non h. v. n., dixit ad eum: Amice, quomodo huc intrasti, non habens "vestem nupcialem?"

§ 169.) *Lec.* 4.) Vade prius reconciliari fratri tuo] Sic et Vulg. (S. Matth. V, 24); quanquam Græcum διαλλάγηθι (*reconciliare*) habet.

§ 171.) In A 3, pro "cœlos", cum L scribendum "colles".

Cap. 19. A.] Divisionum Litteras quæ hîc et in §§ 176 et 177 inveniuntur om. A.

In ipso autem Euangelio, — 1º tam L quam A male "Egressus" habent†. In Vulg. autem, S. Lucæ XIX. 1 est, "Et ingressus perambulabat Jeri- "cho." — 2º pro "erat princeps" Vulg. et Brev. Rom. "princeps erat".

Sermo ex Commentariis Venerabilis Bedæ Presbyteri.] Romanis hoc litteris scribendum: v. ad § 32.

In Brev. autem Rom., in quo quotidie infra Oct. ix fiunt lectiones, Expositio nostra quintâ demum die, et cum variationibus (ad hanc et ad § 172) sequentibus, legitur:

Lec. 7.) Pro "contemptoque censu fraudium" Brev. Rom. "contempto "censu fraudum"; ipse vero S. Beda, — qui supra, saltem sec. novam Opc-

* De quinque præcedentibus v. ad § 167. † Sic etiam in § 182.

Digitized by Google

rum ejus Ed. Parisiensem (v. ad § 162, notulam b), "Ecce namque", — hîc sec. eandem (quod in sequentibus quoque subintelligendum) "contempto "sensu fraudium" habet. In A "contemptoque sensu fraudium": in L "con- "tempto censu fraudium". — Bene igitur, præterquam quod delendum est "que", se habet Ed. nostra.

Pro "et arctam viam quæ ducit ad vitam", Brev. Rom. cum S. Beda (ut supra), "arctamque viam quæ ad vitam ducit". Sic et L, præterquam quod "artamque" habet. Scribatur ergo quod in Brev. Rom. invenitur.

§ 172.) *Lec.* 9.) Pro "POPULUS ergo gentilis", Brev. Rom. cum S. Beda "Qui"; postea vero cum eodem "ne Jesum videat tardat", et "magis "ac magis clamando" habet.

Ad hujus vero Lectionis finem Brev. idem ex S. Beda transscribere pergit: "Sycomorus namque, (quæ est arbor foliis moro similis, sed alti- "tudine præstans, unde et a Latinis celsa nuncupatur,) ficus fatua dicitur. "Et eadem Dominica Crux, quæ credentes alit ut ficus, ab incredulis irri- "detur ut fatua."

In L autem Lec. viij est, "Qui mira — habuit, — accepit."; Lectio autem nona, "Unde et [*cf. parag. præcedentem*] a Latinis celsa nuncupatur,(b) "ficus fatua dicitur; et eadem Dominica Crux, que credentes aut [*legen-* "*dum* "alit] vt ficus, ab incredentibus irridetur vt fatua. Nos autem predica- "mus, inquit Apostolus, Christum [in ipso S. Beda, ut supra, "Nos enim "prædicamus Christum] crucifixum, Iudeis quidem scandalum, Gentibus "autem stulticiam, ipsis vero vocatis, Iudeis atque Gentibus, Christum Dei "virtutem, et Dei sapienciam."

Notandum est autem, in Lectionis 9 periodo secunda ipsum S. Bedam (v. supra) "gratiam fidei," et "obsistebat." habere.

In Lectione vero 8 (in cujus ℟io, pro "bene fundata" A "bñfundata"), "benedictionem Dominicæ susceptionis" per *benedictionem ut Dñm susciperet* interpretandum est.

§ 173.) Añis 1 et 5 in L *alleluja* ("all'a") sine rubrica additur: cf. ad § 164, annotationes primam et ultimam.

3: B, C.] In A, "3. C.": sed C non ante "Fundamentum" incipit. — In Cap. autem ipso, pro "quid" Vulg. "quomodo"; pro "Chr. J." L "J. Chr."

§ 174.) Hymni "ANGULARE fundamentum" metrum et doxologia eadem quæ in hymno "Urbs beata Hjerusalem" sunt: de ambobus igitur vide ad § 165.

In L autem, in stropha prima (de more) "Syon"; in secunda, pro "gra- "ta" "sacra", pro "unum quoque" "vmcunque" (vel "vnicunque") cum linea minus nigra super *m* vel *ni* posita; in quarta "adquirere", habemus.

b) In ipso L nulla in tota Lectione interpunctio videtur: cf. ad § 107.

Digitized by Google

Cum favore prædicat] Cum amore laudat.

§ 175.) In Aña ad Benedictus L, "Zachee festina, — suscepit — in "domo sua".

In Oratione vero, pro "quæ habebat — inveniatur", "qui haberet — esse "mereatur" in eodem codice legitur; in quo deinde, "et Ecclesia tua in "templo cuius anniversarius Dedicacionis dies celebratur tibi collecta, te "timeat, te diligat, te sequatur; vt dum iugiter per vestigia tua graditur, "ad celestia promissa, te ducente, peruenire mereatur;" ita insertum est, ut ex verbo "vacat", in margine a manu secunda scripto, "va" ad primæ, "cat" ad ultimæ insertionis lineæ latus stet.

"℟. Jesu Christe. *cum* alleluja. ℣. Qui sedes." ita, — quantum ex Diei Nativitatis Officio (in quo: "℟. Jesu Christe. *cum* all'a. ℣. Qui de Virgine "dignatus es nasci. Miserere nobis. Gloria Patri. Jesu Christe.") video, — ut in textu inter uncinos exhibita sunt, probabiliter dicenda erant.

sicut in Dominicis illius temporis.] Hæc verba om. L. — *Diebus* autem *Dñicis* musica probabiliter alia quam in *feriis* erat.

§ 176.) Ad Tertiæ finem L addit: "*Si hoc festum infra LXX vsque "ad Pascha contigerit, omnes Hore dñr sine* all'a"; ad Sextam vero Rubricam "*A LXX*" &c. omittit.

In eodem vero codice, post ℟ii Versum, hîc ut passim, ad Tertiam, ad Sextam, et ad Nonam, unum tantùm repetitur "All'a". Hîc autem A nullum, alibi vero tam A quam B nunc duo, nunc unum, nunc nullum habent; quum tamen, ut credo, tam in L quam in his, duo ubique intelligenda sunt: cf. § 6.

In Cap. ad Sextam, pro "habitavit", quod A habet, — cum L et Vulgata, etiam cùm textu Græco, scribendum "habitabit". In fine autem, L, "cum eis "eorum erit Deus".

§ 177.) In Cap. ad Nonam, pro "adjutores sumus", cum L (qui om. "autem") et Vulg. scribe "sumus adjutores".

Cap. (Matth. *ult.*)] Hujus Capituli *sensus* quidem ex ultimo Euangelii sec. Matthæum capite (sub Lit. D), ex ultimis scil. ejusdem Euangelii verbis, "Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem "sæculi", extrahi potest; *verba* autem in Cap. 7 (sub eadem Littera), ubi (v. 25) "fundata enim erat super petram" legimus, melius quærentur.

In L, Añæ ad *Magnificat* finis est, "gaudia templi tempore festi."

§ 178.) Sectionis numerus de more ante titulum præcedentem, inter eosdem uncinos, — deinde vero, litteris majoribus, "ET", — scribatur.

Pro "ET *sic fiat seruitium quotidie*", L "*Plenum seruicium fiat*": cf. annotationum ad § 115 parag. 2. Idem mox, pro "*et etiam — cum regimine "chori*", "*eciam — cum regimine*".

Digitized by Google

vel trium lectionum cum regimine chori] V. ad § 166.

hoc festum] *Dedicationis* scilicet; et similiter in sequentibus.

Quotidie etiam] In L hæc periodus ("*Cotidie eciam*") est ultima, proxima vero ("*Cotidie infra*") penultima, ante "*Si vero*" (§ 179). In quibus, 1. pro "*Vlus*" L "*Vli*"; A, more suo, "Vsus". 2. Post "*infra Octavas*", L "*et in Oct.*" inserit; quod cum § 194 ut in L quidem legitur concordat, ut autem in A et in Ed. nostra, non.

§ 179.) ¶ 1.) Pro "*Caput*" L "*Capud*": cf. ad § 32. — Idem postea, pro "*Octava Sanctorum infra has Octavas*", "*Oct. infra Oct.*"

¶ 2.) Pro *hoc festum* male A *hoc fer.*

§ 180.) ¶ 2.) Post "*in festo*", pro "*Corporis Christi*" L, more suo, "*de Corpore Christi*".

sed et tunc] *sed in hoc quoque casu* (cf. sectionis 179 finem): meliùs autem L om. "*et*".

§ 181.) Sectionem hanc, cum proximæ parag. 1 et 2, om. L.

De *Historiis* autem *Temporalibus* de quibus hîc agitur, de earumque *inceptione*, vide inter *Annotationes Longiores*: etiam ad § 183, infra.

Pro "*cum Responsoriis Ferialibus*;" (in A "*cum Ꝟ. fer.*") scribendum "*cum Responsorio Feriali*;" vel "*cum* [*uno*] *Responsorio Feriali;*" ut cum *Tabula de Festorum Divisione* locus concordet.

Ante "*de Sancto Loci*" A inserit "*et*".

nisi per prædictam causam impediantur] Vide § 178.

In ultima hujus sectionis linea, pro *feria* (in A. *fer.*) scribendum *feriis*: cf. supra in eadem sectione.

§ 182.) ¶ 1.) Post *Item*[*si*] *quâvis aliâ feriâ* A inserit *et*; quod, — quemadmodum inter uncinos *si* inserui, — sensu postulante omisi.

Ibid.) *et in feria*] Pro *feria* (in A male *fest.*) scribendum *feriis:* cf. ad § 181, annot. ultimam.

Ib.) *cum commemoratione de Dedicatione*] Hoc loco *commemoratio*, ut in Brev. Rom. plerumque, de Commemoratione *Tertiariâ*, sive *Memoriâ*, (v. ad § 115, notulam b,) intelligendum est.

¶ IN TEMPORE VERO PASCHALI] In L paragraphus hic, cum integra § 183, post § 197, ad Officii totius finem legitur. Unde vel clarius fit, quod attentius consideranti rei ipsius ratio indicat, in § 183, præterquam in parag. ultimo, de Tempore Paschali exclusive agi. Quod ut lectorem minus fal lat, in sectione hac gothicis scribatur litteris lemma nostrum **In Tempore vero Paschali,** et in sectionis 183 locis infra indicandis inter uncinos in-"seratur, *in eodem Tempore*".

Pro "*Vlus et Ꝟia*" (in A, "*V. et Ꝟ.*") melius cum L scribetur "*Vlo et "Ꝟiis*". In L autem ipso, "*et Vlo et Ꝟiis*".

Digitized by Google

§ 183.) In parag. 1, post "*Oct.*" inseratur "[*in eodem Tempore*],": v. ad § 182.

In parag. 3. deleantur uncini; nam in L "*añe*" invenitur.

In parag. 4, post "*Oct.*" inseratur "[*in eodem Tempore*]": v. ad § 182.

Ibid.) *secundum ordinem Nocturnorum*] Quoniam in Tempore Paschali nullum *novem* erat *lectionum* Officium, die Dom. ut aliis diebus "*añæ*, "*psalmi*, ℣*ls* [pro quo, tam hîc quam in parag. 5, male L "℣*li*"; A, more "suo, "℣."], *et* ℟*ia*" eodem quo diebus aliis ordine sumebantur.

In parag. 5, post *vero* inseratur "[*in eodem Tempore*],": v. ad § 182.

In parag. 6, gothicis scribatur litteris, "**℣er Æstatem vero,**".

Ibid.) a *Deus omnium*] *Deus omnium* est *Historia Temporalis* (v. ad § 181, *inter Annotationes Longiores*) quæ prima in Æstate, scil. post Pentecosten, legebatur; et Dñicâ aut primâ aut secundâ post Sanctissimæ Trinitatis festum, saltem per Memoriam, inchoari debebat. *Ita* vero ab ℟ii in Nocturnis primi verbis primis nominabatur.

Similiter autem *Dñe ne in ira* (cf. Fasc. I, p. 1 *a* et *b*) est Historia quæ inter Epiph. et LXX dicebatur, et quæ regulariter quidem Dominicâ I post Oct. Epiph., saltem per Memoriam, incipienda erat; sin autem inter hanc Oct. et LXX Dñica nulla inveniebatur, Dñicâ intra Octavas vel in diem Octavam cadente per Memoriam incipienda, et post Octavas inter tres ejusdem hebdomadæ ferias, in quantum postulabatur, distribuenda erat: cf. ad § 142, parag. 5 et *inter Add. et Corr.*

Ibid. "*et ab Oct. Epiph. usque ad LXX*," om. L.

Ibid. pro "℣*lus*" (in A, ut supra, "℣."), cum L scribendum "℣*li*".

§ 184.) Ante hanc sectionem L Diei Secundæ Lectiones (v. ad § 186) cum easdem sequente rubrica "*In Laudibus vna sola añæ.*" habet.

de aliquo Sancto] Pro "*Sancto*" melius L "*festo*".

In *A.* 1, "in loco isto", quod L etiam habet, non cum "venientium", sed cum "exaudi", conjungendum est. — In L autem, quum "et veniencium" a manu prima omissum esset, a secunda "veniencium" tantum suppletum est.

In *A.* 3 deleantur uncini; nam præpositio, non modo in Bibliis, tam Græcis quam Latinis Vulgatis (Dan. III, 53), verum etiam in L invenitur.

A. 4.) præter illud denique] *præter illud demum* vel *tantùm*. — Post "Christo" autem L "Dño" addit.

In *A.* 5, L "accipiat" et "a Christo Jesu."

In *A.* 7, L "Fundamentum" (lege "Fundamenta"), et pro "sunt", "erat" (lege "erant").

§ 185.) *Nulla fiat — memoria*] Hoc de *Memoriis Communibus* (v. Fasc. I, pp. 40 *a* — 42 *b*), non de festorum intra Octavas occurrentium Memoriis, intelligendum est: cf. infra.

Digitized by Google

a Deus omnium] Vide ad § 183.

in Tempore Paschali] Pro *Paschali* L *Pasche:* cf. ad §§ 25, 44, 141.

nisi aliquod festum cum regimine chori intervenerit] Sic A: sed pro *cum*, omnino *sine*, cum L scribendum; in quo totum est, *nisi aliquod festum sine regimine chori vel Octaue interuenerint*..

Ideo autem *sine regimine chori* additum est, quia si festum *cum* regimine chori interveniebat, non *Memoria* sed *Officium* de eo dicendum erat: v. ad § 166. Bene etiam in L de Octavis aliis mentio fit; sed ejusmodi tantum intelligantur oportet Octavæ, quæ saltem non digniores erant.

usque ad Ascensionem Dñi] I. e. *usque ad Vig. Ascensionis Dñi* exclusive: confer, *inter Addenda*, ad § 156; in qua et in § 159 Memoria ipsa videri potest.

AD VESP'S.) Post Vli indicationem, reliqua ut die prima ad Vesp's II dicenda esse subintelligendum est.

scil. ad primas Vesp's tantum.] In L, "*ad primas Vesp's*"; sed totum meliùs omissum esset; nam in Secundis quoque Vesperis Dñica a ceteris infra Octavam diebus differt; siquidem Orationem non "Deus, qui nobis" (§ 166: cf. § 177), sed "Deus, qui Ecclesiam" (§ 175) habet: v. § 193.

§ 186.) In Præfixis L, post sex Legendas de quibus ad § 148 sermo fuit, trium infra Dedicationis Octavas dierum Lectiones habemus; ex quibus, post quartam insertâ unâ, unâ vero (ultimâ scil.) omissa, L Lectiones primas undecim facit. Quas omnes, quum inter nostras, quæ ex A (cum Officio reliquo) extractæ sunt, non inveniantur, integras in lectoris commodum, cum titulis ut in Præfixis inveniuntur, exscribam.

Hic incipiunt Lecciones de Octavis Dedicacionis.

Primâ Die [*liberâ*] *infra Octavas, Leccio prima.*

[In L: "*In Secunda Die**, *Lec. j.*"]

RECTE festa Ecclesie colunt qui se Ecclesie filios esse cognoscunt. Hec enim omnium credencium Mater est, que natos ad(1) mortem regenerat ad salutem. (II, 2.†) Hec est post Synagogam quidem vocata, sed ante Synagogam promissa.

Lec. ij.

HEC enim iam in primo homine prefigurata est. Nam sicut ex Ade latere fabricata est Eua, ita ex Christi corpore et vulnere(2) redempta crevit Ecclesia. *Lec. iij.* (II, 3.) HEC, inter(3) aquas archa, diluuio(4) exundante servata, Crucis beneficium et baptismatis misterium presignavit(5). Hanc Sara sterilis et desperata(6) in senectute, vnico pignore fecunda, precinit. (III, 1.) Ecclesia enim vnicum, idest(7), dilectissimum, Deo populum, seculo iam senescente, progenuit.

Secunda Die: Lec. j.

HEC est Regina illa de qua ad Dñm dicitur, Astitit Regina a

1) L, a. 2) L, munere. 3) Pr. L, intra. 4) Pr. L, diluio. 5) L, prefiguravit. 6) Pr. L, disperata. 7) In L, "id est"; et sic passim.

*I. e. Primâ post Festum ipsum.

† I. e. Diei Secundæ Lec. 2, sec. L: et sic in sequentibus.

dextris tuis in vestitu deaurato, circundata* varietate; idest, circundata diuersarum precio decore virtutum. [*In* L, "id est, diuersarum cir-"cumamicta precioso decore virtu-"tum".]

[L inserit: *Lec. ij.* Hec est illa regina que a partibus Ethiopie venit audire sapienciam Salamonis. Sed hec non tam ex vna regione quam ex diuersis mundi partibus reges paritura conuenit, sicut eciam Euangelista commemorat.]

Lec. ij. (III. 3.)

REGINA Austri(8) venit a finibus terre(9) audire sapienciam Salomonis. Venit Ecclesia ad Redemptorem et Eruditorem suum vt(10) de stulticia erroris doctrinam perciperet veritatis. (IV, 1.) De qua plenius, sicut audiuimus, regnorum scribit historia, ita dicens: Et ingressa regina Ierusalem cum multo comitatu et diuicijs, cum camelis(11) portantibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas preciosas, venit ad Salamonem(12), et locuta est ei(13) vniuersa que habebat in corde suo.

Lec. iij.

ERGO in figura regine huius Ecclesia venit [*In* L (IV. 2), "Venit "ergo Ecclesia in figura regine hu-"ius"] ex gentibus et(14) a finibus terre, imponens finem cupiditatibus vicijsque(15) terrenis, vt(16) audiret sapienciam Salomonis, id est, veri pacifici Dñi Nostri Iesu Christi, qui fecit [*In* L, "facit"] vtraque vnum, soluens inimicicias inter Deum et hominem in carne sua.

Tercia Die: Lec. j. (IV, 3.)

VENIT post veteres et prophanas supersticiones(17) audire et discere de fidei illuminacione et iudicio futuro, de anime immortalitate, de spe resurreccionis et gloria. (V, 1.) Venit ergo prefata regina(18) in Ierusalem cum magno comitatu, id est, non iam cum una tantum gente(19) Iudeorum, sicut prius Synagoga solos filios† habuit Hebreos, sed venit cum(20) tocius mundi gentibus diuersisque(21) nacionibus.

Lec. ij. (V, 2.)

VENIT ergo exhibens munera digna Christo(22), aurum et gemmas preciosas, et hoc(23) camelis portantibus, id est, ex(24) gentili populo venientibus qui prius fuerant ex viciorum(25) feditate distorti, et malorum onere curui, ac peccatorum prauitate deformes. [*Hic desinit* L.]

Lec. iij.

CUM hijs tanquam muneribus Regina ingreditur ad pacificum Regem Christum, exhibens fidei aurum, puritatis incensa preciosa, splendoresque gemmarum suarum††, (scilicet in figura,) et ornamenta virtutum. Et locuta est ei vniuersa que habebat in corde suo; idest aperuit ei cor suum, manifestauit ei occulta consciencie sue in confessione et plenitudine precedencium delictorum.

8) L, Auster. 9) "a finibus terre" om. L. 10) L, et. 11) L, carmelis. 12) L, Salomonem. 13) "ei" om. Pr. L. 14) "et" om. L. 15) L, diuicijsque. 16) Pr. L (contra morem suum), "ut". 17) Pr. L (contra morem suum), "superstitiones". 18) "prefata "regina" om. L. 19) L, gente tantum. 20) "venit cum" om. Pr. L. 21) "que" om. L. 22) Pr. L male "gō", i. e. "ergo". 23) "hoc" om L. 24) "ex" om. Pr. L. 25) Pr. L, viciorum ex.

* In codicibus syllaba secunda est "cu" cum superposita linea. † Pro "solos filios" Pr. L, ut videtur, "solos"; L "filios". Ambo, ut vide.ur, admittenda. †† Sic, quanquam littera prima non est "s", et ante "rum" nihil est certum, probabiliter legendum est.

Deinde vero, ad quindecim Lectionum numerum, ut in A et in Ed. nostra, implendum, L sequentes addit:

[*Die V,*] *Lec. iij.*

QUONIAM ad hunc Dedicacionis huius Basilice diem hodie, dilectissimi, conuenimus, o3 [oportet?*] ut quicquid in dedicacione templi visibiliter per figuram expressum reco-

* Cf. ad § 16, in Add. et Corr.

Digitized by Google

limus, totum in anima fideli per invisibilem exhiberi virtutem attendamus.

[*Die VI: Leccio j.*

IPSA enim verum Dei templum est, consideracione virtutum, quasi quedam lapidum structura spiritualium, edificata; ut [utpote in qua] fides fundamentum facit, spes fabricam erigit, caritas consummacionem imponit. *Lec. ij.*

IPSA autem Ecclesia ex multitudine fidelium in vna [*lege* in vnam, *vel* in vnum] congregata, domus est Dei ex viuis lapidibus constructa; vbi Christus angulare fundamentum positus est, duos parietes Iudeorum et Gentilium in vna fide coniungens.

Lec. iij.

HUIUS itaque sacramenti quod est [*lege*, quod] in Dedicacione Ecclesie exhibetur, formam primum proponimus, vt deinde misticam fidei intelligenciam que in illa formatur exequamur. Tu autem, Dñe, miserere [nobis].

Ut autem ad librum A et Ed. nostram revertamur, — in Lec. 2, "isto "homine" per *naturâ regeneratâ* explicandum.

Ibid.) in Christi refectione] in refectione (sive convivio) cui nobis per Christi gratiam accumbere datur; quod de tempore Euangelico in genere (ut videtur) intelligi potest.

In Lec. 3 "præcipua" ut *præstante* intelligi potest.

§ 188.) *Lec.* 1.) Letania] V. Fasc. I, ad p. 111 *b*, p. xxxiv.

¶ *Tamen si nullus dies Dñicus*] Hanc rubricam om. L.

Lec. 2.) a Dño ab omnibus malis liberentur, a Dño conserventur, sive a malis omnibus illæsi misericorditer liberentur.] Si hæc recte se habent, quod in clausulis prioribus post "a Dño" continetur, id in ultima auctor in unum conjungere voluisse videtur; ideoque post "conserventur" meliùs ponetur semicolon.

§ 189.) *Lec.* 1 et 2.) meruerunt.] Non, quod quidam arbitrati sunt, qui homines a Deo *mereri* dicunt, ita dicunt quasi (quod absit!) *suo quemquam jure* Deum sibi debitorem facere posse credant; sed quia Deus ipse ex infinita misericordia sua, hoc concedere voluit, ut ea tantum quæ, si non ex præcepto, saltem ut animi grati oblatio, jampridem ipsi debentur reddentes, apud ipsum *per ipsius gratiam* merentium loco habeamur.

Notandum est autem, in *mereri* plerumque *consequendi* etiam vim inclusam esse videri; unde non male (ut videtur) in plurimis locis per Anglicum *attain* reddi potest.

Cum Lectionis 3 initio cf. Ep. II ad Cor., VI, 1. *Cessare* autem, est *sine fructu manere.*

§ 190.) Cum Lec. 2 cf. Lec. 7 in § 196; cum Lec. 3, Lec. 9 in § 197.

In Lec. autem 2, si ante "quæ Dei populus" (cf. ut modo dixi) retinendum est "et", post "quæ" subintellige "in iisdem solennitatibus".

§ 191.) *Memoria de Dñica et de Trinitate*] Quoties in Officio Sarisburiensi de Dñica *in Æstate*, i. e. inter Pentecosten et Adventum, toties

Digitized by Google

ad Primas Vesp's, ad Mat's, et ad Missam, non autem ad Vesp's II, de Sanctissima etiam Trinitate fiebat Memoria.

nisi quando aliquam Dñicam omnino oportet differri.] V. ad § 181, inter *Annotationes Longiores.*

§ 192.) Lectiones sequentes usque ad finem Officii hujus, cum variationibus quibusdam, tam in L quam in Præfixis ejus inveniuntur.

In *Lec.* 1, pro "gaudio" male A "gaudere".

Ante "celebramus" tam L quam Præfixa ejus inserunt "hodie",; postea vero L "et solennitatem Matris", Pr. L "et Matrem solempnitate Matris", habent.

¶ In *Lec.* 2, post "secundam", A "nativitatem" repetit: cum Ed. nostra faciunt tam L quam Præfixa ejus.

¶ In *Lec.* 3, L "Omnes enim nos, f. karissimi, ante baptisma fana [Pr. "L cum A, "phana] d. f.; post b'm templum Christi e. m."

Pro "nostra — et verum" tam L quam Præfixa ejus "anime nostre — "verum" habent. Pro "cogitemus" Pr. L "cogitamus".

¶ In *Lec.* 4, tam L quam Præfixa ejus "ymaginem".

Ultimam vero hujus Lec. periodum, — pro qua Pr. L, "Sic enim Beatus "Paulus Apostolus dicit," *&c.*, — om. L.

¶ In *Lec.* 5, pro "ideo" male A "deo"; "ut ibi" male om. L.

templa viventia] Post "templa" cum textu et Præfixis L insere "Dei".

Pro "ac sic," quod recte Pr. L habent, male L "ac si", A "acsi".

¶ *Lec.* 6.) Pro "ET jam" A "Etiam", L et Pr. L "Et iam".

§ 193.) In Euangelio, — in quo post "me" virgulam, post "eos" colon, quemadmodum in Vulgata, ponatur, — pro "est" melius eadem "sit" habet.

Titulum "*Lec. vij.*" Pr. L, ut L ipse, tam hîc quam in § 196, omittunt: cf. ad § 32, *inter Addenda.*

Expositio autem ipsa in S. Bedæ Expositione in S. Lucæ Euangelium, saltem in hanc Euangelii partem, non invenitur; quanquam nostris quædam plus minus similia ibi leguntur.

In *Lec.* 7, post "hic" (pro quo Pr. L "iste"), cum L et Pr. L insere "domum".

Ad ejusdem Lec. finem Pr. L per incuriam omittunt "est".

Lec. 8.) posset] Sic recte Pr. L: in L ipso et in A "possit".

Lec. 9.) Pro "super" tam Præfixa quam textus L "supra".

Pro "fundamenta" L "fundamentum"; quanquam in Ecclesiæ mysterio, sec. S. Bedam Euangelii nostri verba "Qui fodit in altum, et posuit "fundamenta super petram" (ut ipse legit) exponentem, — *fundamenta* in plurali *doctores*, vel moraliter *bonas conversationis intentiones* significant;

Digitized by Google

per *fundamentum* vero in singulari positum "ipse doctorum doctor et "fundamentum fundamentorum exprimitur Christus."

Hoc autem non sine exceptione intelligendum; nam, — præterquam quod, ét alibi èt præsertim in Scripturis Sacris, singularis abstracte vel collective positus commode pluralem exprimit, — in ipso de quo S. Beda scribit loco, ubi ipse pluralem, Versio Vulgata cum textu Græco singularem habet(c).

In Lectionis fine, pro "adeo", quod L om., male A "ideo".

§ 194.) In Octava] In L, *In Octavis.*

cum hac Oratione, Deus qui nobis per singulos (§ 166).] In L: "*cum hac* "*Oratione*, Deus qui Ecclesiam tuam [§ 175]." Cf. autem ad § 178.

"CONGRUUM videtur," *&c.*)) Quod nobis tres et dimidiam, in Præfixis vero tres tantum (v. § 195, *Lec. iiij*), id in L ipso sex non minus Lectiones facit.

In *Lec.* 1, pro "quia Salomon rex præceperat", tam L quam Præfixa ejus "quia precepit Salamon".

Pro "lapides tollerent preciosos", — pro quo Pr. L "tollerent lapides "preciosos", — cum L scribendum "tollerent lapides grandes, lapides pre-"ciosos,": cf. Lec. 2 et 3.

In *Lec.* 2, pro "locati sunt, et totum" Pr. L "locati, totum".

Notandum est autem, per "locati sunt, et — portant", vel (si cum Pr. L legamus) "locati, — portant", templum ut præsens ob oculos poni.

Ibid. tam L quam Præfixa ejus "superimpositum".

Ib. pro "sua prædicatione" L "predicacione sua".

Lec. iij. FUNDAMENTUM in Sacra Scriptura Christus appellatur. In quo lapides] In L: "*Lec. v.* In hoc fundamento, id est, in Christo, lapi-"des". Idem, — sed post "per" omissum, et "Ecclesia" pro "Ecclesiam" scriptum, — verba "et prius" omittit, et pro "instructi" "constituti" habet.

grandes et preciosi] A om. "et": L et Pr. L habent.

Pro "arctius" tam L quam Præfixa ejus "arcius".

§ 195.) "*Si festum iij lectionum*" &c.)) In L hæc rubrica deest.

In *Lec.* 4 "QUOS videlicet" (pro quo Pr. L "Quos videliced": cf. ad § 32) om. L; in quo postea "quadrare", "anima", et "significaret."; cum quo verbo, ut supra dictum est, L desinit.

Postea vero Pr. L "ita vita perfectorum" et "deici" habet. Simplicis autem pro duplici I in compositis a *jacio* scribendis usus perantiquus fuit; atque ita S. Beda scripsisse videtur.

c) Sic etiam Missale Sarisb. (sed cum "supra") in Euangelio quod in Dedicationis Officio, — infra Octavam, ut videtur, (fortasse *Dominicâ* infra Octavam,) dicendum, — invenitur.

Digitized by Google

In *Lec.* 5, pro "castitatis" Pr. L "dignitatis" habent.

In *Lec.* 6, "spaciatur" est *libere se movet.*

ET bene longitudo] Numerus 6 ideo *perfectus* vocatur, quia, quod alii nulli ante 28 contingit, *divisorum* suorum omnium summæ (1+2+3) æqualis est; quemadmodum etiam numerus 28 per additionem similem (1+2+4+7+14) efficitur.

§ 196.) In Euang., post "Encænia", cum L, Pr. L, et Vulg. (in qua "Facta sunt autem"), inserui quod A om., "in".

Pro "Hjerosolymis" L "Jherosolimis"; v. ad § 3, p. iij (cum notula sua) et *inter Addenda*; Pr. L (de more suo et ipsius L) "Jerosolimis": — pro "hyems" (meliùs Vulg. "hiems"), L "yemps", Pr. L "hiemps": v. ad § 2. — Pro "ambulabat" Pr. L "ambulat". — Pro "Salomonis" tam L quam Præfixa ejus "Salamonis".

Homelia Beati Gregorii Papæ] Sic A et L*; sed pro "B. G. P.", cum Pr. L scribendum "Venerabilis Bedæ Presbyteri": v. infra.

In L Lectiones sunt: 7. "Encennia — populo — consueuerat cele-"brare.": 8. "Quorum — moram — solennem.": 9. "Si ambulare [v. § 197] "voluerit Dñs — nostre — ac sanguinis — gaudebit."

Verba autem S. Bedæ ex quibus *Lec. vij* nostra facta est, *ut sequitur* in Operum ejus Ed. nova Parisiensi (v. ad § 162, notulam g), in duobus Expositionis quam ad verba "Facta sunt — Salomonis" dedit locis, scripta leguntur:

1. "Encænia autem vocabatur solemnitas dedicationis templi, quam po-"pulus Dei ex antiqua patrum traditione per annos singulos celebrare con-"sueverat." 2. "Quæ etiam dedicatio salubri consuetudine in Ecclesiis "Christi servari moderno tempore dignoscitur."

Pro "studemus" Pr. L "studuimus" habent.

Quod autem nobis Lectionem viij facit (in qua Pr. L om. "ergo"), ut non in L (v. supra), sic neque in S. Bedæ Expositione legitur.

Adeo ut in ea templum ipse ingredi, et sermonem facere ad populum] Sic Pr. L: in A, "Adeo ut in templum ipse ingredi, et sermonem facere populo".

§ 197.) Locus unde Lec. ix nostra facta est, ita apud S. Bedam (v. ad § 196) legitur: "*Et ambulabat Jesus in porticu Salomonis.* "Si ergo Dei Fi-"lius a. v. — nostram or. domum — ac(b) sang. — non desp. porticum in quo " — potentissimus ac sapientissimus, ad orandum stare — desiderat, si ta-"men ea p. — qui est i. — in qua ad orandum vel ad mysteria — multo am-"plius templum ejus a. et simus, cum manifeste dicat Apostolus: *Vos estis*

b) Sic etiam, ut supra (ad § 196) dixi, L.

* Idem in § 183 (ad quam vide): "cum Expositione Euangelii Sec. Iohannem, "Facta sunt Encen. Omelia B. Gregorii Pape, Encennia vocabantur, ut supra in Oct."

Digitized by Google

"templum Dei vivi, sicut dicit Deus, Inhabitabo in eis, et inter illos ambulabo "(II Cor. VI (e)."

Cum quibus sequentia, quæ in Pr. L, meliùs plerumque quam quæ in L (v. ad § 196) vel in A(f) leguntur concordant: "Si ergo Dñs a. v. — offe- "re[ba]tur, m. m. nostram or. domum, vbi c. et sang. Ipsius — non desp. "porticum in qua — potentissimus et sapientissimus adorandum [lege "ad "orandum] stare — desiderat,(g) si tamen p. esse Salamonis, hoc est, si ea "timorem suum", *&c.* ut in Ed. nostra.

Sancti autem Bedæ, vel Præfixorum L, vel amborum, ut supra, auctoritate, sequentes saltem in Ed. nostra correctiones fiant: — 1. pro "oratio- "nis nostram domum", "nostram orationis domum"; — 2. pro "potentis- "simus, stare", "potentissimus et sapientissimus, ad orandum stare"; — 3. deleto "((ad))", post "adorandum" insere "((*lege*, ad orandum))"; — 4. pro "sumus" scribe "simus".

QUANDO *fit*] In L hæc ultima rubrica deest.

III. IN BENEDICTIONES ANTE LECTIONES.

§ 198.) Benedictionum harum partem in Fasc. Primi Prolegomenis, pp. lx, lxi, (cf. p. civ,*) publici juris feci. Quid vero hîc ad Tabulæ haudquaquam per se facilis intellectum per titulorum aliasque inter uncinos factas insertiones contulerim, lector ipse videbit.

Quo autem melius, quæ in iisdem Benedictionibus plerisque omnibus inveniuntur, terminationum sibi respondentes similitudines notentur, Benedictiones singulas per spatium et litteras majusculas in dimidia sua divisi: cf. quæ ad § 98, p. xxxiv, in ultimis duobus paragraphis dicta sunt.

In hujus autem sectionis Benedictione ultima, pro "purget nos", quod A habet, cum L, concordantibus Breviariis Eboracensi et Herefordensi (v. Fasc. I, p. civ), "Nos purget" scripsi.

§ 199.) In ultima hujus sectionis divisione, ante "*quando*", "*et*" abundat. — Ibidem vero, pro "pacem" scribendum "suam pacem": vide Fasc. I, ad calcem p. lxi.

---

e) In Vulgata, "Vos enim estis "templum Dei vivi, sicut dicit Deus: "Quoniam inhabitabo in illis, et in- "ambulabo inter eos:" Ep. II ad Cor. VI, 16.

f) Cujus auctoritatem, ut alibi plerumque, sic et in hac Lectione, — præterquam in "suum", ab A omisso, post "timorem" ex Pr. L supplendo, — Ed. nostra sequitur.

g) Virgulas ipse supplevi: v. ad paginæ xliij calcem.

* Ubi in parag. de Brev. Ebor. scribendum: — "2. In 9 lectionum Sanctorum Officio," &c.; et "3. In trium lectionum Officio," &c.

Digitized by Google

§ 200.) *In Noct. ij*, pro "perducant" L "ducant": quod etiam B in Visitationis Officio habet.

Ibid. pro "Maris" male B, in eodem Officio, "Matris".

In Noct. iij, pro "Regina Cœlorum" B, in eodem Officio, "ad regna "polorum".

ITEM ALIÆ BENEDICTIONES DE SANCTA MARIA, INFRA OCTAVAS.] In L "*Alie Benedicciones de Eadem.*"; — in quo postea divisio, non in *Octavarum Dies*, sed in *Nocturnos j, ij, et iij*, fit.

Octavarum vero Dies non hîc, ut ordinarie, a festo ipso *inclusive*, — nam *festorum* jam supra Benedictiones indicatæ sunt, — sed ab eodem *exclusive*, numerandæ sunt: cf. quod ad § 186 ex Præfixis L exscriptum est.

In *Secunda* vero *Die* (v. supra), pro "Precantibus" L "poscentibus".

"IN QUOTIDIANIS — auxiliatrix." om. L.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Ad **§ 1.)** In Annotationum p. j, pro paragraphi penultimi ultimis tribus lineis scribendum: — ita locis suis omittebantur, ut si duplicia essent, dies alios haberent: de simplicibus autem v. ad § 142, pp. lxj, lxij.

p. ij, post paragraphum "Imprimis" insere:

alleluja] Ut in diphthongis Æ et Œ restituendis lectoris (eodem satis monito) commodum quæsivi (v. supra, p. j), sic et in *alleluja*, etiamsi in libris per I vel Y scripto, et in *Hj* (v. ad § 3), quanquam in libris ut *Hi* exhibito, quod revera I consonans est ut I consonantem exhibui: aliàs vero librorum ipsorum, ubicunque hi sibi saltem constare videbantur, scribendi modos conservare conatus sum. Vide tamen infra, ad § 12.

§ 2.) Ita simul corrigatur augeaturque annotatio ultima:

Per Octavas — Amen.] In vetere MSto L, *in quo rubricæ passim pauciores sunt*, desunt hæc; sed in re tali, etiamsi quantum ad rem ipsam dissentiret L, impressorum recentiorum omnino sequendum esset auctoritatem. Nequaquam vero ita dissentit hoc MStum: nam in Ascensionis Officio eandem quam A de hac re regulam tradit: v. ad § 156.

§ 3.) Notulæ ad Annotationum paginæ iij calcem accedat: — Sic et in anni 1522 ad § 116 (in notula ℔) memorando Brev. Carthusiensi, *Jhesus* et *Jherusalem*; quod posterius in Pr. L quoque (v. ad §§ 93 et 153) invenitur.

Pro quartâ vero ad hanc sectionem annotatione (cf. ad § 25 *in Add. et Corr.*) scribe:

cum his verbis] Pro *his* L passim *hijs*: cf. ad § 25. Hujus autem *i* duplicatio in decimi sexti quoque sæculi scriptis videtur.

Digitized by Google

§ 5.) Pro aña 5 scribendum est, "In cœlestibus regnis Sanctorum ha-"bitatio est, all'a;" cet.; et post annotationem tertiam addendum:

In A. 5.) habitatio est] Sic cum Brev. Rom. L et, in Paschali de Omnibus Sanctis Memoriâ (v. ad § 142), A; in quo tamen hîc, "est habitatio."

Pro annotationum autem parag. 5, "In L autem", ut error de hoc MSto (quomodocunque natus) tollatur, scribendum:

In L autem nullum hîc tetrastichon completum est; sed in *Proprio de Tempore*, præterquam quod, 1. in tetrasticho *ij* (*Illæ dum*), pro "Oscu-"lantur pedes Dei", male (i. e. contra metrum et minus pulchre) legitur "Os-"culantur pedes Domini", 2. quod tetrastichon *iij* (*Claro*), a manu prima omissum, a recentiore in margine suppletum est, et 3. quod in tetrasticho *v*, pro "publica", "puplica", legitur, hymnus longior, ut in A, integer invenitur.

§ 8.) In annotatione prima, pro "apud L ipsum" scribe, "non minus "in L quam in A".

Ad annotationis ultimæ finem adde: — Plura in Fasc. I, ad p. 21 *b*, vide.

§ 12.) In annot. 3, pro "*Unius Martyris sive Unius Confessoris*", ex L extracto, scribendum "*Vnius Martiris sive Vnius Confessoris*"; nam in hoc codice, 1º *martyr*, cum aliis non paucis vocibus, pro *y* passim *i* habet; 2º de U et V regula est, ut in vocum initio semper V, alibi semper U exhibeatur.

De I autem et J ejusdem MSti regula est, ut in *i* duplici littera posterior, et in numeris *i* finalis, per *j*, aliæ omnes sine cauda scribantur.

Quas quum regulas, saltem quoad V pro U vocali in initio, et *ij* pro *ii* etiam extra numeros ponendum, ante hujus Fasciculi p. lxxx impressam aut non satis notavissem aut parum in eodem codice exscribendo observare curavissem, ubicunque contra leges suas peccare videtur L, hæc mihi culpa tribuatur oportet.

§ 16.) Annotationis ultimæ ita partem posteriorem corrige, ut totum hujusmodi sit:

Sanctoque] In L conjunctio *que* de more seorsum, sed abbreviate, scriptum est; scil. per *q* et *z* caudatum (ꝯ); — quæ ultima littera, ut et semicolon, apud antiquiores sæpe ut abbreviationis signum, post vocis initium, pro reliqua ejusdem parte ponebatur; unde etiam "viz." pro "videlicet" hodieque in usu est.

§ 20.) In annot. 3, pro "v. Fasc. I." cet. scribe, "v. ad § 189." — In R. 8, in extracto ex L, pro "ut" scribe "vt": v. ad § 12 in *Add. et Corr.*

§ 25.) In annot. prima, pro "§ 44." scribe "§§ 44 et 141." — In parag. 2, pro "*hiis*" et "*hii*" scribendum "*hijs*" et "*hij*": cf. ad § 3 *in Add. et Corr.*

§ 28.) Ad Matutinas] Quum, præter *Plurium Virginum Commune*, in ceteris omnibus Sanctorum Communibus Extra-paschalibus novem in-

Digitized by Google

veniantur lectiones, quomodo in trium lectionum festis ex Communi ordinandum sit Officium Nocturnum, non sine caussa quærere potest lector.

Cui igitur ut responsum sit quæstioni. — 1. In quattuor festis quæ *cum nocturno* sunt, scilicet S. Petronillæ (v. ad § 79 *inter Add. et Corr.*), S. Bertini, S. Theclæ, et S. Romani, psalmi cum añis suis ex Psalterio sumendi sunt. — 2. De *Plurium Virginum* festis vide in earundem Communi, § 92. — 3. In ceteris omnibus trium lec. festis, iidem psalmi, eædem añæ, (neglectis tantum Nocturnorum divisionibus,) quæ in ix lectionum festis dicendæ sunt.

Post psalmos autem et añas finitas, Versiculus, Lectiones (si propriæ non habentur), et Responsoria, ita sec. Nocturnorum ordinem sumenda sunt, ut in unaquaque hebdomada, primâ vice ex Noct. I, secundâ (si bis in eadem hebdomada ejusdem generis trium lectionum festum occurrat), ex Noct. II, et sic deinceps, si opus sit, usque ad hebdomadæ finem vel ad ejusdem generis ix lectionum festum, dicantur; post tale vero ix lectionum festum, ut in hebdomada nova, cum Noct. I reincipiatur.

Ab hac autem regula notandæ sunt exceptiones quædam; quas ex *Proprio de Tempore*, ex Rubrica de S. Felicis festo (quod crastino Octavæ Epiphaniæ locum habet), — unde etiam præcedentia partem maximam extracta sunt, — in lectoris commodum (ut in libro A habentur *) exscribam.

Si in una eadem hebd. uno die contigerit festum trium lec. Unius Martyris et alio die Unius Abbatis, vel in uno die festum Unius Abbatis et alio die festum Unius Conf. et Pont., in utroque festo dicuntur ℟ia *de primo Noct. Et est ratio quia, ut ordo* ℟iorum *servetur, propter repetitionem unius prius dicti non omittuntur duo prius non dicta ejusdem Noct.; et sic fiat in consimilibus.*

Veruntamen si festum Unius Conf. et festum Unius Martyris, et subsequenter Unius Abbatis, trium lec. in una et eadem hebd. concurrant, in festo Abbatis dñr ℟ia *de secundo Noct.; ne duo ante dicta repetantur propter unum* ℟. *minime prius dictum.*

Quotiens autem in festo alicujus Conf. fiant mediæ lectiones de Uno Abbate, vel in festo de Uno Abbate de Uno Martyre, tunc semper, ne unicum ℟ium *in eisdem Matutinis dicatur bis, ad medias lectiones dñr* ℟ia *de iij* [necessario legendum, *de ij*†] *Noct.*

Si vero aliquod festum trium lec. Unius Conf. et Pont. et festum trium lec. Unius Conf. et Abbatis in una hebd. contigerint, tunc in secundo festo dñr ℣ls *et* ℟ia *de j Noct., et non de ij Noct.* [omnino cum L (in quo tamen male ℣*li*) legendum, *tunc in secundo festo non dñr* ℣ls *et* ℟ia *de primo Noct., sed de ij Noct.*]; *et hoc propter* ℣lm *et primum* ℟.†† *Similiter fiat quando festum trium lec. Plurimorum Martyrum vel* [cum L legendum, *et*] *festum trium lectionum Plurimorum Confessorum in una hebdomada contigerint.*

* In L ultimus tantum paragraphus, cum verborum (ut in rubricis passim) varietate quadam, invenitur.

† Si in casu priore ex Noct. iij sumerentur, omnia statim in Confessoris Noct. iij repeterentur: confer § 61 cum § 69.

†† Si sec. A Vls et ℟ia ex Noct. j sumerentur, Vls et R. I repeterentur.

Digitized by Google

Ante omnia vero notanda sunt quæcunque in *Proprio de Sanctis* de festis singulis, locis suis, dicta inveniuntur.

§ 32.) p. x.) "*Lectio vij.*", hîc et passim, om. L.] Hæc sententia, post quam paragraphus novus incipiatur, ita augenda est:

"*Lectio vij.*", quod in Brev. Rom. inter titulum "Lectio sancti Euan-"gelii" cet. et ipsa Euangelii verba invenitur, hîc et passim, quando Euangelium exponitur, om. L. Sic etiam Pr. L (v. ad § 93).

§ 49.) p. xiv, ad lineæ penultimæ finem adde: — Cf. in Officio Depositionis S. Ceddæ in Pr. L (v. ad § 93) "*Ps.* llaudate pueri." et "℟ (*iiij*). lle-"gem Christi qui sic tenuerat".

§ 67.) *In Annotationibus*, post ea quæ, "*In Natali Unius Confessoris* "*et Doctoris*" dicenda, ex L exscripta sunt, adde:

In quibus notandum est primo, ea quæ post Capitulum primum sequuntur, non ut Officii de S. Augustino partem, sed ut ab rubrica secunda, vel a duabus primis, exceptiones, ubicunque tales in Proprio de Sanctis præscriptæ vel præscribendæ essent, proposita esse; id quod non eo tantum probatur, quòd in Oratione, non S. Augustini nomen, sed "*N.*" tantum habeamus, verum etiam quòd in Proprio de Tempore, tam in ipso L quam in impresso B (quem solum in Parte Æstivali nunc ad manum habeo) Oratio propria inveniatur, scilicet:

In L: "Deus qui B. Augustinum Ecclesie tue in exponendis sacre scrip-"ture misterijs Doctorem Catholicum prouidisti; da nobis eius semper et "doctrinis instrui et orationibus fulciri." — In B: "Deus — scripture sacre "mysterijs — institui et oratione fulciri."

Quod autem in hôc codicis nostri Communi integra Euangelii Expositio est, in Proprio de Tempore (in B; nam in L post Noct. II nihil aliud proprium invenitur), ita quidem scriptum, "Sal — vniuersum h. c. g. T. e. "n. h. n. s.; salis vero, Verbi sapientia. Quod autem apostolos suos celesti "ac — qui terrena tantum sapiunt; qui — que nec dari possunt [*in libro*, "potest] ab hominibus nec auferri.", septima tantum est lectio.

In Cap'o autem ad Sextam, idem Proprium de Tempore, cum Vulgata (v. p. xx, notulam *c*), "cantores" et "modos" habet.

Ad Nonam vero idem pro "et in medio populi sui gloriabitur.", quod versus primi finis est, versum 3, scilicet "et in medio populi sui exaltabi-"tur, et in plenitudine sancta admirabitur", omisso "sui", habet. — In quo "admirabitur" sensu passivo intelligendum. Versus autem 3 et 4 apud LXX Interpretes non leguntur.

Ut autem ad Breviarium nostrum, *Sarisburiense* scilicet *Commune* (v. Fasc. I, p. vii), redeamus, — non aliter in hôc Doctorum quam in ceterorum Confessorum Communibus, Officia ex eodem et ex Proprio de Sanctis discenda sunt. Cf. autem ad § 72, ad finem.

Digitized by Google

Ad annotationis autem ad "JUSTUS cor suum" *&c.* finem adde: — Ceterum post "illum" ponendum est virgulam simplicem.

§ 79.) In annotationibus, deleto paragrapho secundo, primi periodus ultima sic rectius scribatur: — De Sancta autem Petronilla, sec. *Calendarium* quidem, Officium integrum tunc fieri potest, "*cum extra Octavas "S. Trinitatis et Corporis Christi* [*dies ejus*] *contigerit*"; sin autem diligentius *Picam* inspexeris, Officium tale, quoties non aliter, per Commemorationes Hebdomadales (v. Fasc. I, pp. xlii — xlvi, cum *Anni* 1855 *Add. et Corr.*) semper impeditum invenies; ut tunc tantum de ea præter Memoriam quidquam dicendum fuerit, quando dies ejus aut Octava Sanctissimi Corporis Christi aut Dom. II post. Trin. esset; in quibus duobus casibus medias etiam lectiones habebat.

§ 92.) dum Sponsus advenerit] In "dum" *dum nondum*, sive *antequam*, intelligendum est.

§ 93.) In annotationum parag. 5 scribe: — "post huic subjunc-"ta, — scilicet post Dedicationis Officium (cf. §§ 164 — 197), *Regulam* "*de Festo Loci*, i. e. de Festi Loci Commemoratione Hebdomadali[88]), "Benedictiones ante Lectiones (cf. §§ 198 — 200), et Rubricas quasdam, —"; addendo notulam:

[88]) Quæ nobis post primæ Adventûs hebdomadæ Officium, in Fasc. I, pp. 18*a* — 19*a*, aliquanto plenior invenitur.

§ 98.) In *Annotationibus*, p. xxxiij, in ultimo parvarum litterarum paragrapho scribendum: — Inter duorum Episcopatuum tempora, aliquantulum saltem, in Monasterio suo, idem iterum regens, S. Cedda "quietam vitam agebat" (v. S. Bedæ *Hist. Eccl. Gentis Anglorum*, lib. IV, cap. 2, et lib. V, cap. 19); unde, *&c.*

In inferiore autem ejusdem paginæ parte, voci "Depositionis" appende notulâm:

* Depositio non solum de sepultura, verum etiam (in Sanctis passim) de obitu dicitur: v. Du Cange, Glossarium Mediæ et Infimæ Latinitatis.

p. xxxvj.) Ad annotationum finem quæ ad hanc § 98 pertinent, adde, primo quidem "cf. ad § 115, notulam c."; deinde vero immediate sequentes quattuor paragraphos:

Ceterum de Memoriis *sub silentio* faciendis operæ pretium erit notare quæ post Primas in Sanctæ Crucis Exaltatione Vesperas leguntur:

"*Si hoc festum in Dominica contigerit, fiat hîc, primùm Memoria de* "*Dominica et de Trinitate* [v. ad § 191] *sub silentio, dum dicitur* [i. e. *dum* "*cantatur*] *primum* Benedicamus [Dño. Deo gratias]. *Deinde Memoria so-*"*lennis de Martyribus* [*S. Cornelio et S. Cypriano*]; *et postea fiat Processio* "*ante Crucem ut supra,* [*cum Memoria de Dña Nostra in reditu.*]"

"*Eodem modo fiat, tam de Mem. Dom. quam de Martyribus, quando in ij* "*feria idem festum contingit.*"

Digitized by Google

De primo autem et secundo *Benedicamus Dño.* vide Fasc. I, p. xiv, paragraphos 1 et (ut p. lxviii correctus est) 2.

§ 115.) In Ann., p. xlvij, in rubrica *Et sciendum*, ante "*ferialiter*" omitte "[?]", et post eandem rubricam adde:

Ferialiter autem, ut videtur, de Dña Nostra dicebatur Officium, quoties neque Festum neque Commemoratio ejus Primaria agebatur: v. p. xlv; et cf. ad §§ 129, 135, et 140.

In ultimo autem paginæ xlviij paragrapho melius legetur "(super nu-"merum: cf. ad § 120)", et postea, "in § 135 (ad quam vide), regulam de "psalmorum mutatione tradit,".

§ 117.) *ut in præbendatis vel aliis ecclesiis parochialibus.*] Extra chorum, et in ecclesiis capellisve hîc non nominatis, hæc Memoria præscripta fuisse non videtur.

§ 119.) Post annotationem primam adde:

Capitulum autem ipsum in supradicto Devotionis Officio (v. p. xlviij), et in supra (ad § 116, in notula *g*) memoratis Horis Constantiensibus et Brev. Carth., — in quibus tamen omnibus "cynamomum" et "mirra" (cf. ad § 126) leguntur, — integrum invenitur. De Brev. Rom. v. ad § 144.

§ 120.) Annotationi primæ, ad verbum "loco(ii)," appendatur notula:

ii) Quæ duas alias de eadem re rubricas, post quædam de Officio Diei interjecta, sequuntur: v. in Fasc. I, Pr. 9 *a*, cum *Anni* 1855 *Add. et Corr.* P. lj, parag. 5, scribendum: — *Nam co*^{e} [*cotidie*] *per totum annum*, cet.

§ 124.) In Annotationum p. liij, parag. penult., post "Dñæ Nostræ", "vel in Dñæ Nostræ Officio dictorum" inserendum est.

§ 125.) In annotationibus, parag. 3, scribendum: — *Iste Hore dñr supradicto modo co*^{e}[*cotidie*] *per Adventum*, cet.

§ 126.) In annotationum parag. 2 lege, "in A et in Ed. nostra"; in parag. ult., "ibi vero (v. ad § 137)".

§ 131.) In Rio 2, A hîc quidem male om. "es", sed in § 148 habet.

§ 141.) Post paginæ lxj parag. 1, sequentem cum notulis suis adde:

Quod tamen non impedivit quominus post Laudes de Die in feria ij post Hebd. Paschæ, pro "*Sequuntur Matutine de Sancta Maria in conventu etc.*"(aa), quod A habet, in L legatur, "*Sequantur Mat'e de Sancta Maria in "conventu, ut supra post Purificationem* [i. e. *in Officio de tempore post "Purificationem*] *notantur.*"; quod proculdubio ex libro antiquiore, sine omissionis præcedentis suspicione, transscriptum est.(bb)

aa) Per "*etc.*" intelligi potest "*et cetera quæ, si non infra in Servitio B.* "*M. V. invenirentur, hîc tradenda essent.*"

bb) Post hæc sequuntur statim: "*Tamen quando fiunt Memoriæ*^{s} *de Om-*"*nibus Sanctis ad Vesp's et ad Mat's de Sancta Maria, fiant cum añis et Vlo*

Digitized by Google

"*et Orationibus*† *quæ huic feriæ intitulantur* [i. e. *quæ sub titulo hujus feriæ*, "scilicet in ejusdem feriæ Officio de Die, *posita sunt*], *usque ad Vig. Asc.* "*Dñi.*" Cf. autem p. lxiij.

*In L, "Memoric fiunt". †In L, "cum V'lo, an'is et Orationibus".

§ 142.) In *Annotationibus*, p. lxij, lineâ 1, pro "Historiam Domini-"calem", "Historiam Temporalem", et pro notulâ c, sequens, "V. ad § 181, "inter *Annotationes Longiores.*" legatur.

§ 151.) *Lec.* 1.) congrue — frequentat] ut par est — frequenter celebrat.

§ 156.) *et postea de Resurrectione, sicut in aliis festis cum regimine chori.*] Ad finem melius scriptum esset, "*cum regimine chori*, [*usque ad Vi-*"*giliam Ascensionis exclusive.*]"

§ 172.) Ad secundi annotationum paragraphi finem appende notulam:

ss) Proprie quidem in composito *συκομορέα* (quod locus noster habet), sive *συκόμορος* (quod idem valet), nomen posterius non adjectivum *μωρὸς* (Attice *μῶρος*), *stultus, insipidus*, sed arbor *μορέα*, sive (postea obsoletum) *μόρος*, erat; sed quum apud Græcos ipsos fructus non *μόρον* tantum, verum etiam *μῶρον* vocatum sit, apud Latinos vero tam arbor (*mōrus*) quam fructus ejus (*mōrum*) penultimam habuerit longam, haudquaquam improbabile videri potest, compositum quoque a multis etiam Græce loquentibus similiter pronuntiatum esse; atque ita, quum fructus (*συκόμορον*), si cum ficu communi comparetur, etiamsi magis saccharatus, gustu tamen non æque jucundus esse dicitur, adjectiviquoque, quod non Græce tantum, sed et Latine *fatuum* signabat, sensum in memoriam revocavisse; ut non per nominis tantum accommodationem, sed et per veriorem quandam irrisionis figuram, aptior, occasione de qua nunc sermo est, Crucis fieret typus, ejusdemque melius sustineret partes, arbor quæ, quum ceteris quidem hominibus parum saperet, ei tamen qui eâdem uti noverat, qui scilicet eandem ascendere ausus erat, dulcissimum "Dominicæ susceptionis" (v. infra) fructum dedit.

¶ De §§ 1, 12, et 175, plura ad Anni 1855 in Fasciculum I Add. et Corr. vide.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

*** *Annotationes* quasdam *Longiores*, quæ melius in locum separatum reservari videbantur, deficiente nunc tempore, (ut de spatio nihil dicam,) in aliam occasionem differre cogor. Sic et quæcunque alia, præter ea (non pauca) quæ in Annotationibus jam dicta sunt, de hoc Fasciculo dici potuissent. Vale igitur, Lector benevole; et huic qualicunque conatui divinam benignus apprecare benedictionem.

Scribebam Augustæ Trevirorum; in Festo
S. Ignatii Confessoris, A. D. 1855.

Digitized by Google

IN

Breviarii Sarisburiensis

FASCICULUM PRIMUM,

LONDINI A. D. MDCCCXLIII EDITUM,

ADDENDA ET CORRIGENDA QUAEDAM.

AB EJUSDEM FASCICULI EDITORE

CAROLO SEAGER, A. M.

LONDINI:
APUD WHITTAKER ET SOC.,
AVE-MARIA LANE.
MDCCCLV.

NOTANDA.

1. Textûs loca in Fasc. I occurrentia, *per paginas et columnas*, in Fasc. II, *per sectiones* (§§), in utroque per *paragraphos et lineas*, indicantur.

2. Quod autem ad Fasciculi Primi textum attinet, ad Proprii de Tempore Adventûs paginas a Psalterii et huic adjunctorum paginis breviter distinguendas, hæ per "Pr." cum immediate sequente paginæ numero plerumque indicatæ sunt.

3. In columnis distinguendis, *a* sinistram (col. 1), *b* dextram (col. 2), indicat; — unde "Pr. 5 *a*" est *Proprii de Tempore Adventûs p.* 5, *col.* 1.

4. In paragraphis numerandis (*parag.* vel *par.* 1, 2, 3, cet.), tam paragraphi finis quæ paginæ vel columnæ est initium, quam paragraphi initium quæ paginæ vel columnæ est finis, cum paragraphis integris semper computanda sunt.

Digitized by Google

IN BREVIARII SARISB. FASC. I ANNI 1855 ADD. ET CORR.;
in quibus Ultima *etiam* Anni 1843 Addenda et Corrigenda (*pp.* civ, cv),
*aut reipsa, aut saltem per indicationes ad eadem remittentes, in lectoris commodum conclusa sunt.**

I. In Psalterium, sive Ordinarium Officii, cum eidem adjunctis.

In Monito, p. ii, lineâ 11, lege: "quæ in Sarisburiensibus, ceteris, solu-"tiore sæculorum mediorum more dimensa reperiuntur,".

P. 1 a.) *In Annotationibus*, p. vi, pro notula prima lege:

c) *Apud Deum mereri*, nihil aliud dicere vult, quam *ea* PER GRATIAM DIVINAM *faciendo, quibus* EADEM MERA ET LIBERA GRATIA *fructum aliquem* (*sive præmium*) *annexuit, fructum eundem* (*sive præmium*) *consequi.* Quod qui non intellexerunt, nodum in scirpo quærentes, multis modis nugati sunt.

p. viii, parag. penult., lege: — "a piis ejus temporis Sacerdotibus Angli-"cis libenter dictas fuisse".

Pro ultimo autem parag. "Ut vero", qui correctione aliqua eget, lege:

Ut verò ad singulas ipsius Officii partes veniamus, — quæ statim in rubrica prima, "*a* Dñe ne in ira", et quæ in col. 2, "*a* Deus omnium", non admodum faciles loquendi formulæ leguntur, de his v. (in Fasc. II) ad § 183.

p. 1 a.) Pro *perennis*, L et Brev. Ebor. Gough 6, hîc et passim, *perhennis.*

P. 1. *b.*) p. ix, l. 14, pro "p. 111 a." scribe "pp. 16 *a* et 111 *a* et *b*."

In Psalmis, ad versuum dimidia in cantu separanda, Breviaria antiqua (quorum etiam morem secutus est *Liber Precum Communium* Anglicanus) puncto duplici utuntur; quum vero hôc modo interpunctio naturalis sæpe turbetur, Brev. Romanum hodiernum *asteriscum** in hunc usum introduxit; atque ita cum verborum lectionibus quæ in Bibliorum Versione Vulgata inveniuntur, ejusdem etiam interpunctionem integram servavit.

Hujus autem asterisci locus, — etiamsi, quantum nunc recordor, ubicunque vel unus liber Sarisb. aut lectionem aut divisionem Romanam habebat, eandem admisi, — non semper cum divisione nostra concordat: e. g. in Ps. 2, v. 7, Brev. Rom. habet: "Dñs dixit ad me: * Filius meus es "tu: ego hodie genui te."

---

* Hujus Fasciculi *Textus* quidem Bruxellis a C. J. A. Greuse (magnifici Bollandistarum Operis, ut nunc ibidem feliciter continuatur, impressore), pro C. J. De Mat. et Soc., *Prolegomena* vero Oxonii ab I. Shrimpton excusa sunt.

Prodiit autem idem Fasciculus Londini; primo quidem sub finem anni 1842; mox vero, anno scilicet sequente, cum altera et ampliore, — pro xl tantùm cum titulo, cvi post titulum paginas continente, — Prolegomenorum Editione; in quam, cum Textu (qui idem mansit), hæc nunc (post duodecim annos) *Addenda et Corrigenda* concinnavi.

* Cf. ad § 142, ad finem, cum notula ultima.

Digitized by Google

De his autem, sive divisionum, sive lectionum varietatibus, antequam diversitatis integræ catalogum habeam, non multa dicere potero; nec si possem, in *Addendis* præsertim, operæ pretium esset.

p. x, in notula *l*, lin. 4, scribe: "*festo* plerumque contraria sunt."

Ejusdem vero paginæ paragrapho secundo, ad finem, — notulæ ejus loco, quæ paginâ civ invenitur, — appende:

oo) Alia est *inceptio*, quâ Psalmi vel Antiphonæ initium, quando cetera a choro statim percantanda sunt, ab uno *præcinitur;* quod (in antiphona saltem) Francogallis est *élever* (*l'antienne*): cf. in Pr. 4 b *exaltare psalmum*, et vide Annotationum p. xlviii, parag. 7 et penult., cum his *Add. et Corr.*

p. xi, l. 2, pro "erant" scribe "erat".

Ibid., par. 3, post "Vesperas," insere "Primam,"; et ad finem scribe, "In Vesperis rarius mutantur psalmi (v. ad § 1): de Prima v. p. xvii."

P. 2 a. In Psalmo ij, ut ubique, pro "hæreditatem" cet. scribendum "hereditatem" cet. Sic et ipsum *cetera* cum cognatis melius sine diphthongo scribitur. — Idem de *fecundus* cet. dicendum: cf. autem ad § 1.

P. 3 b.) Pro "lacrymis" (Ps. 6) scribe "lachrymis".

P. 4 a.) Ps. 7, v. 51.) Ecce parturit] Pro "parturit" Vulg. cum LXX "parturiit": Brev. Carth. ad § 116 (in notula g) memoratum, "parturiuit".

In eodem versu divisio Romana post "injustitiam" fit.

P. 4 b.) Ps. 8, v. 6.) Pro "paulominus" hîc et passim, Vulg, "paulo minus". In supra memorato Brev. Carth. illud legitur.

In eodem versu, post "angelis" ponatur semicolon.

Ps. 9.) Pro "sedes" (v. 4) Vulg. cum LXX et supra memorato Brev. Carth. "sedisti". In Græco aoristus.

P. 5 b.) In Ps. 10, v. 1, divisio Romana post "meæ" fit.

P. 6 a.) In Ps. 11, v. 4, divisio Romana post "sunt" fit.

P. 8 b.) Post "terrarum", l. 3 a fine, ponatur colon.

P. 9 b, l. 16, omitte accentum.

P. 10 a.) In Ps. 18, v. 10, Vulg. cum LXX et Heb. "permanens". Sic et supra memoratum Brev. Carth.

P. 11 b.) p. xii.) Ad "nonum(mm)", in paragraphi penult. lineâ penultima, appende notulam:

mm) Cf. Pr. 14 a, parag. 5, cum annot. nostra.

P. 12 a.) p. xiii, post par 2, insere:

Quoties autem post Officium Nocturnum Laudes non immediate sequebantur, pro ejusdem Officii conclusione, Aña̅m ad *Benedictus*, V̄lm Sacerdotalem, et (cum tam præcedente quam sequente *Dn̄s vobiscum. Et cum spiritu tuo.*) Orationem de Die, dicenda fuisse, — ut in hoc casu V̄ls hicce easdem cum Horarum Brevium V̄lis partes sustinuerit, — non improbabile videtur.

Digitized by Google

Post secundum vero *Dñs vob. Et cum.* probabiliter *Bened'e Dño. Deo gr.* et *Fidelium animæ.* (v. p. xiv) dicenda erant.

Notandum est autem, in Off. Romano, pro *Dñs vob. Et cum.* ab eis qui nondum Diaconi sunt ℣lm *Dñe exaudi.* cum Responsione sua (v. p. 23 b), vel si hoc immediate præcesserit, nihil, esse dicendum.

P. 12 b.) In Ps. 99, v. 4, divisio Romana post "ejus" fit.

P. 13 a.) In Ps. 66 Brev. Rom. cum Vulg. (in quo tamen "introite por-"tas" est versûs quarti initium) versum "Populus" post "gentes" dividit.

P. 13 b.) De p. lxvii vide p. civ.

P. 14 a.) Post "sunt" (l. 4) pone semicolon.

P. 15 b.) Post *Benedictus* scribe "Gloria Patri."; et in Psalmo *cxxij* (sic enim corrigendus est numerus), post v. 2 pone colon.

P. 16. a.) p. xiv, in notula *o*, pro "111 b", scribe "111 *a* et *b*".

De notulâ paginæ lxviii addendâ v. p. civ.

p. xvi, in notula *z*, lineis 9 et 8 a fine, scribendum: — Sed libera.": cf. etiam huic omnino similem locum *&c.*

p. 16 *a*.) Dñe exaudi.] V. p. 23 *b*.

Dñs vobiscum.] V. ad p. 12 a, *in his Addendis.*

De Oratione ipsâ v. ad p. 108 *b* (ad Completorii finem): conclusio autem, ut videtur, quemadmodum ibi, "Per [Christum] Dñm [nostrum. "Amen]." legenda est.

P. 17.) Col. 1, l. 9, "nomen", col. 2, l. 14, "Gloria", scribantur.

P. 20 b.) p. lxx, in notula *d*, pro "*In omnibus festis,*" cet. scribe: — In "*omnibus festis et* [legendum, "*In omnibus feriis*] *a* Dñe ne in ira *usque ad* "*XL, et a* Deus omnium *usque ad Adventum, dicitur Ant.* Deus. *Ps.* Deus "in nomine. — *In Adv.* Veni."

p. lxxi, l. 8.) *A* Veni] Post "*A*" adde punctum.

P. 21 b.) Pro "ad dextram" scribe "ad dexteram".

De p. lxxii vide p. cv.

p. 21 *b*.) Ad añæ super *Quicunque* finem dele "Alleluia".

P. 22 a.) In par. 2. scribe, "Gratias tibi, Deus; gratias tibi, vera [et?] "una Trinitas," cet. Conjunctio autem, quam clausularum sequentium analogia postulat, in Brev. Romano, — in Primis Sanctissimæ Trinitatis Vesperis, in quibus hæc añа ad *Magnificat* dicitur, — invenitur.

Fatendum est tamen in iisdem libri L Vesperis "et" post "vera" non inveniri: — in B primum etiam "una" male omissum est.

In Psalterio autem quod in L (satis mutilum) invenitur, præter psalmos (neque hos omnibus semper verbis absolutos), añas, et ℣los, nihil aliud vidi; neque alibi in hoc MSto añam hanc inveni.

Ibid. par. 4) *super* Quicunque] Si Officium de Trinitate fit, hæc una

Digitized by Google

an'a super Psalmos *Deus in nomine*, *Beati immaculati*, *Retribue*, et *Quicunque;* si de aliquo Sancto infra Oct. Trin., de *Quicunque* solo dicitur.

p. lxxiii, l. 3, pro "infra" scribe "notulam *i*, p. lxxii".

P. 22 b.) In Ꝟio scribendum ubique, "Jesu Christe, Fili Dei vivi; Mi-"serere nobis."; et in parag. sequente, "*et per Oct. Nominis Jesu*,".

P. 23 a.) p. lxxiii, pro linea 9 a fine scribe:

p. 23 *a*, ad finem.) In Brev. Rom. Ꝟli *Deus, tu. Ostende.* et *Dñe Deus.* tam in Prima quam in Compl. omittuntur.

P. 23 b.) p. lxxiii, lineæ 8 a fine præpone "P. 23 b." — Ibid., l. 4 a fine, pro "non dicuntur.", scribe "tam in Primâ quam in Compl. omittuntur.

p. 23 *b.*) In Oratione, pro "noc" scribe "nos".

P. 24 a.) Pro "Sancte", lin. 1, scribe "sancte".

P. 24 b.) p. lxxiv, l. 15, pro *sanctificare* scribe *gubernare.*

p. 24 *b.*) "Per." hîc, et "Per Christum." p. 25 *a*, ambo "Per Christum "Dñm nostrum." (post quod semper respondendum est "Amen.") significare videntur. — In priore vero Oratione, l. 3, scribe "Filii".

P. 25 a.) p. xxii, l. 2, pro "dicenda fuisse videntur." scribe, "procul-"dubio dicenda erant."

In hymno ad Tertiam scribe "Sancte"; haudquaquam enim eorum probanda est consuetudo, qui, pseudo-theoriâ suâ ducti, in *Spiritus Sanctus*, quasi in accidentali quadam adjectivi cum substantivo conjunctione, unâ tantum majusculâ utuntur; quum revera conjunctio hæc unius tantum nominis proprii, et ejusmodi quidem nominis proprii quod Deitatem summam designet, vim habeat; unde et ab antiquioribus, quemadmodum *respublica* et *jusjurandum*, sic et non raro conjunctim "Spiritussanctus" (v. ad § 153) scribebatur.

Pro hymno autem ipso, die Pentecostes et tribus proxime sequentibus dicebatur hymnus "Veni Creator" ut in Proprio de Tempore discimus.

P. 27 b.) In v. 2 Brev. Rom. cum Vulg. et LXX "inique": Brev. Carth ad § 116 (in notula g) memoratum cum Brev. Sarisb. "iniqui".

Lin. penult. pro "meo?" scribe "meo!"

P. 30 b.) In annotatione de *Hierusalem*, p. lxxviii, scribe "(quomodo F "a V, S a Z, Anglicis et Francogallicis, distinguuntur)".

p. 30 *b.*) In Invitatorio cum majuscula scribendum "Exultemus".

P. 32 b.) In Ps. 29 pro "concidisti" (quod, cum A, Brev. Carth. ad § 116, in notula g, memoratum habet) Vulg. "conscidisti".

P. 33 b.) In annot. p. lxxviii, pro "Sarisburiensia," scribe "inspeximus,".

P. 38 b.) Asperges me, Dñe, hyssopo] Brev. Rom., cum Vulg., LXX, et Heb., om. "Dñe". Sic et Brev. Carth. de quo ad § 116, in notula g.

In annot., p. xxiii, scribe "sine alia *exaltatione*".

P. 39 a.) In hoc Capitulo, A ubi Officium Feriale post Oct. Epiph.

Digitized by Google

dicendum sub Feria ij tradit, "omnia opera vestra", hic verò in Psalterio, cum L post Oct. Epiph. et Vulgatâ, recte "omnia vestra" habet.

In L autem Psalterium, quantum notavi, præter Psalmos, Antiphonas, et Versiculos, nihil aliud continet.

P. 40 a.) p. xxiv, l. 17, pro "Et" scribe "Et propter".

p. lxxix, pro paragraphi 6 ultimis 4 lineis, quæ correctione aliqua egent, scribe: — "dictam fuisse: v. in Officio ipso (§§ 115 — 159) et annotationibus ad idem."

p. 40 a.) Post rubricam "IN *Adv. Dñi*" adde, ut titulum, "[*Memoria de Sancta Maria.*]"

Ad Orationis finem scribe "Christum Dñm [nostrum. Amen].

P. 40 b.) Post l. 11 non relinquendum erat spatium.

P. 41 a.) Paragraphi "*Post Purif. vero*" et duo proxime sequentes uti parenthesis exhibeantur.

Paragraphi "POST *Purif., ad*" et proxime sequens sic, ut videtur, melius exhibebuntur:

POST *Purif., ad Memoriam de Sancta Maria dicantur añæ* [*&c.*] *sicut post historiam* Deus omnium [*inceptam*]; *et etiam de Omnibus Sanctis.*

AD *Vesp's et ad Mat's de Paschali Tempore,* [*omnia ut in Proprio de Tempore patet.*]

p. lxxx, l. 7, pro "perpaucas" scribe "nullas".

P. 42 a.) Lin. 4 a fine, pro "ac" L "et" habet.

P. 42 b.) Pro paragraphi secundi initio scribatur: "*Isti duo ℣li* [*scil.* Læ "tamini *et* Mirabilis (p. 41 *b*): *cf. Proprium de Tempore in feria ij post "Oct. Epiph.*] *ad Mem. de Omnibus Sanctis non variantur*", cet.

P. 49 b.) p. lxxx, l. 24, verbis "unus, formæ parvæ," appende notulam

* Qui in Fasc. II sigle A passim designatur.

P. 54 b.) Lin. 2, pro "vespere" scribe "vesperæ": v. p. xiii, par. penult

P. 61 b.) In Ps. 75, post "Tu terribilis es", adde virgulam.

P. 68 a, l. 5 a fine, scribe "habitantibus".

P. 84.) In Cantico Moysis, v. 2 "invocabo.", v. 17 "deus", scribenda.

P. 88 b.) In annotatione (p. xxv), pro "Versum" lege "Versiculum".

Versus autem et *Versiculus*, qui in L recte distinguuntur, in A plerumque confunduntur. Sic et in libris hodiernis uterque per eandem abbreviationem "℣." signatur.

P. 90 b.) In hymno scribe "fecunda": v. ad p. 2 a *in his Add. et Corr.*

P. 96 b.) p. lxxxiv, in annotationum ad hanc columnam paragraphi primo omitte "primæ", et ad ejusdem paragraphi finem adde notulam:

* In Commemorationibus Primæ tantum Vesperæ dicebantur.

P. 100 a.) Quod p. xxvi, in prima ad Completorium, et p. xli, in ultima

Digitized by Google

ad Formulas Communes annotatione, annuntiatum est, id, etiamsi hactenus impeditum, non diu adhuc expectatum iri spero.

p. xxvi, in annotationum ad hanc columnam lineâ 3, post "&c." insere "præponitur;".

p. lxxxv, l. penult. post "additur" insere "(quod solum post Vlm repe-"titur)".

P. 101 a.) p. xxvii, l. 14, voci "servetur(nn)." appendatur notula:

nn) In Brev. Carth. de quo ad § 116 (in notula g), et in Brev. Bened. de quo ad § 158 (p. lxxij), sermo est, Ps. *In te Dñe speravi.* non dicitur.)

P. 101 b.) Parag. 4, post "*in Commemmoratione.*" adde: — Cf. ad p. 102 *b.* Regula vero non de Adventu tantum, sed et de toto anno vera est.

p. lxxxvii, in hymni stropha 2, post "collaudent" addatur virgula.

P. 101 b.) p. lxxxviii, parag. primo accedat: — Cum *In Euangelio* autem (v. p. xl, parag. penult., et infra ad p. 122) subaudiri potest *dicendo.*

P. 102 a.) In par. 2 scribe: — *Et quotidie per Oct. et in Oct.* [*Visitationis,*] *Assumptionis, et Nativitatis B. Mariæ,*".

P. 102 b.) *Compl. vj.*) In añа ad *Nunc dimittis.* L "vigilemus in "Christo" habet.

p. xxix, ad annotationum finem adde, "V. etiam ad p. 101 *b.*"

Compl. vij.) In Rio, pro "dormiam" scribe "Dormiam".

P. 103 b.) p. xxix, in annot. 1, l. 3, pro "essent" scribe "sunt".

p. lxxxviii, pro annotatione ad hanc columnam secundâ scribe:

Compl. ix.) Pro "commendo" scribe "Commendo"; et post "tuas, Dñe," insere "*Ch.* Comm."

Pro earundem parag. 4 lege:

p. xxix, parag. antepenultimo, post "libris nostris", insere, "etiam cum "Brev. Ebor. et L,"; parag. penult., pro "iisdem libris — qui — legunt", "iisdem libris omnibus — in quibus — legitur".

p. lxxxviii, l. 10 a fine, pro "Ant. vero", ut videtur legendum est, "In "eodem vero Breviario Ant."

P. 104 a.) De lineis 30 — 34.) Etiamsi non A tantum, sed et L (præterquam quod pro "miseras" male "misera" habet) cum Ed. nostra concordat, transponenda tamen videntur "Rex benedicte." ll. 30, 31, et "Inter Sanctos et electos tuos, Rex benedicte. *usque ad finem an'œ*", ll. 32 — 34. — Verba autem *usque ad finem añœ* ex libro in quo ea ipsa quæ dicenda erant ninus plene continebantur repetita esse videntur.

p. lxxxix.) Pro paragraphi 2 parte posteriore lege: — De primo autem Feriæ 5 in Cœna Dñi Completorio Sarisb., in Proprio de Tempore notatum est, añam super psalmos incipiendam, Rium et tres Versus post añam ad *Nunc dim.* dicendos esse, *in ij forma;* ipsam vero hanc añam *in gradu superiori* incipiendam. "*Sequuntur Preces et cetera omnia, ut in Dominicis*

Digitized by Google

"*diebus, more solito, absque prostratione, et sine psalmo* Miserere. *propter* so-*
"*lennitatem Cœnæ. Non* dicitur psalmus* Ad te levavi oculos. *nec abhinc*
"*usque ad inceptionem historiæ* Deus omnium."

* * Sic recte L: in A "Propter" et "non".

p. xc.) Parag. primo accedat: "*In classicum* est autem, *ita ut campana-*
rum omnium simul sonantium concentus sit: cf. Du Cange s. v. *classicum.*

P. 106 a, l. 8, pro "℟." scribe "℣".

p. xci, l. 11, pro "sequentes" scribe "sequens".

P. 106 b.) p. xcii, in notula *t*, pro "quando non dicitur de Corpore
"Christi." melius fortasse legeretur, "post festum ipsum."

Ibid., parag. ult., scribe "Br. Sarisb. (v. Pr. de T.)", et lin. ult. "No-
"men."; omittendo notulam *u*.

p. xciii, l. 1, post semicolon scribe: — ita tamen ut in Breviariis Ebor.
et Heref. pro "Salvificet — Amen." substituatur "Nominibus his Signatur
"Jesus. Sint Domino laudes. Amen." (u)

"u) An in Sarisburiensi quoque Breviario eadem substitutio facienda sit,
"non dicitur."

Ibid. ad finem parag. penult., verbo "dicitur.*" appendatur notula:

*In Off. Sarisb. Compl. Quadragesimale non mutatur ob Annunciatio-
nem, nisi quod in hymni fine, *ante Passionem*, dicitur tetrastichon "Gloria
"tibi, Domine, Qui natus" *etc.* (§ 123.)

P. 107 a.) p. xxx, parag. ult. ante "loco parallelo" insere, "in Gough 59
"(de Gough 6 v. p. lxxxvi, parag. penult.) et in".

P. 107 b.) De peccavi (l. 3), et de p. xxxi, v. p. cv.

P. 108 a.) De pp. xxxii, xxxiii, v. p. cv; ubi tamen, non "Pro parag.
"3 scribe:" sed "Post parag. 2 insere:" legendum.

P. 108 b.) p. xxxiii, — ubi titulus hic "P. 108 b." non ad lineæ 10, sed
ad lineæ 7 initium stare debet, — in eadem l. 7 pro "inserendum" lege
"scribendum."

p. 108 b.) Pro Orationis initio, cum L in Pr. de T. Adv. et cum Ed. nostra
p. 16 *a*, legendum "Ecclesiæ tuæ, quæsumus Dñe," *cet.* In ejusdem vero
Orationis fine, post "pacem" L in eodem Pr. de T. om. "tuam".

p. xxxiv, l. 6, post "feriâ" insere "quartâ".

P. 111 a.) p. xxxiv, pro "p. xi" scribe "p. ix".

P. 111 b.) p. xxxiv, parag. penult., l. 6, scribe "vel syllabam sine accentu
"claudente".

P. 113 b.) Ad Orationis *Deus, qui.* finem adde "[Amen.]"

P. 117 b.) Pro paginæ xxxviii parag. antepenult. lege:

In die tricennali] *Dies tricenalis* vel *tricennalis* (ut videtur) est trice-
simus aut post defuncti obitum aut Officii *Tricenalium* sive *Trigintalium*

Digitized by Google

cf. Pr. 12 *a*, par. 3; 12 *b*, par. 2; 13 *a*, par. 3; 13 *b*, par. 1; et vide ad P. 121 *a*.

P. 118 a.) De p. xxxviii v. p. cv.

P. 118 b.) l. penult.) *in anniversariis episcoporum tantum*] Hæc regula *generalis* potius quam *Sarisburiensis* esse videtur: aliter enim de ipsâ Eccl. Sarisb. in Pr. de T. Adv., p. 13 a, parag. 2, præceptum est.

P. 119 a.) l. ult. pro "me" scribe "te".

P. 121 a.) *In trigintalibus*] *Trigintale* vel *tricenale*, vel in plurali *trigintalia* vel *tricenalia*, vocabantur per triginta dies (sive sibi semper succedentes sive non) continuata Defunctorum Officia: cf. Pr. 12 *a*, par. 4; 12 *b*, par. 4; 13 *a*, par. 2; et vide ad P. 117 *b*.

De magno autem *S. Gregorii Trigintali* videri potest Missale Sarisburiense, ad finem Officii Defunctorum.

p. 121; l. 5 a fine scribe "malo."; l. 3, "benedicta"; l. 2, "Mater".

p. xxxix, l. 7 a fine, scribe: "quod, ut non in Manuali Sarisb., sic neque "in Rosario,".

p. xl, l. 7, post "indulgentiæ" insere "quoque".

P. 122.) p. xl, l. 8 a fine, pro "Brev." scribe "codice".

II. In Proprium de Tempore Adventus.

Pr. 1.) p. xli, notulæ *a* accedat: — De Sancto autem Osmundo, in Polychronico, l. 7, c. 3, — ubi, inter alia, eundem S. Aldelmi vitam scripsisse, et novam Ecclesiam Sarisburiensem construxisse, ejusdemque Ordinale (sive *Consuetudinarium*) per totam fere Angliam, Walliam, et Hiberniam, in usum venisse dicitur, — plura videri possunt.

Hoc autem Ordinale, cum Officiis ipsis, post S. Osmundi tempora plus minus mutatum esse necessario intelligendum est.

p. xlii, par. 4, pro "Dom. 1 Adv." scribe "Adventuale," et ad finem, post "annotavimus;" adde "videndo etiam *Anni* 1855 *Add. et Corr.*

Ibid. In annotatione *de Commemorationibus* (pp. xlii — xlvi), quæ correctione aliqua eget, primo quidem, pro "saltem ex præscripto," in annotationis ipsius parag. 1 (p. xliii, l. 7), legatur "antiquioribus saltem sæculis,"; pro iisdem verbis in parag. 2, lin. 3, "saltem in Ecclesiis minoribus,"; pro "satis credibile fit." ad ejusdem paragraphi finem, "de antiquioribus saltem "sæculis satis credibile fit."

Deinde vero, pro paragraphis 3, 4, et 5, ("In Ecclesiis", "Quænam", et "Ipsius"), dum meliora proferantur, sequentia legi possunt:

In quibusdam vero Ecclesiis majoribus, — id quod de Eboracensi et Herefordensi ex ipsarum Rubricis, (quarum Herefordensis inter Cathedralem et Ecclesias reliquas diserte, v. supra, distinguit,) de aliis autem, sive

Digitized by Google

multis sive paucis(bb), tam ex Breviarii Sarisburiensis Pica(c) quam ex ejusdem *Tabula de Festorum Divisione*, certum est, — Tertia quoque Commemoratio quædam, et (ut videtur) ejusdem fere cum Secundâ generis, facienda erat.

Erant autem Commemorationes Eboracenses, præter B. Mariæ in Sabbato Commemorationem, S. Wilhelmi Archiep. quondam Ebor. et Martyris feriâ tertiâ, et Apostolorum Petri et Pauli, quibus Eccl. Ebor. dedicata est, feriâ quintâ, — quoties scil. Commemorationibus hisce nullæ aliæ feriæ aptiores essent; Herefordenses verò S. Thomæ ibidem Episcopi et Confessoris, et S. Ethelberti Regis ac Martyris.

Quod autem ad ipsam Ecclesiam Sarisburiensem attinet, in Rubrica Magna quæ de Festis in Dñica occurrentibus ad primæ post Trinitatem hebdomadæ finem legitur, ejusmodi periodus, sive rubrica minor, invenitur, ex qua certo colligi potest, in choro Sarum, præter B. Mariæ, cui Ecclesia hæc dedicata erat, aliam nullam, quo saltem tempore hæc rubrica scripta est, fieri solitam, Cf. etiam Pr. 18 *a* et *b*, parag. "SCIENDUM *est*".

Hic tamen rerum status, ut fere certum videtur, post S. Osmundi canonizationem (v. supra, ad calcem p. xli) ita mutatum est, ut ipsius hujus Sancti Commemoratio pro Secundâ admissa sit; id quod eo facilius credi potest, quòd inter Translationis ejus festi Synodalis sive Diœcesani (a XVII Cal. Sep. per Octavas continuati) Officia, añæ ad *Magnificat* et *Benedictus*, Oratio, et Lectiones in Commemoratione ejus dicendæ inveniuntur.

Beatissimæ autem Virginis et S. Osmundi Commemorationibus Tertiam quandam postea, fortasse S. Thomæ Martyris(d), additam esse, haudquaquam improbabile videtur. Quod si factum est, ipsius Eccl. Sarisb. Commemorationum lex ultima ejusmodi fuisse credenda est, ut si tres in una hebdomada feriæ vacarent, cum Dña Nostra tam S. Thomas quam S. Osmundus, si duo tantum, cum eâdem S. Osmundus solus, Servitio Pleno commemoraretur. Quoties autem una tantum in hebdomadâ feria vacabat, de Beatissimæ ubique Virginis Commemoratio facienda erat.

Quum vero in Cathedrali Eboracensi, ut vidimus, non Dñæ Nostræ tantum, sed et Secunda et Tertia Commemoratio ferias sibi præ ceteris assignatas habuerint, non sine caussa quæri potest, an de Sarisburiensibus quoque et Herefordensibus idem credendum sit.

---

bb) Fieri potest ut, progredientibus sæculis, Commemorationum dicendarum privilegium non parum extensum sit: cf. p. xlvi, par. 2.

c) In Pica Breviarii Eboracensis Gough 59 Commemorationes non notantur. Ebor. Gough 6 autem &c. *ut p.* xliii.

d) Hanc eandem pro Commemoratione Tertia in plerisque Provinciæ Cantuariensis locis admissam esse non improbabile videtur.

Digitized by Google

Huic igitur quæstioni, saltem quoad Usum Sarisburiensem, fieri potest ut per diligentem Picæ indagationem (neque enim modum alium adhuc scio) responsum inveniatur.

Per *diligentem*, inquam, indagationem; nam 1º non in *liberis* tantum, sed in *æque liberis* diebus exempla quærantur oportet; et de libertate tali non primo semper intuitu certum est. 2º Errata quæ in feriarum numeris perpetuo transscribendis tam facile oriebantur, indagatorem incautum non parum fallere, vel saltem turbare, possent. 3º Non per unum et alterum exemplum, sed per consuetudinem regularem, ejusmodi de quo hîc agitur probanda est lex.

Quod autem ad Usum Herefordensem attinet, in ea quam solam adhuc Breviarii Herefordensis vidi Parte non invenitur Pica (v. supra, in notula *e*); nec si quid alibi de hac quæstione legerim nunc recordor.

p. xlv.) Ad notulam § annotatationes quædam in Fasc. II, ad § 98, pp. xxxiij et xcvj, videantur.

Pr. 2.) Lit. Dom. G, pro "Fer. 2 et 6" lege "Fer. 2, [4,] et 6".

Pr. 3 a, par. 4.) In Officio Romano, quando plures fiunt Orationes, prima semper et ultima plenam habent conclusionem, mediæ nullam.

Pr. 4 a.) par. 2.) *prout inferius ad Compl. post Psalterium sunt notata*] Ideo *inferius* dicitur, quia in plerisque Breviariis Sarisburiensibus Psalterium et cetera quæ toti anno *Communia* sunt inter *Proprium de Tempore* et *Proprium de Sanctis*, — aut anni totius, aut, quod plerumque videtur, Partis Hyemalis vel Æstivalis, — inveniuntur.

par. 6 — 8.) Ad Matutinas — nostro.] In L: "*Ad Mat's de Adventu Invitatorium*, Ecce venit Rex. *Chorus prosequatur*, Occurramus obuiam Saluatori nostro.

p. li, ad lineæ 9 finem, appende notulam:

In L, præter "*Invitatorium*. Ecce venit Rex. *Chorus prosequatur*: Occurramus obviam Salvatori nostro." de invitatorio nihil aliud hôc loco legitur.

Pr. 5 a.) par. 2.) *ubi totaliter in audientia dicantur vel cantentur*.] Nisi forte pluralis respectu Offertorii "Ave Maria, gratia plena: Dñs tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.", quod sæculis antiquioribus (v. ad P. 121, p. xxxix) pro integra Salutatione Angelica habebatur, defendi potest, — scribi (ut videtur) debuit, "*ubi totaliter in audientia dicatur vel cantetur* Pater noster."

Pr. 5 a.) p. ciii, l. 7, pro "(cf. etiam p. vi)" scribe, "(v. pp. vi et lii, cum illa conferendo p. lxiii)".

Pr. 5 a.) p. lii, l. penult. verbis "Br. Ebor.*" appende notulam:

* In L, non in supradictis tantum tribus locis, sed et in Passionis Dñica, formulam cum "Deus" plene exscriptam habemus; quanquam post

Digitized by Google

Feriæ Tertiæ in Passione Lec. 3, A (per errorem, ut videtur) "Hec dicit "Dñs omnipotens." habet.

p. 5 b.) par. 6, pro "in" scribe "In".

Pr. 6 a; par. 4, pro "Ne" scribe "ne"; par. 5, pro "Deus", cum L et (ut videtur) quattuor a me collatis libris, "Dñs".

Pr. 6 b, parag. ult. pro "hominem" scribe "Hominem".

Pr. 7 b.) p. liv, paragrapho 4 accedat: — Confer quod in Rubrica Septuagesimali ad Primam legitur, "*excepto quod loco de* Confitemini *dicitur* "*Psalmus* Dñs regnavit; decorem." — Plura de p. liv, v. ad finem p. cv.

Pr. 9 a.) In periodo penultimâ sic ex L supplenda sunt quæ in A et Ed. nostra desunt verba:

"¶ *Deinde dicantur Mat'œ de Sancta Maria sine nota.* [Ex L supplendum: "*Et sciendum quod per totum annum dñr Vesperœ et Mat'œ de Sancta* "*Maria*] *statim post Vesp's et Mat's de die, quando in choro dicuntur.*"

Pro ultima autem clausula, male L "*quandocunque de die dñr*" habet; ubi, pro "*de die*", legendum quod in A et in Ed. nostra habetur, "*in choro*".

Pr. 11 b.) In aña ad *Magnificat.* post "Maria" pone semicolon.

Pr. 12 a.) par. 2.) *usque ad lectiones tantum, etc.*] Ex L scribendum, "*us*- "*que ad Laudes tantum.*"; et quæ sub hoc lemmate p. lv legitur annotatio delenda.

Pr. 12 a.) par. 3.) *vel tricenalis*] Vide ad P. 117 *b.*

par. 4.) *triginta psalteria*] *Psalterium*, ut videtur, est hîc *Vigiliæ Mortuorum*, pp. 117 — 121.

Pr. 12 b, l. 1.) *quando dicitur hymnus* Salvator Mundi.] Scilicet *ad Completorium.*

Pr. 12 b.) par. 4.) *in anniversariis, et tricenalibus episcoporum*] *in anniversariis quibusvis et trigintalibus episcoporum:* v. ad P. 121 *a.*

Pr. 13.) Col. 1, l. ult. "NOTANDUM", et col. 2, l. 4, "COMMENDATIO ANI- "MARUM", (litteris majusculis,) scribantur. Sic et Pr. 14 a, l. 1, "A DIE".

p. 13. *a*, par. 2.) *in anniversariis, et trigintalibus episcoporum*] Vide ad Pr. 12 b, par. 4.

par. 3.) *vel dies anniversarius vel tricenalis non habentur*] Pro *habentur*, cum L (in quo tamen male *tricenalibus*), scribendum *habetur.* Vide autem ad P. 117 *b.*

Pr. 13 b. par. 7, pro *in capitulum*, quod A habet, scribe *in capitulo.*

Pr. 16 a.) par 3, dele "[*tantum*]", et post "*hebd.*" insere "[*non*]": cf. p. 17 *a.*

Pr. 17 a, lin. 1, pro "et" scribe "Et."

Ibid. par. 2, *per hebd.* pro *durante* vel *intra* vel *in hebd.* positum est.

p. lvii; l. 3, pro "p. 17 b" scribe "p. 17."; l. 7 omitte "p. 17 a et b."; l. 17, post "aliquando" insere "per incuriam".

Pr. 18 a.) par. penult., pro "*et nisi — et nisi — et nisi*", mihi quidem

Digitized by Google

rectius videretur "*Sic etiam — etiam — etiam*". In A autem (per errorem, ut videtur) post tertium "*et nisi*", pro "*in festis*", "*in do. fes.*"

In eodem paragrapho pro "*contigerint*" scribendum "*contigerit*",

par. ult.) De loco ubi in L Rubrica "SCIENDUM *est*" et ceteræ quæ, usque ad "TAMEN *sciendum est*" (p. 19 a) exclusive, de Festi Loci Commemoratione tractant inveniantur, vide (in Fasc. II) ad § 93, cum (ejusdem Fasc.) *Add. et Corr.*

Pr. 18 b.) par. penult.) "*excepto quod ubi fit*" &c.)) Hæc, usque ad "omnipotens Deus." in parag. ult., om. L (v. supra).

Pr. 18 b, parag ult.) "*Similiter a Circuncisione — patebit.*] Hæc qui addidit, — et in L quoque (v. supra) iisdem fere verbis addita sunt, — non hîc de Officio quocunque, sed de Festi Loci tantum Commemoratione agi, oblitus esse videtur; nam a Vig. Nativitatis Dñi usque ad Oct. Epiph. hujus modi Commemorationes non fiebant: v. ad § 136. — Unde meliùs verba hæc ut paragraphus separatus et parentheticus, cum monito inter uncinos, exhibebuntur:

"(*Similiter*, [*de quocunque fit servitium,*] *a Circumcisione*" &c.

Pr. 18 b, l. ult. scribe "*servitium*"; Pr. 19 a, "SCIENDUM".

Pr. 19 a.) Pro paragraphis 1 et 2, L: "¶ *Ad Mat*^{s} *omnia fiant sicut in "festo ejusdem cum tribus primis leccionibus et tribus primis* R̄iis·"

Pro paragrapho autem tertio idem codex habet: "*Ita tamen quod in toto "Tempere Pas. dñr iij prime añe ante Lectiones tantum; que terminentur cum* all'a. Hoc autem, — pro primâ *tres primas* añas dicendas fuisse, — de sæculis antiquioribus, quando codex ille scriptus est, commode intelligi potest: cf. ad § 132.

Pr. 20 a.) Gloria. Et verbum Dñi de Hier.] Fieri potest ut post "Glo-"ria — Sp. S." repetendum sit totum "Quia — Hier.".

Pr. 20 b.) Qui] Qui tecum vivit et regnat *&c. ut P.* 24 *b.*

Pr. 22 b, parag. ult., scribatur "Sion:".

Pr. 24.) In Pica et ubique "O Sapientia" majusculas duas habeat.

Pr. 29 b, l. 15 a fine, scribe "ecce".

Pr. 30 a.) In ant. 1, scribe "Justum": cf. ad p. 2 b.

Pr. 33 b.) *ordo ferialis servabitur*] Quandocunque de feriâ Officium fiet, dicetur quod eidem feriæ assignatum est, etiamsi, ob ix lectionum festum (de trium lcc. festis v. ad § 28), festum præcedentis cujusdam feriæ Officium dictum non fuerit.

Pr. 33.) Lit. Dom. B, pro "4," scribe "4 [*legendum* 5],".

Pr. 34 a, in Oratione "Qui [cum Deo Patre *etc.*]", et l. penult. "In ter-"ram", scribantur.

Pr. 37 b.) parag. penult. scribe "Filius Hominis".

Digitized by Google

In Fasc. II:

pxcij, ad § 1, par. 3, lege "in *alleluja* et similibus, etiamsi in libris per "I vel scriptis, — aliàs verò, præterquam in consuetis formarum I et J, U et V, distinctionum observandis, librorum ipsorum," cet.

p. xciij, ad § 12, in par. 1 et 2 scribe: — "nam, 1°. in hoc codice *mar-* "*tyr*, — 2°. tam in hôc quam in libris A et B, de U et V regula est.

De I autem et J eorundem librorum regula est, — sine cauda scribantur."

* In "piisima", § 131, Lec. 2, L quidem "ij", Pr. L autem et A "ii" habent.

Ibid. par. 3, pro "in eodem codice exscribendo", in libris ad litteram ex- "scribendis" lege.

§ 175.) Annotationi ultimæ (p. lxxxij) accedat: "cf. etiam in Fasc. I, "ad p. 104 *a*, p. xxix."

Ut autem ad finem tandem aliquando veniam, si, quemadmodum in Fasc. II, ita et in primo, quæcunque partes in vetere MSto L inveniuntur, easdem integras cum textu nostro conferre liceret, haud minima ad ejusdem ét lectiones statuendas èt sensum explicandum lux oriri posset. Talis vero collatio, si ut eandem aggrederer tempus permitteret, eo peractu difficilior esset, quod minium, etiamsi in multis locis nitorem fere pristinum adhuc conservavit, in aliis tamen non paucis, et præsertim in Proprio de Tempore Adventus, plus minus in pulverem abiit. — Quod igitur utcunque feci, id omne ut a lectore benevolo in partem bonam accipiatur oro.

Augustæ Trevirorum; in Vigilia
Assumptionis A. D. 1855.

Digitized by Google

IN PROXIME PRÆCEDENTES PAGINAS,

QUÆ MINUS ANTE IMPRESSIONEM CORRIGI POTUERUNT,

ADDENDA ET CORRIGENDA QUÆDAM.

p. xcviij.) In Monito per ¶ incipiente, pro "vide" "finem vide" legendum.

p. iij.) In parag. ultimo, pro "Sacerdotalem" "(si non qui in Laudibus ipsis "dicendus erat) *Sacerdotalem*," et postea, ut parenthesin, "(in hoc casu)" scribe.

p v, l. 2, "*ad Quicunque* solum dicitur." scribe.

p. vij, sub titulo "P. 101 *b*, ut paragraphus primus, inseratur:—p. lxxxvij, in notula *p*, "a LXX ad Pascha" scribendum.

Ibid., pro l. 25 legatur:—"Pro annotationum ad hanc columnam parag. "penult. lege:".

p. ix, voci *Consuetudinarium*, l. 23, appende notulam.

* Sec. eruditum Doctorem D. Rock, sub *Consuetudinarii* titulo non *Ordinale* tantum intelligi potest: vide quod annis 1849-1853 emisit opus doctum, "*The Church of Our "Fathers as seen in St. Osmund's Rite for the Cathedral of Salisbury*," &c. (*Patrum Nostrorum Ecclesia, ut eandem in Ritu ab S. Osmundo in Cathedralis Sarisburiensis usum digesto videmus*, &c.); tom. I, pp. x, xi. [*IV Cal. Nov. A.D.* 1855.

p. x, l. 6 a fine, omittendum "de".

p. xj, inter paragraphos 5 et 6 insere:—p. xlvii.) Linea quæ per "p. 2 b." incipit ante lineam quæ per "D'ns justus" incipit transponatur; et post "Justum," l. 17, insere "et sic passim".

p. xj, parag. 8, pro "*Adventu*" scribe "*Aduentu*".

p. xiij; l. 13, scribe "hujusmodi"; l. 18. post "*servitium*", omitte reliqua; ll. 20, 21, scribe "*Tempore—lecciones—*"*cum* alla"; l. 6 a fine, omitte "festum".

p. xiv, *titulum currentem* cum omnibus in eadem linea positis dele, et in sequentibus ita, p. xcij, I vel Y scriptis, regula est,—exhibeatur. "De I "bantur.*" "in libris *Augustæ* scribe.

Sic autem correctis mendis, tam ob operis difficultatem, quam quod mihi Editori ante curas ultimas abeundum erat, lector æquus iguoscat.

Londini; in Festo S. Bedæ,
IV Cal. Nov. A.D. 1855.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

WIDENER
BOOK DUE
DEC 9 1989

WIDENER
BOOK DUE
JAN 5 1990

Digitized by Google

Digitized by Google